image
not
available





IMMANVELIS KANTII

OPERA

AD

PHILOSOPHIAM CRITICAM

LATINE VERTIT

FREDERICVS GOTTLOB BORN.



VOLVMEN TERTIVM.

LIPSIAE

IMPENSIS ENGELHARD BENIAMIN SCHWICKERTI

MDCCLXXXXVII.



IMMANVELIS KANTII

CRITICA

RATIONIS PRACTICAE.

IV

PRAEFATIO.

Quare hanc criticam non criticam rationis *purae* practicae inſcripſerim, ſed ſimpliciter rationis practicae in vniuerſum, quamquam comparatio illius cum contemplatiua illud poſtulare videtur, hic libellus cauſas ſatis aperiet. Illius duntaxat eſt, vt euincat, *rationem puram practicam eſſe*, eoque conſilio *vniuerſam* eius *facultatem practicam* cenſurae ſubiicit. Quod ſi ei ſucceſſerit, non opus erit, vt *ipſam facultatem puram* ſuam ſub cenſum vocet, vt cognoſcat, an ratio quidpiam arroganter faciat (quod vſu euenit in contemplatiua). Etenim, ſi, qua ratio pura, vere practica eſt, ſuam ſuorumque conceptuum realitatem re ipſa probat, omnisque contra poſſibilitatem illius argutatio fruſtra erit.

Cum hac facultate nunc etiam ſtat *libertas* transſcendentalis, eaque illo ſignificatu abſoluto, quo ea opus habebat ratio contemplatiua in vſu conceptus cauſalitatis, vt ſe contra antinomiam tutam praeſtaret, in quam neceſſario incidit, cum in ſerie colligationis cauſarum cogitare vult *abſolutum*, quem conceptum vero ea modo problematice poterat, qua cogitatu haud impoſſibilem, proponere, neque illius tamen realitatem obiectiuam ſeruare, ſed ſolummodo, vt ne putatitia impoſſibilitate eorum, quam certe cogitari poſſe, neceſſe eſt, concedi, in re ſua impugnetur atque in voraginem ſcepticiſmi praecipitetur.

Conceptus libertatis, quatenus eius realitas lege rationis practicae probata eſt, *lapis* quaſi qui-

dam *angularis* est systematis rationis purae, ipsius contemplatiuae, omnesque alii conceptus (dei et immortalitatis), qui, qua solae ideae, in hac dissoluti videntur, nunc sese cum eo coniungunt cum eoque et per illum consistunt, realitatemque obiectiuam accipiunt, id est, eorum *possibilitas* eo *probatur*, quod exstat libertas; haec enim idea sese manifestat per legem moralem.

Est vero etiam omnium idearum rationis contemplatiuae libertas vna, cuius possibilitatem *scimus* ex anticipatione, neque eam tamen perspicimus; est ea enim legis, quam nouimus, moralis conditio *). Sed ideae *dei* et *immortalitatis* non sunt conditiones legis moralis, sed modo leges rei necessariae voluntati subiectae per hanc legem determinatae, hoc est, solius vsus practici purae nostrae rationis; ergo idearum illarum, ne dicam, exsistentiam, sed ne possibilitatem quidem *cognoscere* nosmet ac *perspicere*, possumus perhibere. Nihilominus tamen conditiones voluntatis

*) Ne nos putemur nobis *haud constare*, cum in praesenti libertatem dicimus conditionem legis moralis, in ipsaque postea tractatione adserimus, legem moralem versari in conditione, qua demum efficitur, vt nostrae nos libertatis fieri *conscii* queamus, monebimus, sane libertatem esse rationem *essendi* legis moralis, sed legem moralem rationem *cognoscendi* libertatis. Nam, nisi lex moralis in ratione nostra prior distincte cogitata foret, nobis numquam putaremus competere, vt rem talem, qualis libertas est (quamquam haec sibi haud quaquam repugnat) *sumamus*. Quodsi autem nulla libertas esset, lex moralis in nobis *neutiquam deprehenderetur*.

moraliter determinatae ad rem ſibi ſubiectam ex anticipatione ei datam (ſummum bonum) adhibendae ſunt. Ergo poſſibilitas illarum hocce reſpectu practico et poteſt *ſumi* et debet, quamquam eas theoretice nec agnoſcimus, nec perſpicimus. Reſpectu practico ſatis erit, iis nullam impoſſibilitatem internam (repugnantiam) contineri. Hic igitur argumentum eſt eliciendi adſenſus rationi contemplatiuae quidem tantummodo *ſubiectiuum*, quod vero itidem purae, ſed practicae rationi *obiectiue* valet, quo dei immortalitatisque ideis interueniente libertatis conceptu realitas impertitur et ius, quid? quod ſubiectiua eas ſumendi neceſſitas, neque eo tamen ratio in cognitione theoretica amplificatur, ſed modo, quae antea *problema* erat poſſibilitas, hic *adſertio* fit, datur, atque ita vſus rationis practicus cum elementis theoreticis coniungitur. Atque ea quidem neceſſitas haud fere hypothetica eſt, conſilii cuiusdam *ad libidinem* ſtatuti contemplationis, vt aliquid ſumatur, ſi ad perfectionem vſus rationis in contemplando velis *adſcendere*, ſed *legalis*, aliquid ſumendi, ſine quo fieri non poteſt id, quod neceſſario *debet* pro fine et agendi et omittendi proponi.

Ac ſane quidem rationi contemplatiuae gratius foret, ſi per ſe poſſet ſine hac ambage illa problemata ſoluere, eaque qua cognitiones ad vſum practicum ſeruare; nec vero ſors tam fauſta eſt facultatis noſtrae contemplandi. Illis, qui de cognitionibus tam ſublimibus gloriantur, conueniret eas haud retinere, ſed palam examinandas aeſtimandasque proponere. Cupiunt *demonſtrare*:

age! demonſtrent, et Critica iis victoribus totam armaturam deponet.

Quid ſtatis? Nolint. Atqui licet eſſe beatis. —

Cum igitur reapſe nolint, quoniam, opinor, non poſſunt, ad illas nobis reuertendum videtur, vt conceptus *dei*, *libertatis* *immortalitatisque*, quorum *poſſibilitatem* contemplatio haud ſatis poteſt euincere, in vſu rationis morali quaeramus, in eoque conſtituamus.

Hic demum etiam aenigma critices aperitur, quomodo *vſui categoriarum* transſcendentali in contemplando, *realitas* obiectiua *denegari* queat, ſed iis tamen, ratione rei rationi purae practicae ſubiectae, haec eadem *realitas concedi*; antea enim, dum eiusmodi vſum practicum non niſi ex ſolo nomine noueris, ſpeciem *inconſtantiae* habeat, neceſſe eſt. Quodſi autem nunc per plenam huius analyſin intellexeris, realitatem illam hic nullam prorſus theoreticam ſpectare *determinationem categoriarum* cognitionemque ad ea, quae ſenſibus inacceſſa ſunt, amplificandam, ſed tantummodo indicari, iis hocce reſpectu vbique *rem obiectam* competere; quoniam eae aut in determinatione voluntatis neceſſaria ex anticipatione continentur, aut cum re huic ſubiecta arctiſſime coniunctae ſunt, illa inconſtantia prorſus euaneſcit; propterea, quod conceptibus illis aliter hic vtimur, quam opus habet ratio contemplatiua. Contra antea vix exſpectanda et admodum idonea confirmatio *ingenii ſibi conſtantis* critices contemplatiuae in eo emergit, quod, cum hanc vidimus inculcare, res ex-

perientiae obnoxias, qua tales, in iisque noſtrum ipſorum ſubiectum tantummodo *phaenomena* eſſe, iis tamen nihilominus res per ſe ipſas conſtitutas, proinde non omnia, quae ſenſus ſuperant, in figmentis poni, conceptumque eorum haud vanum atque inanem reputari debere, ratio practica per ſe ipſa, nullo cum contemplatiua conſilio inito, rei ſenſus ſuperanti cuipiam ſubiectae categoriae colligationis cauſarum, nempe *libertati* realitatem impertit, (quamquam, qua conceptui practico, etiam duntaxat ad vſum practicum) proinde ea, quae ibi modo *cogitari* poterant, per factum quoddam confirmat. In quo quidem mira illa, licet indubitata, critices contemplatiuae adſertio, quae ponit vel *ipſum ſubiectum cogitans*, *in viſione interna*, *ſolum ſibi phaenomenon eſſe*, in critica rationis practicae, prorſus confirmatur, ita, vt in eam incidas, neceſſe ſit, etiamſi illa prior hanc ſententiam neutiquam probaſſet *).

Ex quo quidem intelligo, quare grauiſſima contra criticen dubia, quae mihi huc vsque innotuerunt, in his ipſis duobus cardinibus vertantur: nimirum *partim* in realitate obiectiua categoria-

*) Coniunctio cauſalitatis, qua libertatis, cum cauſalitate, qua mechaniſmo naturae, quarum prior illa per legem moralem, altera per legem naturalem, et quidem in vno eodemque ſubiecto, in homine, certa eſt, fieri non poteſt, niſi hunc (hominem) reſpectu illius (ſubiecti) qua natura per ſe ipſa, et huius (hominis) qua phaenomeni, illud in conſcientia *pura*, hoc in *empirica*, repraeſentes. Alias pugna rationis cum ſe ipſius nullo modo poterit euitari.

rum ad νοούμενα adhibitarum, in cognitione theoretica negata, ſed in practicis adſerta, *partim* in miro praecepto illo, vt nosmet qua ſubiectum libertatis faciamus νοούμενον, ſimul vero etiam reſpectu naturae phaenomenon conſtituamus in noſtra ipſorum conſcientia empirica. Namque, quam diu nullam certam determinatamque cogitationem haberes et moralitatis et libertatis, haud poteras diuinare, partim quid phaenomeno velis qua noumenon conſtituere, partim, an omnino fieri queat, vt cogitationem eius animo informemus, ſi antea omnes intelligentiae purae conceptus in vſu theoretico ſolos iam meris phaenomenis tribuiſſes. Sola perfecta critica rationis practicae has omnes calumnias tollere poterit, ingeniumque ſibi conſtans, quod in praecipua illius laude ponitur, illuſtrare.

Haec ſufficiant ad docendum, quare in hoc opere conceptus et decreta rationis purae contemplatiuae, quae iam peculiarem ſunt criticen experta, hic paſſim denuo examini ſubiiciantur, quod alias haud ita decet iter ſcientiae conſtituendae (cum rerum iudicatarum merito mentio fieri debeat, neque eae vero rurſus moueri), *hic* tamen licitum, quin neceſſarium fuit; quoniam ratio cum conceptibus illis in transitu ad longe alium, quam qui *illic* ei erat, vſum conſideratur. Verum eiusmodi transitu neceſſaria redditur comparatio vſus antiquioris cum recentiori, vt recens orbita a priſca probe discernatur, ſimulque contextus eorum adpareat. Igitur eiusmodi inueſtigationes, in iisque in primis eam, quae rurſus in conceptu libertatis verſatur, ſed in vſu rationis purae practico, haud

inſtar epiſodiorum conſiderabis, quibus modo lacunae expleantur ſyſtematis critici rationis contemplatiuae (hoc enim e conſilio ſuo plenum eſt et abſolutum), et, quod in properata aedificatione fieri ſolet, poſthac fulcra et columnae adſtruantur, ſed qua vera membra et genuina, quibus contextus ſyſtematis oculis obiicitur, conceptusque, qui illic modo problematice poterant oſtendi, nunc in forma ſua reali perſpiciantur. Quae modo monuimus, potiſſimum attingunt conceptum libertatis, quem multos miramur gloriari ſe perſpicere, eiusque poſſe poſſibilitatem explicare, quippe quem reſpectu tantum pſychologico conſiderent, cum tamen, ſi antea illum reſpectu transſcendentali adcurate contemplati eſſent, cum *neceſſitatem* illius, qua conceptus problematici, in vſu rationis contemplatiuae perfecto, tum plenam quoque eius *incomprehenſibilitatem* cognoſcere, quemque ſi poſtea ad vſum practicum transferrent, in illam ipſam huiusce determinationem ratione principiorum eius ſponte incidere oportuiſſet, quod alias lubenter perhibent facere. Conceptus libertatis offendiculum eſt vniverſis *empiriſtis*, ſed etiam clauis principiorum practicorum maxime ſublimium philoſophis *criticis* moralibus, qui eo intelligunt, ſe neceſſario agere *ad rationem* oportere. Quapropter rogo lectorem, ne, quae in fine analytices de hoc conceptu dicentur, leuiter perluſtret.

Atque eiusmodi ſyſtema, quod hic de ratione pura practica ex critica rationis practicae euoluitur, vtrum plus an minus negotii exhibuerit, quo maxime, vnde totum rite delineari poſſit, ſtatio inuenia-

tur, eorum laborum peritis diiudicandum permittendum videtur. Ponit illud quidem *constitutionem metaphysices morum*, sed solum quatenus haec principium officii ostendit, eiusque formulam determinatam indicat ac probat; caeteroquin per sese ipsum consistit. Quare *diuisio* omnium partium scientiae practicae non adiuncta fuerit, quod tamen factum est in critice rationis contemplantis, caussae possunt rationesque in natura huiusce facultatis rationalis practicae deprehendi. Nam determinatio officiorum specialis, qua officiorum humanorum, ad ea diuidenda, fieri duntaxat poterit, si antea subiectum huius determinationis (homo), pro ea, qua vere est, natura, quamquam modo quantum respectu officii vniuerse opus videtur, cognitum fuerit; haec autem non pertinet ad criticen rationis practicae vniuerse, quae sola debet principia possibilitatis illius, compagisque ac terminorum plene ostendere, nulla habita ratione peculiari ad naturam humanam. Igitur descriptio hoc loco facit ad systema scientiae, non vero ad systema critices. —

Cum de determinatione agitur peculiaris cuiuspiam facultatis animae humanae, secundum fontes illius, materiamque, ac terminos, tum quidem, pro natura cognitionis humanae, non nisi a *partibus* illius earumque adcurata et (quantum pro iis, quae nunc sunt, elementis illius nobis iam partis) plena ostensione poterit institui. Sed adhuc aliud attentionis genus est, magis philosophicae et *architectonicae;* nempe vt *idea totius* rite adprehendatur, ex eaque omnes partes ac

ſingulae in mutua illarum ad ſe inuicem relatione, deriuandis iis a conceptu illius totius, in facultate pura rationali conſideretur. Quae quidem exploratio cautioque eſſe tantummodo per notitiam poterit ſummam ſyſtematis, quique ratione inueſtigationem priorem neglexerunt, proinde non operae pretium duxere, eam ſibi notitiam comparare, ad gradum alterum non perueniunt, nimirum ad perſpicientiam, quae in reditu cernitur ſynthetico ad ea, quae prius data fuerant analytice, nec mirum eſt, ſi vbique inconſtantiam reperiant, quamque quae per hanc exſpectari poſſent, lacunae haud in ipſo ſyſtemate deprehendantur, ſed in ſolo eorum peculiari cogitandi itinere disſoluto, nec cohaerente.

De hac tractatione non vituperium metuo *nouae linguae* introductae, propterea quod hic genus cognitionis ſponte ad popularitatem propius accedit. Quod quidem opprobrium et nemini reſpectu critices rationis contemplatiuae poterat in mentem venire, qui eam non ſolum peruoluiſſet, ſed cogitando pertractaſſet. Noua verba procudere, cum linguae haud deſit copia verborum datis conceptibus conuenientium, puerile eſt, quo quidam in multis, ſi non nouis cogitatis et veris, tamen nouo panno veteri veſti adſuto, conantur ſeſe inſignire. Quodſi igitur lectores illius libri vocabula norint magis popularia, ſed perinde cogitatis idonea, quam illa mihi videntur, aut vere vanitatem ipſorum cogitatorum illorum, proinde ſimul cuiusque verbi illud denotantis; permagnam illa re a me gratiam inibunt, volo enim intelligi;

altero vero de philosophia egregie merebunt. Quam diu autem illae sententiae integrae manebunt, vehementer dubito, eos aptiora magisque vsu trita vocabula inuenturos fore *).

*) Magis quoque passim metuenda videtur calumnia ratione quorumdam verborum, summa diligentia lectorum, vt quo ea spectant, conceptus ne praetereatur. Sic in tabula categoriarum rationis *practicae*, in titulo modalitatis, *licitum* et *illicitum* (practice obiectiue possibile et impossibile) in vulgari loquendi consuetudine fere eumdem sensum habet, quem proxima categoria *officii* et *officio contrarii*; sed hoc loco *prius* debet illud notare, quod cum praecepto practico mere *possibili* conuenit vel pugnat (quemadmodum fere solutio omnium problematum geometriae et mechanices), *alterum posterius* autem, quod in eiusmodi relatione est ad legem quantam in ratione vniuerse *vere* sitam; idque significationis discrimen vel communi verborum vsui non prorsus alienum est, quamquam aliquantum inusitatum. Sic, verbi causa, oratori, qua tali, *illicitum* est, noua verba, nouasque verborum constructiones procudere; sed poetae quodammodo *licitum* erit; in neutro hic cogitatur de officio. Namque qui perdere vult famam oratoris, is a nemine poterit prohiberi. Tantummodo hic de ratione determinante agitur *imperatiua* et *problematica*, itemque *adsertoria* et *apodictica*. Pariter in nota, qua ideas morales perfectionum practicarum in diuersis philosophorum scholis comparaueram, ideam *sapientiae* ab idea *sanctitatis* distinxi, quamuis eas proprie atque obiectiue pro vno eodemque declaraui. Verum hoc loco eam tantummodo sapientiam intelligo, quam sibi homo (Stoicus) arrogat, ergo *subiectiue* qua proprietatem homini adfictam. (Fortasse vocabulum *virtutis*, quod pariter Stoicis celebratum est, melius eius scholam distingueret). Sed vocabulum *postulati* rationis purae practicae omnium maxime poterat causam dare calumniae, si cum eo vis

Hoc itaque modo principia ex anticipatione duarum animi facultatum, et cognoſcendi, et adpetendi, forent inuenta, et, quoad conditiones, compagem, et terminos vſus ſui determinata, eoque vero philoſophia ſyſtematica, tam theoretica, quam practica, qua ſcientia, conſtituta.

Nihil autem prius hisce conatibus accidere poſſe, quam ſi quis inopinato aperiret, nullam omnino cognitionem ex anticipatione eſſe, nec eſſe poſſe. Quod vero non metuendum erit. Namque perinde eſſet, ac ſi quis per rationem euincere velit, nullam omnino rationem eſſe. Etenim nos per rationem quidpiam cognoſcere dicimus, cum nobis conſcii ſumus, nos illud ſcire potuiſſe, etiamſi id haud ita in experientia obuium fuiſſet; proinde cognitio rationalis eadem eſt, quae cognitio ex anticipatione. Ex enunciato empirico neceſſitatem

notioque confunderetur, quam poſtulata habent matheſeos purae quaeque certitudinem apodicticam in ſe cohibent. Verum haec poſtulant *poſſibilitatem actionis*, cui quae ſubiecta eſt, rem ex anticipatione theoretice cum plena certitudine qua *poſſibilem* prius cognouimus. Sed illud poſtulat poſſibilitatem ipſius *rei obiectae* (dei et immortalitatis animorum) e legibus apodicticis *practicis*, proinde duntaxat in gratiam rationis practicae; vbi ea certitudo poſſibilitatis poſtulatae neutiquam theoretice, nec proinde apodictice, id eſt, reſpectu rei obiectae cognita neceſſitas eſt, ſed reſpectu ſubiecti, obtemperandis legibus illius obiectiuis, ſed practicis, neceſſaria ſumtio, proinde tantummodo hypotheſis neceſſaria videtur. Neque verbum aptius inuenire poteram, quod melius ſubiectiuae illi, ſed tamen verae abſolutaeque neceſſitati rationali conueniret.

(ex pumice aquam) exprimere velle, cum eaque et veram vniuerſalitatem (ſine qua nulla ratiocinatio, proinde nec argumentatio ex analogia, quae certo praeſumta vniuerſalitas eſt et obiectiua neceſſitas, ideoque hanc ſemper ponit) iudicio cuipiam conciliare, aperte pugnat. Neceſſitatem ſubiectivam, id eſt, conſuetudinem, pro obiectiua, quae ſolum in iudiciis ex anticipatione locum habet, ſupponere, eſt rationi facultatem abnegare, de re obiecta iudicandi, id eſt, ea, quaeque illi competant, cognoſcendi, et veluti de eo, quod ſaepenumero et ſemper certum quemdam ſtatum ſequitur antegreſſum, non dicere, poſſe ex hoc ad illud *concludi* (hoc enim neceſſitatem obiectiuam denotaret conceptumque coniunctionis cuiuspiam ex anticipatione), ſed modo cauſas ſimiles (ſimiliter cum beſtiis) exſpectari debere, hoc eſt, conceptum cauſae vt funditus falſum ſolamque fallaciam cogitationum, reiicere. Neque enim iſti defectui valoris obiectiui, quique inde efficitur, vniuerſalis eo poteris mederi, quod haud cauſam videas, quare aliis naturis ratione praeditis alius poſſit repraeſentandi modus attribui; quod enim ſi recte colligeretur, noſtra ignorantia maius cognitioni noſtrae incrementum adferret, quam omnis inueſtigatio. Nam ſolum idcirco, quod alias naturas ratione praeditas praeter hominem haud nouimus, ius haberemus, eas ſic ſumendi, vti nosmet ipſi cognoſcimus, id eſt, eas reapſe cognoſceremus. Hoc loco ne quidem monebo, non vniuerſalitate adſenſus valorem obiectiuum cuiuspiam iudicii euinci, ſed etiamſi illa fortuito accideret, ea tamen nondum effici poſſe argumentum concentus cum re

obiecta; potiusque solo valore obiectiuo rationem effici concentus necessarii vniuersalis.

Atque in hoc systemate *empirismi* vniuersalis etiam *Humius* valeret egregie; cum enim constat voluisse, vt pro vniuersa necessitatis significatione obiectiua in conceptu causae, modo subiectiua, nimirum consuetudo acciperetur, quo rationi omnem de deo, libertate atque immortalitate iudicandi potestatem derogaret; et erat permagnus artifex, in consequentibus e principiis concessis cum summa logica subtilitate eliciendis. Verum ipse *Humius* haud fecit empirismum tam vniuersalem, vt eo et mathesis includeretur. Huius quidem enunciata putauit analytica, eaque, si hoc verum esset, sane et apodictica forent, inde tamen nulla posset effici conclusio ad facultatem rationis, etiam in philosophia iudicia apodictica statuendi, hoc est, ea, quae synthetica forent (velut decretum causalitatis). Quodsi autem empirismus principiorum vniuersalis statueretur, tum etiam mathesis eo implicita foret.

Si igitur haec cum ratione, quae solum decreta concedit empirica, in antinomiam incidit, quod in antinomia non potest euitari, vbi mathesis infinitam spatii diuisibilitatem euidentissime euincit, quam empirismus concedere non potest; quanta potest esse maxima demonstrationis euidentia aperte pugnat cum conclusionibus putatitiis e principiis experientiae, iamque, quemadmodum caecus ille *Cheseldenii*, oportebit, quaeramus; ecquonam fallor, visune an tactu? (namque empirismus in necessitate *tactu* percepta positus est, sed rationa-

lismus in *perspectu.*) Atque ita empirismus vniversalis sese manifestat vt verum ac genuinum *scepticismum*, quem *Humio* falso tribuerunt in tam illimitata significatione, qui tamen certe experientiae in mathesi certum lapidem Lydium reliquit, cum ille nullam prorsus illius obrussam (quae semper duntaxat in principiis potest ex anticipatione inueniri) concedat, quamquam haec tamen non in solis tactibus consistit, verum etiam in iudiciis.

Verum tamen cum in hac aetate philosophica et critica difficulter in illo empirismo agi serio possit, isque sine dubio ad exercendam iudicandi vim proponatur, vtque necessitas principiorum rationalium ex anticipatione eo magis eluceat: a nobis poterunt gratiam inire, qui velint operam nauare in hac re alioquin haud ita vtili.

CONSPECTVS
CRITICES RATIONIS PRACTICAE.

CAPVT SECVNDVM.

CAPVT TERTIVM.

LIBER SECVNDVS.

DIALECTICA RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

CAPVT PRIMVM.

CAPVT SECVNDVM.

PARS POSTERIOR.

CONSPECTVS

MOMENTVM SECVNDVM

IVDICII GVSTVS.

MOMENTVM TERTIVM

IVDICII GVSTVS, QVOAD FINIVM RELATIONEM, QVAE IN EO SVB RATIONEM VOCATVR.

DEDVCTIO IVDICIORVM AESTHETICORVM PVRORVM.

SECTIO POSTERIOR.

DIALECTICE FACVLTATIS IVDICANDI AESTHETICAE.

PARS POSTERIOR

CRITICE FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.

SECTIO PRIOR.

ANALYTICE FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.

SECTIO POSTERIOR.

DIALECTICE FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.

ADPENDIX. METHODOLOGIA FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.

INSTITVTIO

DE

IDEA CRITICES RATIONIS PRACTICAE.

Vſum rationis theoreticum vidimus in rebus occupari ſoli ſubiectis facultati cognoſcendi, eiusque criticam, reſpectu huiusce vſus, proprie modo attingere facultatem cognoſcendi puram, quoniam haec ſuſpicionem mouebat, poſtea etiam confirmatam, facile poſſe fieri, vt ea vltra terminos, in rebus inacceſſis, vel adeo in conceptibus pugnantibus, oberret. Aliter cum vſu practico rationis comparatum videtur. In hoc ratio occupatur in cauſis voluntatem determinantibus, quae in facultate cernitur res obiectas repraeſentationibus congruas aut producendi, aut certe ſe ipſam, ad eas efficiendas (ſiue idonea facultas phyſica ſit, ſiue non) id eſt, cauſalitatem ſuam, determinandi. Ibi enim ratio eſſe idonea poteſt ad voluntatem determinandam, et, quatenus modo a voluntate pendet, ſemper realitate obiectiua gaudet. Hic igitur primo quaeritur: vtrum ratio pura ad voluntatem determinandam per ſe ſola idonea ſit, an qua empirice conditioni adſtricta cauſa determinans videatur. Iam hic conceptus quidem cauſalis, a critica rationis purae defenſus, quamquam nullius expoſitionis empiricae capax, ſeſe oſtendit, ſcilicet conceptus *libertatis*, et ſi in praeſenti poſſimus aperire rationes, quibus probetur, hanc proprietatem voluntati humanae (et ita quoque voluntati cuiusque naturae rationisque) reapſe competere, eo non ſolum vincetur, rationem puram eſſe practicam poſſe, ſed eam ſolam, non vero empirice adſtrictam, abſolute practicam eſſe. Ergo nobis non critica rationis *purae practicae*, ſed modo rationis *practicae* vniuerſe nobis elaboranda videbitur. Namque ratio pura, ſi modo primum demonſtratum fuerit, eam eſſe, nulla critica indiget. Ea ipſa normam critices vniuerſi vſus ſui continet. Igitur criticae rationis practicae in vniuerſum hoc munus erit, vt ratio-

nem empirice hypotheticam ab arrogantia arceat, qua ſola vult rationem ſe facere voluntatis determinandae. Vſus rationis purae, ſi, eam eſſe, conſtat, ſolum immanens eſt; vſus empirice hypotheticus, qui ſummam ſibi rerum arrogat, contra eſt transſcendens, et ſe exſerit in poſtulationibus praeceptisque, ditionem illius prorſus transmigrantibus, quod ipſum quidem in ratione verſatur conuerſa eorum, quae de ratione pura in vſu contemplatiuo dici poterant.

Interim tamen, cum ea ratio pura ſit, cuius cognitio hoc loco vſui practico fundamento ſubeſt, nihilominus partitio critices rationis practicae, ſecundum formam vniuerſalem, diuiſioni critices rationis contemplantis convenienter inſtitui debebit. Quamobrem *doctrina elementaris* illius et *methodologia* erit, illa, qua parte priori, *analytica*, qua regula veri, et *dialectica*, qua delineatio ſolutioque putatitii in iudiciis rationis practicae continebitur. Sed ordo in ſubdiuiſione analytices rurſus conversa erit ratio critices rationis purae contemplatiuae. Namque in ea, quam nunc tractandam nobis propoſuimus, a *decretis* atque principiis profecti ad *conceptus*, ab his vero, ſi fieri poterit, ad ſenſus progrediemur; cum contra nobis, in ratione contemplatiua a ſenſibus exorſis, in principiis finiendum eſſet. Cuius quidem cauſa rurſus in eo eſt, quod nunc nos in voluntate occupamur, ratioque non in relatione ad res obiectas, ſed ad hanc voluntatem eiusque cauſalitatem ſub deliberationem cadit, vbi decreta cauſalitatis empirice abſolutae capere initium oportet, ex quibus fieri periculum poterit, conceptus noſtros de ratione determinante eiusmodi voluntatis, eorumque ad res obiectas vſu, et tandem ad ſubiectum eiusque facultatem ſenſitiuam, demum conſtituendi. Lex cauſalitatis ex libertate, id eſt, vllum quodpiam decretum purum practicum, neceſſario hic initium capit, obiectasque res determinat, ad quas illud ſolum poteſt referri.

CRITICES RATIONIS PRACTICAE

PARS PRIOR.

DOCTRINA ELEMENTARIS

RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

LIBER PRIMVS.

ANALYTICE
RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

CAPVT PRIMVM.

DE
DECRETIS
RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

§. 1.
Definitio.

Decreta practica ſunt pronunciata, quae determinationem voluntatis continent vniuerſalem, cui plures ſubſunt regulae practicae. Ea ſunt ſubiectiua, ſiue *leges priuatae* ſeu *normae* (*maximes*), cum conditio ſolum qua ad voluntatem ſubiecti valens ab ea ſpectatur, vel *leges* practicae, cum illa qua obiectiua, hoc eſt, ad cuiusque naturae rationisque voluntatem valens agnoſcitur.

Scholion.

Quodſi ſumſeris, rationem *puram* in ſe cauſam poſſe practice, id eſt, ad voluntatem determinandam idoneam continere, leges erunt practicae; ſin autem minus, cuncta decreta practica in legibus priuatis verſabuntur. In voluntate naturae rationisque pathologice commota adfectaque pugna legum priuatarum poterit cum legibus

practicis ab se agnitis deprehendi. Sic, vt hoc vtar, sibi quispiam legem ferre priuatam potest, ne vllam offensionem inultam perferat, simulque perspicere, hanc nullam legem practicam esse, sed tantummodo suam legem privatam, contra, qua regulam cuiusque naturae rationalis voluntati praescriptam in vna eademque lege priuata, secum ipsam non posse conuenire. In cognitione naturali eorum, quae fiunt, principia (velut principium aequalitatis actionis et reactionis in communicando motu) simul sunt leges naturae; siquidem vsus rationis illic theoretice est, et per naturam rei obiectae determinatus. Sed in cognitione practica, id est, ea, quae solum in rationibus voluntatem determinantibus versatur, decreta, quae nobis constituimus, ideo nondum leges sunt, quibus necessario subsimus, quoniam ratio in rebus practicis agit cum subiecto, nimirum facultate appetendi, ad cuius peculiarem naturam regula potest multifariam componi. — Regula practica semper est rationis effectum, propterea quod ea actionem, qua adiumentum effecti, praecipit pro fine. Sed haec regula naturae, in qua ratio haud prorsus sola voluntatem determinat, *imperatiua* est, hoc est, regula, cuius nota est debere, quod coactionem indicat actionis obiectiuam, notatque, actionem, si ratio sola voluntatem determinaret, ad hanc regulam euenturam fore. Igitur imperatiuae valent obiectiue, et a legibus priuatis, vtpote decretis subiectiuis prorsus sunt diuersae. Illae vero aut conditiones determinant causalitatis naturae rationisque, qua causae efficientis, aut modo voluntatem, siue ea idonea ad effectum sit, siue non. Ac prioris quidem generis imperatiuae forent hypotheticae, solaeque praescriptiones solertiae; contra, quas posteriori loco descripsimus, leges forent categoricae solaeque practicae. Quamobrem leges priuatae sunt in *decretis* quidem, sed non in *imperatiuis*. Ipsa imperatiua autem, si cum adiunctione sunt et hypothetica, hoc est, si voluntatem haud simpliciter absoluteque qua voluntatem determinant, sed solummodo cuiuspiam appetiti effecti respectu, siue si imperatiua hypothetica videntur,

praescriptiones quidem practicae erunt, sed nullae *leges*. Ac leges quidem, necesse est, vt voluntatem determinent idonee qua voluntatem, ante quam quaeram, an facultate polleam ad expetitum effectum necessaria, quidue, vt id producam, mihi agendum videatur, proinde vt categoricae sint, alioquin eae nec leges erunt; propterea quod carent necessitate, quas, si esse practica debet, a conditionibus pathologicis, proinde voluntati fortuito adhaerentibus esse liberas, oportebit. Velut si quis dicat, iuueni laborandum esse reique parcendum, vt ne senex inopiam perpetiatur: praeceptio haec erit vera, eademque grauissima voluntatis practica. Sed facile intelligitur, voluntatem hic ad *aliud* quid amandari, quod sumitur expeti, eaque appetitio agenti ipsi permittenda est, vtrum, praeter rem sibi per se partam, et alia adiumenta praeuideat, an plane senectutem attingere desperet, an posse se tenui contentum aliquando viuere cogitet. Ratio, ex qua sola omnis, quae necessitatem contineat, regula exsistere potest, in hanc praescriptionem suam etiam quidem necessitatem iniicit, (quippe, qua si careret, non foret ea in imperatiuis,) verum haec duntaxat subiectiue hypothetica est, eaque non potest in omnibus subiectis sumi gradu aequali. Sed ad legislationem illius requiritur, vt solum *se ipsam* sumere opus habeat, quoniam tunc modo obiectiue atque vniuerse regula valet, cum sine conditionibus subiectiuis valet fortuitis. Iam praecipiatis cuipiam, ne vnquam mendaciter polliceatur, haec regula erit, quae solam illius voluntatem attingit; siue, quae sibi proposita homo habet, consilia attingi queant, siue non; solum velle erit, quod per regulam illam prorsus debeat ex anticipatione determinari. Quodsi igitur eueniat, vt haec regula practice vera videatur, lex ea erit, eo quod ea in imperatiuo categorico versatur. Ergo leges practicae solum voluntatem spectant, nullo habito respectu eorum, quae per eius causalitatem efficiuntur, et ab hac posteriori (qua ad mundum pertinente sensibilem) cogitationem abducere possumus, vt eam puram habeamus.

§. 2.

Theorema. I.

Vniuerſa principia practica, quae *rem* ſumunt facultati appetendi ſubiectam (materiam) qua rationem voluntatis determinandae, cuncta empirica ſunt, nec pro legibus eſſe practicis poſſunt.

Materiam facultatis appetendi rem obiectam dico, cuius exſiſtentia expetitur. Si appetitus huiusce rei obiectae regulam practicam antecedat, conditioque ſit, qua ea principium conſtituatur, aio (*primo*), tum ſemper hocce principium empiricum videri. Namque ratio determinans arbitrii tum in repraeſentatione verſatur obiectae rei, in eaque ad ſubiectum adſectione, qua facultas appetendi ad id efficiendum determinatur. Sed eiusmodi ad ſubiectum adſectio dicitur *oblectatio* de exſiſtentia obiectae rei. Ergo hanc, neceſſe foret, qua poſſibilitatem determinationis arbitrii ſumi. Sed nullius obiectae rei repraeſentatio, quae illa cumque ſit, vtrum cum *oblectatione*, au *taedio* coniuncta futura ſit, an ad *neutram partem* propenſa, poterit ex anticipatione cognoſci. Ergo tunc ratio arbitrii determinans ſemper empirica ſit, neceſſe eſt, proinde etiam, quod eam qua conditionem ſumebat, practicum principium materiale.

Iam cum (*ſecundo*) principium, quod ſolum poſitum eſt in conditione ſubiectiua receptiuitatis oblectationis taediiue, (quae ſemper poſſunt duntaxat empirice cognoſci, nec ad vniuerſas naturas rationales aequaliter valere,) ſubiecto quidem, quod eam habet, *legi priuatae* inſeruire poſſit, verum etiam huic ipſi (quoniam illi deeſt obiectiua neceſſitas, quae debet ex anticipatione cognoſci,) non *legi* eſſe poſſit, ſequitur, vt eiusmodi principium nequeat vnquam lex practica videri.

§. 3.

Theorema II.

Vniuerſa principia materialia practica, qua talia, cuncta ſunt vnius eiusdemque generis, principioque ſubſunt vniuerſali amoris felicitatisque ſui ipſius.

Oblectatio ex repraesentatione exsistentiae cuiuspiam rei, quatenus esse ratio debet determinans huiusce rei appetendae, posita est in *receptiuitate* subiecti, siquidem ea ex exsistentia *pendet* cuiuspiam rei obiectae; proinde ad sensum (tactum) pertinet, non vero ad intelligentiam, quae relationem repraesentationis *ad rem obiectam*, ex conceptibus, non vero ad subiectum ex tactibus enunciat. Ergo ea tantummodo practica est, quatenus, quam de exsistentia obiectae rei subiectum exspectat, suauitatis sensatio determinat appetendi facultatem. Atqui conscientia, quam habet natura ratioque, suauitatis vitae, totam eius exsistentiam perpetuo comitantis, *felicitas* est, principiumque hanc sibi summam arbitrii rationem determinantem constituendi, principium est philautiae. Ergo omnia principia materialia, quae rationem determinantem arbitrii in oblectatione taedioue ponunt, ex vllius cuiuspiam rei obiectae exsistentia sensu percipienda eatenus prorsus de *genere eodem* sunt, quod cuncta ad principium philautiae pertinent, vel propriae felicitatis.

Consectarium.

Omnes regulae practicae materiales rationem voluntatis determinantem in *facultate* ponunt *appetendi inferiori*, et, si nullae prorsus *leges* forent illius *solum formales*, quae voluntatem idonee determinarent, *nulla* quoque posset *facultas appetendi superior* concedi.

Scholion I.

Mirum videtur, homines alioquin acutos inter *facultatem appetendi superiorem* et *inferiorem* discrimen putare in eo inueniri, vtrum *repraesentationes*, cum tactu iucunditatis coniunctae ex *sensibus* oriantur, an ex intelligentia. Neque enim, cum rationem determinantem quaerimus appetitionis, eamque in quapiam iucunditate ponimus, ex vlla re quapiam exspectata, spectatur vnde *repraesentatio* huiusce rei oblectantis oriatur, sed tantummodo, quantopere ea *oblectet*. Quodsi repraesentatio, cui sane sedes atque origo in intelligentia sit, arbi-

trium poſſit eo ſolummodo determinare, vt tactum ponat in ſubiecto iucunditatis, vt ea ratio ſit determinans arbitrii, prorſus ex natura ſenſus interni pendebit, vt hic ſcilicet ſuauitate queat adfici ac permulceri. Repraeſentationes obiectarum rerum quantumuis inaequales ſint, ſiue repraeſentationes intellectuales ſint, ſiue rationales, contrariae ſenſitiuis, tamen iucunditatis tactus, quo illae tamen proprie ſolo efficiunt rationem voluntatis determinantem, (ſuauitas, oblectatio, quam inde exſpectamus, quae actiuitatem ſtimulat ad rem obiectam producendam,) non ſolum, quatenus ſemper poteſt empirice cognoſci, vnius eiusdemque generis videtur, ſed etiam quatenus vnam eamdemque vim vitalem, quae in facultate appetendi ſeſe exſerit, adficit, abque hoc reſpectu ab vlla alia ratione determinanda, non niſi gradu, differre poteſt. Quomodo alias duas poſſis rationes determinantes, cogitandi modo prorſus diuerſas, quoad *quantitatem* comparare, vt, quae maxime facultatem appetendi adficit, eligas? Idem homo librum multa doctrina refertum, qui ſemel modo ſibi in manus venit, poteſt non lectum reddere, ne venationis delectationem perdat, in media oratione eleganti diſcedere, ne ſerius ad coenam veniat, ſermones vtiles et prudentes, quos alias magni facit, mittere, quo alea ſeſe oblectet, pauperem adeo atque egenum, cui alias lubenter benefacit, reiicere, quoniam in praeſenti non plus numorum crumenae inſunt, quam quod opus ſit, vt pro acceſſu ſoluat in theatro. Quodſi determinatio voluntatis in tactu poſita ſit iucundi et iniucundi, quod de vlla cauſa quapiam exſpectet, nihil prorſus illius intereſt, quo repraeſentandi modo ſe ſentiat adfectum. Modo id curat, quanta, quam diuturna, quam facile comparata, quamque ſaepius repetita haec iucunditas ſit, vt optionem decernat. Quemadmodum illius, cui aurum, quod impendat, opus ſit, nihil omnino quidquam intereſt, vtrum materia eius, aurum, e metallis effoſſum fuerit, an ex arenis lauatum, modo vbique idem illius pretium ſtatuatur, ita nemo homo, cui de ſola vitae iucunditate agitur, quaerit et inueſtigat, vtrum reprae-

ſentationes intellectuales, an ſenſitiuas, ſed *quot quantumque voluptatis* ad tempus diutiſſimum ea ſibi adferat. Illi, qui rationi purae facultatem, nullo quopiam tactu poſito voluntatem determinandi, lubenter denegaſſent, ſoli poſſunt tam longe ab ſententia ſua aberrare, vt, quae ipſi antea ad vnum idemque principium reuocaſſent, tamen poſtea prorſus disſimilia iudicent. Sic, vt hoc vtar, ex ſola *vi vtenda*, ex conſcientia animi robuſti in ſuperandis impedimentis, quae propoſito noſtro obſunt, ex colendis animi dotibus, aliisque generis eiusdem, capi voluptas poſſit, eaque iure nos gaudia *ſubtiliora* vocamus, quoniam ea magis, quam alia, in noſtra poteſtate ſunt, neque vſu deteruntur, tactum ad vlteriorem eorum fruitionem acuunt et confirmant, et, dum oblectant, etiam emendant. Verum ii, qui eas aliud genus voluntatis determinandae perhibent, quam ſolo ſenſu, cum tamen ad poſſibilitatem illarum oblectationum, tactum ponant in nobis ad eas inſitum, qua primum huiusce oblectationis conditionem, idem faciunt, quo ignari, qui libenter velint in metaphyſica male mercari, materiam ſibi adeo ſubtilem cogitatione informant, vt fere corripiantur vertigine, tumque hoc modo naturam putant *ſpiritualem* quamdam eamdemque extenſam excogitaſſe. Quodſi cum *Epicuro* in virtute ad ſolam, quam ea pollicetur, voluptatem omnia reuocant, qua voluntas determinetur: tunc illi haud poſſumus vitio vertere, quod hanc prorſus ſimilem putet craſſiſſimorum ſenſuum deliciis; neque enim erit, quod eum accuſes, quibus hicce tactus in nobis excitetur, ſolis ſenſibus corporeis attribuiſſe. Multarum ex iis fontem, quantum diuinari licet, pariter in vſu ſuperioris cognoſcendi facultatis quaeſiuit; neque hoc verum eum impediuit, nec poterat impedire, quo minus ex illo principio voluptatem ipſam, quam illae nobis repraeſentationes intellectuales largiuntur, et qua ſola poſſunt rationes eſſe voluntatem determinantes, prorſus ſimilem cenſeret. Maxime in officio philoſophi eſt, ſibi conſtare, quod tamen rariſſime vſu venit. Veterum Graecorum ſcholae plura nobis eius rei exempla proponunt,

quam quae hac noſtra aetate *ſyncretiſtica* deprehendimus, qua certum quoddam *ſyſtema* decretorum pugnantium *conciliandorum*, improbitatis vitio tenuitatisque laborans, artificioſe contexitur, propterea quod populo illud magis commendabile videtur, cui ſatis eſt, ex omnibus aliquid et in toto nihil ſcire, praetereaque ad omnia aptum videri. Principium felicitatis propriae, quantumcumque intelligentiae in eo rationisque adhibeatur, tamen nullas alias voluntatem determinantes rationes, quam quae inferiori appetendi facultati conſentaneae ſint, complecteretur, nec proinde vel vlla quaedam appetendi facultas erit, vel *ratio pura* per ſe ſola practica ſit, neceſſe eſt, hoc eſt, nullo quopiam poſito tactu, proinde ſine repraeſentationibus iucundi vel iniucundi, vtpote materiae facultati appetendi ſubiectae, quae ſemper conditio eſt empirica principiorum, per ſolam formam regulae practicae poſſit voluntatem determinare. Tum vero ratio tantummodo, quatenus per ſe ipſa voluntatem determinat, (non famula cupiditatum eſt,) vera eſt facultas appetendi *ſuperior*, cui pathologice determinabilis ſubeſt, vereque ab hac, quin ipſa *ſpecie* ab hac diuerſa, ita, vt vel minima impulſionum huiusce poſteriori admixtio robori eius et principatui deroget, quemadmodum minima ratio empirica, qua conditio in demonſtratione mathematica, eius dignitatem virtutemque deprimit ac delet. Ratio in lege practica proxime voluntatem determinat, non interueniente quodam iucundi et iniucundi tactu, non vel in hac ipſa lege, et eo duntaxat, quod ea qua ratio pura eſſe practica poteſt, efficitur, vt eſſe *legislatoria* queat.

Scholion II.

Felicem eſſe, quaeque neceſſario cupit natura ratioque ſed finita, ideoque ea re neceſſario facultas appetendi determinatur. Vniuerſa exſiſtentia ſua eſſe contentum, haud munus originarium eſt, nec beatitas, quippe qua conſcientia poneretur *αὐταρκείας* abſolutae, ſed problema per ipſam naturam finitam nobis obtruſum, quoniam indigemus, et haec indigentia materiam attinet, facul-

tatis nostrae appetendi, id est, quiddam, quod tactum spectat iucundi vel iniucundi subiectiue constitutum, quo, quae opus sunt, vt statu nostro contenti simus, determinantur. Sed ob eam ipsam caussam, quod haec ratio determinans materialis a subiecto potest solum empirice cognosci, fieri non potest, vt hoc problema qua lex consideretur, quoniam haec qua obiectiua in omnibus caussis, et vniuersis naturis *eamdem* deberet *determinandae voluntatis rationem* continere. Etsi enim conceptus felicitatis relationi practicae *rerum obiectarum* ad facultatem appetendi *vbique* fundamento sit, tamen ea tantummodo in titulo versatur vniuersali rationum determinantium subiectiuarum, neque quidquam determinat specifice, quod tamen in hoc problemate practico vnice spectatur, quod nullo modo potest sine determinatione illa expediri. Nimirum in quo quisque debeat felicitatem ponere, ex cuiusque pendet iucundi et iniucundi tactu peculiari, et vel in vno eodemque subiecto ex diuersitate necessitatum, pro eo ac variat hic tactus, atque ex *lege subiectiue necessaria* (qua lex naturalis), proinde *obiectiue* principium est practicum admodum fortuitum, quod in variis subiectis valde varium et potest esse, et oportet, ideoque numquam poterit loco legis esse, quoniam, in cupiditate felicitatis, non forma legalitatis spectatur, sed sola materia, an scilicet quantaque voluptas sit in seruanda lege exspectanda. Principia *φιλαυτίας* regulas quidem solertiae possunt vniuersalis (adiumenta ad attingendos fines inueniendi) continere, sed tum ea sunt principia solum theoretica *), velut quo modo is, qui libenter vesci pane vellet, molam debeat excogitare. Sed normae practicae, in iis constitutae, numquam poterunt vniuersa spectare,

*) Enunciata, quae in mathesi vel physica *practica* dicuntur, proprie *technica* vocari deberent. Nam de voluntate determinanda in iis doctrinis minime agitur; ea tantummodo varietatem indicant actionis possibilis, quae ad aliquod effectum edendum idonea est, ideoque pariter theoretica sunt, atque omnia pronunciata, quae colligationem caussae et effecti enunciant.

ſiquidem ratio determinans facultatis appetendi poſita eſt in tactu iucundi et iniucundi, qui numquam qua vniuerſe easdem res obiectas ſpectans, ſumi poteſt.

Sed fac, naturas finitas ratione praeditas reſpectu eorum, quae res tactibus ſuis voluptatis doloriſue ſubiectae iis accipiendae ſint, itemque adeo reſpectu ſubſidiorum, quibus vti debeant, quo illos attingant, alteros arceant, prorſus idem ſentire, tamen *principium philautiae* nullo modo poſſet pro *lege practica* cenſeri; quoniam hic concentus ipſe modo fortuitus foret. Ratio determinans tamen ſemper tantummodo ſubiectiue valeret, et ſolum empirice, neque eam neceſſitatem haberet, quae in quaque lege cogitatur, nempe obiectiuam ex rationibus ex anticipatione; niſi forte hanc neceſſitatem minime practicam dixeris, ſed ſolum phyſicam, nimirum actionem per appetitum perinde neceſſario cogi, atque gannitum, cum alios ganni conſpicimus. Poſſet potius adſeri, nullas omnino leges practicas eſſe, ſed modo *conſilia* et *ſuaſiones* in gratiam cupiditatum noſtrarum, quam vt ſolum ſubiectiua principia ad dignitatem legum practicarum eueherentur, quae prorſus obiectiuam habent, nec ſolum ſubiectiuam neceſſitatem, et per rationem debent ex anticipatione, non vero per experientiam (quantumuis ea maxime ſit empirice vniuerſalis) cognoſci. Ipſae regulae phaenomenorum conuenientium tantum modo leges phyſicae (veluti mechanicae) dicuntur, ſi eas aut reapſe ex anticipatione cognoſcas, aut certe (vti in chemicis) ſumitur, eae ex anticipatione ex rationibus obiectiuis cognoſcerentur, ſi perſpicientia noſtra profundius penetraret. Verum principiis practicis ſolum ſubiectiuis, expreſſe praecipitur, vt nullae conditiones obiectiuae, ſed ſubiectiuae arbitrii fundamento ſubſint; proinde, vt ea ſemper tantummodo qua ſolae leges priuatae, numquam vero qua leges practicae liceat proponi. Hoc ſcholion poſterius primo adſpectu videtur in ſola verborum venatione verſari; verum illud in determinatione verbali cernitur diſcriminis longe grauiſſimi, quod

vmquam in inueſtigationibus practicis cadere ſub contemplationem poteſt.

§. 4.

Theorema III.

Si natura ratioque leges ſuas ſubiectiuas cogitare debeat qua leges practicas vniuerſales, poteſt eas tantummodo qua ea principia cogitare, quae non quoad materiam, ſed ſolum quoad formam, rationem contineant voluntatis determinandae.

Materia principii practici eſt res voluntati propoſita. Haec vero aut ratio eſt voluntatem determinans, aut non. Si ea eſt ratio eius determinans, regula voluntatis conditioni empiricae (adfectioni repraeſentationis determinantis ad factum iucundi et iniucundi) ſubiecta foret, proinde nulla lex practica eſſet. Atqui, omni ſeparata materia, id eſt, quaque re voluntati propoſita (qua ratione determinante) nihil quidquam de lege relinquitur, quam ſola *forma* legislationis vniuerſalis. Ergo natura rationalis aut non poteſt principia practica ſubiectiua ſua, id eſt, leges priuatas, cogitatione informare qua leges vniuerſales, aut ſumere eam, neceſſe eſt, ſola formam eorum, qua illa *legislationi vniuerſali* conueniunt, ea per ſe ſola legem practicam effici.

Scholion.

Quae forma in lege ſubiectiua legislationi vniuerſali conueniat, quae minus, id intelligentia poteſt vel maxime communis ſine inſtitutione diſcernere. Velut legem mihi priuatam conſtitui, vt rem familiarem quibuscumque modis indubitatis augerem. Iam in manibus meis *depoſitum* eſt, cuius poſſeſſor mortuus eſt, nullo chirographo illius relicto. Id quod per ſe ad illam legem meam quadrat. Iam ſolum ſcire aueo, an illa lex priuata etiam qua lex queat practica vniuerſalis valere. Igitur eam illam ad cauſam praeſentem transfero, quaeroque, an formam ea legis recipere poſſit, proinde per

legem meam priuatam ſimul eſſe eiusmodi lex queat, qua cuique liceat depoſitum negare, quod creditum eſſe nemo probare poteſt. Continuo animaduerto, eiusmodi principium, qua legem, ſe ipſum ſublaturum fore, propterea eo efficeretur, nullum omnino depoſitum eſſe. Lex practica, quam qua talem agnoſco, ad legislationem vniuerſalem, neceſſe eſt, idonea ſit. Hoc pronunciatum eſt ex ſe connexum ideoque per ſe clarum et manifeſtum. Si igitur voluntatem meam ſubeſſe dicam legi *practicae*, non potero inclinationem meam (verbi cauſa in hoc caſu auaritiam meam) qua rationem illam determinantem legi practicae vniuerſali idoneam adducere: tantum enim abeſt, vt haec ad legislationem vniuerſalem idonea ſit, vt potius in forma legis vniuerſalis ſe ipſam tollere, neceſſe videatur.

Quamobrem, cum felicitatis cupiditas, proinde et lex ſubiectiua, qua ſibi quisque hanc rationem facit determinandae voluntatis ſuae, mirum videtur, qui factum ſit, vt viris prudentibus venire in mentem poſſet, vt eam propterea *legem practicam* perhiberent vniuerſalem. Cum enim alias lex naturalis vniuerſalis omnia conſentanea faciat, hic, ſi legi ſubiectiuae vniuerſalitas tribueretur, ipſum conſentanei contrarium, ſumma pugna totaque ipſius ſubiectiuae legis deletio, eiusque conſilii conſequeretur. Namque voluntati vniuerſorum tum non eſt vna res atque eadem propoſita, ſed ſua cuique ſubiecta eſt (ſalus propria), quae quidem fortuito, cum aliorum quoque conſiliis, quae itidem ſe ipſa ſpectant, poteſt conciliari, neque tamen ad legem idonea eſt, quoniam, quae iure fieri poſſunt, exceptiones infinitae ſunt, neque vllo modo poſſunt determinate regula vniuerſali comprehendi. Hoc modo concentus efficitur illi ſimilis, quem *Franciſcum* primum *Carolo* quinto Imperatori pollicentem dixiſſe referunt: quod frater Carolus vult, (Mediolanum) idem et ego volo. Rationes determinantes empiricae haud idoneae ſunt ad legislationem externam vniuerſalem, ſed neque minus ad internam; ſuum enim

quisque ſubiectum, alius vero aliud ſubiectum inclinationi fundamento ponit, et ipſo ſubiecto quoque modo haec modo alia praecipue vim ſuam exſerit. Fieri nullo modo poteſt, vt lex inueniatur, quae eas cunctas ſub hac conditione, nempe vniuerſis conſpirantibus regat.

§. 5.

Problema I.

Poſito, ſolam formam legislatoriam legum ſubiectiuarum vnam eſſe rationem determinandae voluntatis idoneam: naturam illius voluntatis inuenire, eo ſolo determinabilis.

Cum ſola forma legis tantummodo ab ratione poſſit repraeſentari, ideoque nulla res ſit ſenſibus obnoxia, proinde quoque haud ad phaenomena pertineat; repraeſentatio illius qua ratio voluntatem determinans ab vniverſis rationibus determinantibus euentorum, in natura rerum per legem cauſalitatis diuerſa eſt, quoniam in his ipſae rationes determinantes phaenomena eſſe debent. Si vero etiam nulla alia voluntatis determinandae ratio huic eſſe legi poteſt, quam ſola illa vniuerſalis forma legislatoria; eiusmodi voluntas, qua prorſus libera ab lege naturali phaenomenorum, ſcilicet ab lege cauſalitatis, ad ſe inuicem relatiue, cogitanda erit. Eiusmodi autem vacuitas vocatur *libertas* ſenſu ſtrictiſſimo, hoc eſt, transſcendentali. Ergo voluntas, cui ſola ſubiectiuae legis forma legislatoria vna eſſe legi poteſt, libera voluntas.

§. 6.

Problema II.

Poſito, eſſe voluntatem liberam, legem inuenire, quae ſola eſt ad eam neceſſario determinandam idonea.

Cum materia legis practicae, id eſt, res legi ſubiectiuae propoſita, non queat niſi empirice offerri, contra voluntas libera, qua conditionibus empiricis (ad mendum ſenſibilem pertinentibus) vacua et nihilominus deter-

minabilis esse debeat; necesse est, voluntatem liberam, vacuam legis materia, tamen rationem determinantem in lege deprehendere. Atqui, praeter legis materiam, nihil in ea amplius, quam forma legislatoria continetur. Ergo forma legislatoria, quatenus in materia inest, vna potest rationem voluntatis determinandae efficere.

Scholion.

Libertas igitur et practica lex absoluta mutuo se inuicem remonstrant. Iam hic non quaero, an etiam reapse diuersae sint, nec potius lex absoluta solum conscientia sui ipsius rationis purae practicae, haec autem prorsus idem sit, quod positiuus libertatis conceptus; sed vnde *cognitio* nostra absolute practici proficiscatur, vtrum ab libertate, an ab lege practica. A libertate non potest ea proficisci; eius enim nobis nec proxime conscii fieri possumus, quoniam conceptus eius est negatiuus, nec ad eam ab experientia concludere, siquidem experientia nobis solum legem ministrat phaenomenorum, proinde mechanismum naturae, ipsum libertatis contrarium, cognoscendum proponit. Ergo *lex* est *moralis*, cuius nobis proxime conscii sumus (simulatque leges voluntatis subiectiuas describimus), quae nobis *primum* se offert, dumque ratio illam, vt rationem determinantem, nulla conditione sensitiua superandam, quin prorsus ea liberam proponit, directo ad conceptum libertatis ducit. Sed quomodo esse potest conscientia legis moralis? Legum practicarum purarum fieri conscii possumus, perinde atque nobis conscii sumus decretorum purorum theoreticorum, dum ad necessitatem, qua ratio nobis ea dictitat, ad separationemque omnium conditionum empiricarum, ad quas illa nos amandat, animum aduertimus. Conceptus voluntatis purae exsistit e legibus puris practicis, quemadmodum conscientia intelligentiae purae ex decretis puris theoreticis: Hanc veram conceptuum nostrorum subordinationem esse, nobisque moralitate demum libertatis conceptum aperiri, proinde *ratione practica* primo contemplatiuae quaestionem inenodabilem in hocce conceptu

proponi, quo ea maxime perturbetur, ad fummàmque difficultatem ducatur, iam inde planum eft, quod, cum ex conceptu libertatis in phaenomenis nihil queat explicari, fed femper duci debeamus mechanifmo naturali, praeterea et antinomia rationis purae, cum ad abfolutum cupit in ferie caufarum adfcendere, in vno pariter atque in altero, incomprehenfibilibus implicatur, interea dum mechanifmi naturalis faltem vfus fit in enodandis phaenomenis, numquam quispiam aufit, libertatem in fcientiam introducere, nifi lex moralis fimulque ratio practica acceffiffet, nobisque hunc conceptum obtrufiffet. Sed experientia quoque hunc ordinem conceptuum in nobis confirmat. Fac, quempiam praetendere, fe non poffe voluptuofae libidini fuae refiftere, fimulatque perfona deamata occafioque eius conueniendi fibi fuerint oblatae, an, fi patibulum ante domum, in qua eam occafionem offendit, exftructum foret, vt ftatim percepta voluptate illi adpendatur, tum haud libidinem vinceret? Haud diu, quid refponderet, diuinandum videtur. Sed, roges eum, an, fi princeps, propofito vitae fupplicio, ab eo pofceret, vt contra virum probum falfum teftimonium ederet, quem fub fpeciofo praetextu cuperet perdi, an tum quantuscumque amor vitae fibi fit, eum tamen vinci poffe putet. Vtrum facturus fit, nec ne, fortaffe haud aufit adfeuerare; fed illi poffibile effe, fine dubitatione illi concedendum erit. Igitur iudicat, fe aliquid poffe, eo quod fibi confcius fit, fe illud debere, et in fe libertatem cognofcit, quae illi alias fine lege morali ignota manfiffet.

§. 7.

Lex conftitutiua rationis purae practicae.

Sic age, vt lex fubiectiua voluntatis tuae femper poffit fimul qua principium valere legislationis vniuerfalis.

S c h o l i o n.

Geometria pura continet poftulata qua decreta practica, quae vero nil in fe cohibent, nifi fumtionem, to

aliquid *posse* facere, si forte postuletur, vt facere *debeas*, eaque sunt decreta vna illius, quae exsistentiam spectant. Ergo ea regulae sunt practicae sub conditione problematica voluntatis. Sed hoc loco regula enunciat: absolute esse certo modo quodam agendum. Igitur regula practica absoluta est, proinde qua enunciatio categorica practica, ex anticipatione repraesentata, qua voluntas absolute proximeque (per ipsam regulam practicam, quae proinde hoc loco lex est,) obiectiue determinatur. Nam *ratio pura per se practica* hic proxime est legislatoria. Voluntas vt libera a conditionibus empiricis, proinde qua voluntas pura, *per solam legis formam* qua determinata cogitatur, et haec ratio determinans qua omnium legum subiectiuarum suprema conditio spectatur. Res satis mira est, suique similem nullam habet in vniuersa reliqua practica cognitione. Namque cogitatio ex anticipatione de legislatione vniuersali possibili, quae proinde solum problematica est, nulla quapiam re ab experientia vllaque voluntate externa mutuata, qua lex absolute imperatur. Nec vero etiam norma est, ad quam fieri actio debeat, qua desideratum effectum fieri possit, (tum enim semper regula foret physice determinata,) verum regula, quae solum voluntatem, respectu formae legum suarum subiectiuarum, ex anticipatione determinat, et tum lex commode poterit, quae soli formae decretorum *subiectiuae* inseruit, qua ratio determinans per formam *obiectiuam* legis vniuersae cogitari. Conscientia huiusce legis constitutiuae dici poterit factum rationis, quoniam non potest ex datis rationis antegressis, velut e conscientia libertatis (quippe quae non ante nobis data est) argutando elici, sed quoniam per se ipsam nobis sese obtrudit qua pronunciatum syntheticum ex anticipatione, quod in nulla, nec pura nec empirica visione positum est, quamquam illud analyticum foret, posita voluntatis libertate, quo autem qua conceptu positiuo, visio intellectualis requireretur, quae hoc loco haud licet sumi. Verumtamen, vt ea lex sine calumnia qua *data* spectetur, probe notandum videtur, nullum esse factum empiricum, sed vnum factum

rationis purae, quae eo se originarie legislatoriam (sic volo, sic iubeo) declaret.

Consectarium.

Ratio pura per se sola practica est, legemque vniversalem fert (homini), quam *legem morum* adpellamus.

Scholion.

Factum, cuius antea mentionem fecimus, non potest negari. Iudicium, licebit, modo excutias quod homines de legalitate ferunt suarum actionum; et semper inuenies, rationem eorum, quaecumque inclinatio interloquatur, tamen haud posse corrumpi et subornari, per se ipsamque coactam, legem subiectiuam voluntatis in actione semper comparare cum voluntate pura, id est, cum se ipsa, dum se qua ex anticipatione practicam considerat. Quod principium moralitatis igitur, ob ipsam legislationis vniuersalitatem, quae illud rationem voluntatis determinandae formalem facit, nullo respectu habito omnium diuersitatum illius subiectiuarum, ratio simul declarat legem omnibus naturis ratione praeditis, quatenus eae vniuerse voluntate gaudent, hoc est, facultate causalitatis suae per repraesentationes regularum determinandae, proinde quatenus actionum ex principiis, ergo quoque ex principiis practicis ex anticipatione (quippe quibus solis ea inest necessitas, quam ratio ad principium requirit) capaces videntur. Igitur illud haud ad solos homines adstringitur, sed ad vniuersas pertinet naturas finitas, quae ratione gaudent ac voluntate, quin adeo naturam infinitam, qua intelligentiam supremam simul includit. Priori casu lex formam habet imperatiui, quoniam in illo quidem, qua natura rationali, *puram*, sed qua necessitatibus causisque mouentibus sensitiuis adfecta natura, nullam *sanctam* voluntatem, id est, eam sumere possumus, quae nullius legis subiectiuae capax foret legi morali repugnantis. Quamobrem lex moralis in illis cernitur in *imperatiua*, categorice praecipiente, eo quod lex absoluta est; adfectio eiuscemodi voluntatis ad hanc legem

est *dependentia*, quam dicimus obligationem, quae *coactionem* denotat, quamquam per solam rationem, eiusque legem obiectiuam, ad actionem quampiam, quae propterea vocatur *officium*, quod arbitrium pathologice adfectum (quamuis eo non determinatum, proinde quoque semper liberum), desiderium in se cohibet, quod e causis nascitur *subiectiuis*, ergo etiam rationi determinanti purae obiectiuae saepenumero potest aduersari, ideoque renisu indiget rationis practicae, qui potest coactio interna dici, sed intellectualis, qua coactio moralis. In intelligentia omnium perfectissima arbitrium, qua nullius normae capax, quae non eadem lex esse posset, iure repraesentatur, conceptusque *sanctitatis*, qui illi propterea competit, eam quidem, haud supra vniuersas leges practicas, sed tamen super omnes practice circumscribentes, proinde obligationem officiumque euehit. Haec voluntatis sanctitas nihilominus est idea practica, quae necessario esse debet *prototypo*, ad quod vt in infinitum adpropinquent, vnice in officio est omnium naturarum rationalium finitarum, quodque lex morum pura, quae ipsa propterea sancta vocatur, perpetuo iis vereque ob oculos ponit, de quo quidem legum subiectiuarum progressu in infinitum tendente, eiusque de immutabilitate et constantia certi simus, hoc est, virtus, summum erit, quod ab ratione practica finita poterit effici, quae ipsa vicissim certe qua facultas naturaliter parta numquam potest esse absoluta, quoniam certitudo in eiusmodi causa numquam apodictica efficitur, et qua persuasio vehementer periculosa videtur.

§. 8.

Theorema IV.

Autonomia voluntatis vnum est principium omnium legum moralium officiorumque iis conuenientium: contra vniuersa *heteronomia* arbitrii nullam prorsus obligationem constituit, sed potius contraria est principio illius moralitatique voluntatis. In independentia scilicet ab

omni legis materia (nempe obiecta re desiderata), et simul tamen determinatione arbitrii per solam formam legislatoriam vniuersalem, cuius lex subiectiua esse capax debet, vnum principium positum est moralitatis. Sed illa *independentia* libertas est sensu *negatiuo*, haec vero propria *legislatio* rationis purae, et qua talis, practicae, libertas est sensu *positiuo*. Ergo lege morali nil nisi *autonomia* enunciatur rationis purae practicae, hoc est, libertatis, eaque ipsa cernitur in conditione formali legum omnium subiectiuarum, qua sola efficitur, vt eae cum lege practica suprema possint conspirare. Idcirco si materia volendi, quae nihil aliud esse potest, nisi res cupiditati proposita, quae cum lege coniungitur, in legem practicam *qua conditio possibilitatis* ingeritur, inde exsistit heteronomia arbitrii, nimirum dependentia ab lege naturali, vlli cuipiam impulsioni inclinationiue obsequendi, neque sibi ipsa legem voluntas fert, sed praecipit tantummodo leges pathologicas prudenter obseruandas; materia autem, quae hoc modo numquam potest formam legislatoriam vniuersalem in se continere, hac via non solum nullam obligationem profert, sed ipsa est rationis *purae* practicae principio, proinde simul etiam menti morali contraria, quamuis, quae inde exsistit, actio legibus consentanea foret.

Scholion I.

Igitur ad legem practicam numquam debet praeceptum practicum adnumerari, quod conditionem materialem (proinde empiricam) in se cohibet. Namque lex rationis purae liberae, hanc in sphaera longe alia constituit, quam empirica, et, quam ea enunciat, necessitas, cum nulla esse debeat necessitas physica, proinde non potest nisi in solis conditionibus possibilitatis legis cuiuspiam formalibus vniuerse versari. Omnis regularum practicarum materia semper posita est in conditionibus subiectiuis, quae illi nullam comparant vniuersalitatem in gratiam naturarum rationalium, sed solum hypotheticam (quid, si hoc illudue *appetam*, mihi facien-

dum ſit, vt reapſe eo potiar,) cunctaeque vertuntur in principio *propriae felicitatis*. Iam ſane quidem non poteſt negari, volitioni vniuerſae etiam rem eſſe ſubiectam debere, proinde materiam; verum ea idcirco non eſt ratio determinans conditioque legis ſubiectiuae; quod enim ſi ita ſit, haec non poterit in forma vniuerſali legislatoria proponi, quoniam tum exſpectatione exſiſtentiae obiectae rei cauſa foret arbitrium determinans, et dependentia facultatis appetendi ab exſiſtentia vllius cuiuspiam rei volitioni deberet fundamento conſtitui, quae ſemper tantummodo in conditionibus empiricis quaeri poteſt, ideoque numquam regulae neceſſariae atque vniuerſali fundamento eſſe. Sic felicitas naturarum alienarum eſſe ſubiecta poterit voluntati naturae rationisque. Quodſi ea vero ratio foret determinans legis ſubiectiuae, ponendum foret, non ex aliorum ſalute non ſolum voluptatem naturalem capere, verum etiam neceſſitatem inuenire, pro eo atque conuenientia fert coniunctioque naturarum in homine (ingenium ſympatheticum). Verum ea neceſſitas non in vnaquaque natura rationali (nullo modo in deo) poni. Ergo materia quidem legis ſubiectiuae manere poteſt, neque tamen eſſe illius conditio debet, quoniam haec alias non apta legi foret. Quamobrem ſola legis forma, materiam coercentis, ſimul ratio ſit, neceſſe eſt, huius materiae ad voluntatem adiungendae, non vero ponendae. Fac materiam eſſe, exempli gratia, meam ipſius felicitatem. Haec, cuique attributa (vti ſane in naturis finitis fieri licet) tum ſolummodo fieri lex *obiectiua* practica poterit, cum aliorum in eam felicitatem includo. Ergo lex aliorum felicitatis promouendae, non oritur ex ſumtione, eam cuiusque arbitrio ſubiectam eſſe, ſed inde tantummodo, quod forma vniuerſalitatis, qua ratio indiget qua conditione, legi ſubiectiuae philautiae valorem obiectiuum tribuendi legis, ratio ſit determinans voluntatem, et proinde res obiecta (aliorum felicitas) haud erat ratio voluntatis purae determinandae, ſed ſola fuit forma legalis, qua regulam meam ſubiectiuam, in inclinatione conſtitutam, circumſcriberem, vt ei vniuerſalitas legis

impertiatur, atque ita ea rationi purae practicae apta et consentanea reddatur, ex qua quidem circumscriptione sola, non vero adiectione cuiuspiam stimuli externi tum posset conceptus *obligationis* regulam philautiae meae etiam ad felicitatem aliorum extendendi, exsistere.

Scholion II.

Fit ipsum principio moralitatis contrarium, cum decretum felicitatis *proprie* pro ratione adhibetur voluntatis determinandae, ad quod, vti supra disputauimus, omnia omnino referenda sunt, quae rationem determinantem, quae esse legi debet, in vlla re quapiam alia ponunt, quam in forma legislatoria regulae subiectiuae. Verum haec pugna non solum logica est, quemadmodum quae in regulis est empirice hypotheticis, quas tamen vellent ad dignitatem euehere principiorum cognoscendi necessariorum, sed practica, eaque, nisi vox rationis respectu voluntatis tam distincta foret et penetrans, ipsique ex infima plebe homini tam perspicua, moralitatem funditus euerteret; nunc autem tantummodo in contemplationibus scholarum mentem perturbantibus se tueri potest, quae satis audaces sint ad obturandas aures contra vocem illam coelestem, quo theoriam nullius negotii conseruent.

Si familiaris alioquin carus apud te de falso testimonio eo se crederet excusari, quod primo sanctum, ex ipsius iudicio, officium propriae felicitatis obtenderet, tum commoda enumeraret, sibi ea re parta, prudentiamque laudaret, quam obseruasset, ne posset aperiri, vel ab te ipso, cui soli secretum aperuisset, quo omni tempore posset illud negare; tum vero serio diceret, se verum humanitatis officium fecisse: aut illi in faciem rideres, aut auersabundus eum abhorresceres, quamuis, si quis solummodo in commodis propriis principia fundaverit; contra vias illas nihil quidquam haberes, quod regereres. Vel ponatis, vobis a quopiam commendari dispensatorem, cui res omnes vestras credere possitis in tenebris, et quem, quo vobis fiducia crescat, vt homi-

nem prudentem, laudari, qui ſuam ipſius vtilitatem egregie curet, etiam vt indefeſſe laborioſum, qui nullam occaſionem parandi commodi praetermittat, tandem, ne vlli de ſordido propriae vtilitatis ſtudio metus officiant, laudari eius vitae elegantia, non in corradenda pecunia, neque in libidine bruta, ſed in augendis notitiis, conſuetudine bonorum ſapientumque, et egenis iuuandis oblectari, caeterum autem non anxium eſſe de viis et artibus (quarum tamen pretium vitiumue ſolum ex conſilio pendet), alienasque facultates ad eas res, ſi modo ſciat, ſe latenter poſſe et libere illud efficere, perinde ſibi ac ſuas eſſe; tum ſane exiſtimaretis, eum, qui vobis illum commendet, aut vobis illudere, aut mentem perdidiſſe. — Ita diſtincti ſunt accurateque termini moralitatis et philautiae deſcripti, vt vel maxime vulgaris acies diſcrimen, vtrum aliquid ad vnam pertineat, an ad alteram, nequeat praeterire. Quamquam, quae mox monebimus, in tam aperta re poſſunt ſuperuacanea videri, tam certe proderunt ad rationem humanam communem maiori perſpicuitate exornandam.

Principium felicitatis poterit quidem pro regulis ſubiectiuis eſſe; numquam vero eas indicare, quae aptae forent legibus voluntatis, ſi vel ipſam tibi *vniuerſalem* felicitatem propoſitam haberes. Etenim, quoniam huius cognitio in ſolis eſt datis experientiae poſita, ſiquidem quodque de ea iudicium maxime pendet ex ſua cuiusque ſententia, quae ipſa praeterea admodum mutabilis eſt, regulae *generales* quidem poterunt, numquam autem *vniverſales* eſſe, id eſt, tales, quae omnino ſaepiſſime conveniant, non vero eae, quae ſemper debeant et neceſſario valere, proinde non poſſunt *leges* practicae in iis conſtitui. Idcirco, quod hic res arbitrio ſubiecta regulae illarum conſtituta eſt, ideoque hanc antecedere debet, haec ad nullam rem aliam poteſt, quam ad eam, quae commendatur, et proinde ad experientiam referri in eaque conſtitui, tumque diuerſitas iudicii, neceſſe eſt, infinita videatur. Neque ergo omnibus naturis ratione praeditis

easdem regulas practicas hoc principium praecipit, quamquam eae quidem communi titulo subsunt, nimirum titulo felicitatis. Sed lex moralis propterea solum qua obiectiue necessaria cogitatur, quoniam ad quemque debet, qui ratione vtitur ac voluntate, valere.

Regula subiectiua philautiae (prudentiae) *suadet* tantummodo; lex moralitatis *imperat*. Permagnum tamen discrimen intercedit inter ea, quae nobis *suadentur*, atque ea, ad quae nos *obligati* tenemur.

Quid secundum principium autonomiae arbitrii faciendum sit, quisque ex infima plebe homo facile perspicit; sed difficulter intelligitur multamque cognitionem requirit, quid sumta arbitrii heteronomia faciendum videatur; hoc est, quid in *officio* sit, cuique sponte se offert; quid verò verum et duraturum commodum adferat, semper est, si hoc ad totam debeat exsistentiam extendi, atra caligine obuolutum est, multaque prudentia opus est, ad regulam practicam ad id institutam exquisitis exceptionibus vel saltim tolerabili modo vitae finibus aptandam. Nihilominus lex moralis cuique imperat, et accuratissimum quidem, obsequium. Quamobrem ad id, quod faciendum sit, diiudicandum, non tam difficile erit, quin ingenium vel maxime vulgare atque inexercitatum, vel omni prudentia ciuili destitutum, queat in eo versari.

Nullo non tempore penes quemque est, praecepto moralitatis categorico satis facere; sed praecepto empirice hypothetico felicitatis admodum raro, nec vel vnius modo consilii respectu, neque a quouis satis fieri poterit. Propterea quod in illo superiori tantummodo regula subiectiua spectatur, quae genuina esse et pura debet, sed in hoc posteriori etiam vires spectantur et facultas, rem expetitam efficiendi. Praeceptum, quod quemque iuberet sese felicem reddere, stultum foret; neque enim vmquam quempiam iubemus ea, quae iam sponte necessario cupit: nisi ei forte vias praecipias, vel potius subministres, quoniam non omnia, quae vult, potest. Sed honestum siue

moralitatem iubere, nomine officii, ſane rationi conſentaneum eſt; primo enim illius praecepto haud fere quisque libenter vult obedire, ſi pugnet id cum cupiditatibus, ac vias quidem, quibus illi legi poſſit obtemperare, hic nil attinet doceri; quidquid enim hoc reſpectu facere vult, illud et poteſt.

Is, qui in luſu *victus* eſt, ſibimet ipſi quidem poterit de imprudentia ſua *ſuccenſere*, ſed ſi, *fraude* ſe in luſu vſum eſſe (quamquam ea lucratum) ſibi conſcius ſit, ſe ipſum *deſpiciat*, neceſſe eſt, ſimulatque ſe cum lege morali comparauerit. Hanc igitur ſane aliud quiddam eſſe oportebit, quam principium propriae felicitatis. Etenim qui ſe ipſum ſic alloqui cogitur: ego *homo* ſum *nihili*, quamuis crumenam oppleuerim, is aliam iudicii normam habeat, neceſſe eſt, quam qui ipſe ſibi applaudere poteſt, et de ſe profiteri: ego homo ſum *prudens*, ſiquidem rem meam familiarem auxi et amplificaui.

Tandem aliquid in idea ineſt rationis noſtrae practicae, quod transgreſſionem cuiuspiam legis moralis comitatur, nempe quod ea *digna poena* videtur. Iam cum conceptu poenae qua talis nullo modo poteſt felicitatis participatio coniungi. Etſi enim ei, qui punit, ſimul quidem conſilium eſſe ſalutare poteſt, huiusce poenae ad id conſilium dirigendae, tamen ea antea, qua poena, id eſt, qua ſolum malum, per ſe ipſa probata ſit, oportebit, ita, vt punitus, ſi poenae ſubiectus maneret, neque vllam hac ſeueritate occultatam gratiam proſpiceret, ipſe cogatur fateri, ſe digna perpeſſum, ſortemque ſuam apprime moribus ſuis conuenire. In vnaquaque poena, qua tali, primo iuſtitia inſit, neceſſe eſt, eaque eſſentiam huius conceptus conſtituit. Cum ea quidem et benignitas coniungi poteſt, ſed hanc vt ſperet, ſonti, pro moribus ſuis, nulla prorſus cauſa videtur. Ergo poena cernitur in malo phyſico, quod, etiamſi non, qua conſequens *phyſicum*, cum malo morali coniunctum foret, tamen qua conſequens ex principiis legislationis moralis coniungi deberet. Quodſi igitur omne crimen, etiam

neglectis consequentibus physicis respectu malefici, per se poena dignum sit, id est, felicitatem (certe ex parte) perdat, manifesto absurdum foret, si dicatur: crimen in eo ipso positum fuisse, quod poenam sibi contraxisset, propterea quod suae ipsius felicitati derogasset (quod ex principio philautiae proprium esse conceptum omnis criminis oporteret). Hoc modo poena ratio foret, cur aliquid crimen nominaretur, iustitiaque potius in eo ponenda videretur, quod omnis poena mitteretur, ipsaque naturalis impediretur; tum enim in actione nihil quidquam amplius mali foret, quoniam, quae alias eam sequerentur, quarumque causa actio solum mala vocaretur, mala nunc propulsa forent. Qui demum omnes poenas omniaque praemia tantummodo qua machinas considerant in manu potestatis superioris, quibus solum commoueri debeant et incitari ad finem suum vltimum (felicitatem) naturae rationales, luce meridiana clarius est, eos mechanismum defendere voluntatis, omnem libertatem tollentem, quam, vt, diutius in eo nos immorari, necesse foret.

Subtilior quidem, quamquam pariter falsa, eorum sententia est, qui certum quemdam peculiarem sumunt sensum moralem, quae, non vero ratio, legem moralem determinet, secundum quem conscientia virtutis proxime cum tranquillitate et voluptate, sed turpitudinis conscientiá cum perturbatione animi ac dolore coniuncta sit, atque ita omnia in propria felicitate ponunt expetenda. Vt, quae supra dicta sunt, hoc loco mittam, mentionem modo faciam illusionis in ea re. Vt turpis et scelestus qua perturbatione animi vexatus possit ex conscientia delictorum depingi, necesse est, eum, quoad praecipua ingenii initia, iam antea, certe quodam gradu, moraliter bonum ostendant, quemadmodum eum, qui conscientia recte factorum oblectatur, iam antea virtutis studiosum. Ergo conceptus honesti (moralitatis) et officii omnem de hac tranquillitate antecederet, necesse fuit, neque vllo modo ab hac poterit deriuari. Atqui grauitas

eius, quod officium vocamus, auctoritas legis moralis, et dignitas proxima, quam obseruatio illius homini ex sua ipsius sententia impertit, antea aestimanda erat, vt illam tranquillitatem in conscientia conuenientiae suae cum ea lege, seueramque reprehensionem ex violata lege, persentitisceres. Ergo non poterit ea tranquillitas quiesue animi ante agnitam obligationem sentiri, eaque causa fieri huiusce obligationis. Certe in via quasi media vir probus sit atque honestus, oportebit, vt de iis animi motionibus vel modo queas cogitationem tibi informare. Caeterum haud infitior, quemadmodum per libertatem voluntas humana potest ex lege morali proxime determinari, ita etiam frequentiori exercitatione, huic rationi determinanti conuenienter, subiectiue posse sensum approbationis sui ipsius effici; potiusque in ipso officio est, vt hic sensus, qui proprie solus meretur sensus moralis vocari, et constituatur, et excolatur; sed conceptus officii ab eo non potest deriuari, nisi sensum legis cuiuspiam qua talis mente et cogitatione depingamus, idque sensui proponamus, quod per solam possit rationem cogitari; quo quidem, nisi in apertam velis incurrere repugnantiam, omnis officii conceptus prorsus tolleretur, in eiusque loco solum lusus quidam mechanicus inclinationum animi subtilium, cum crassioribus nonnumquam dissidentium, poneretur.

Igitur decreto nostro *formali* supremo rationis purae practicae (qua autonomiae voluntatis) cum vniuersis, quae adhuc innotuere, principiis honesti *materialibus* comparato, caetera omnia possumus, qua ea, quibus reuera omnes alii, qui esse possunt, casus, praeter vnum quemdam formalem, exhausti sint, in tabula quadam proponere, atque ita ad oculos demonstrare, frustra aliud, quam quod iam tractauimus, principium quaeri. — Vniuersae scilicet determinandae voluntatis rationes aut solum *subiectiuae* sunt, ideoque empiricae, aut etiam *obiectiuae* et rationales; vtraeque autem vel *externae* vel *internae*.

Rationes determinantes practicae materiales in principio honesti sunt:

subiectiuae				*obiectiuae*	
externae		*internae*		*internae*	*externae*
educationis (secundum MONTANVM).	*constitutionis ciuilis* (secundum MANDEVILLIVM).	*sensus physicus* (secundum EPICVRVM).	*sensus moralis* (secundum HVTCHESONVM).	*perfectionis* (secundum WOLFIVM et STOICOS).	*voluntatis diuinae* (secundum CRVSIVM aliosque doctores morum *theologicos*).

Quae ad finiſtram partem ſcriptae ſunt, cunctae ſunt empiricae, nec manifeſto ad principium vniuerſale idoneae videntur. Sed ad partem dextram ſcriptae conſtitutae ſunt in ratione, (nam perfectio, qua rerum *qualitas*, ſummaque perfectio cogitata in *ſubſtantia*, id eſt, in deo, ambo poſſunt tantummodo per conceptus rationales cogitari.) Verum conceptus prior, nimirum *perfectionis*, aut ſignificatione *theoretica* accipi poteſt, notatque nil, niſi plenam rei cuiuspiam, ſolum qua rei, in ſuo genere conditionem (transſcendentalem), aut rei cuiuspiam, ſolum qua rei in vniuerſum (metaphyſicam), de qua hoc loco ſermo eſſe non poteſt. Sed conceptus perfectionis ſenſu *practico* cernitur in ratione idonea, ſiue ſufficientia alicuius rei ad varios fines. Haec perfectio, qua hominis *qualitas*, proinde interna, nihil aliud eſt, quam *indoles*, et, id, quo haec firmatur ac perficitur, *ſolertia*. Perfectio in *ſubſtantia*, hoc eſt, in deo, proinde externa, (reſpectu practico conſiderata,) verſatur in ratione idonea huiusce naturae ad fines omnino omnes. Quodſi igitur fines nobis antea debeant proponi, quorum reſpectu conceptus *perfectionis* (externae, in nobis ipſis, aut externae, in deo,) ſolum fieri poſſit ratio voluntatis determinandae, finis autem, qua *res obiecta*, quae determinationem voluntatis debet ex quadam regula practica antecedere cauſamque poſſibilitatis eiuscemodi continere, proinde *materia* voluntatis, qua ratio eius determinandae accepta, ſemper empirica ſit, proinde ad principium doctrinae felicitatis *Epicureum* quidem, numquam vero ad principium purum rationale doctrinae morum atque officii eſſe idonea poſſit, (quemadmodum dotes animi, earumque cultura, quoniam eae ad commoda vitae conferunt, aut voluntas dei, ſi conuenientia cum ea, hand antegreſſo ab eius idea libero principio practico, qua res voluntati propoſita ſumta fuerit, ſolum per *felicitatem*, quam inde exſpectamus, fieri momenta voluntatis poſſunt,) ſequitur *primo*, cuncta, quae hoc loco oſtendimus, principia eſſe materialia, *deinde*, iis, quae eſſe poſſunt, omnia principia materialia cóntineri, inde *denique* elicitur: eo, quod prin-

cipia materialia ad legem supremam moralem prorsus inutilia sunt, (vti docuimus,) *principium formale practicum* rationis purae, secundum quod sola forma legislationis vniuersalis per nostras regulas subiectiuas possibilis supremam proximamque determinandae voluntatis rationem efficiat, necesse est, *vnum, quod possit esse*, videri, quod ad imperatiua categorica, id est, ad leges practicas, (quae actiones imperant), omninoque ad principium honesti, cum in iudicando, tum in adhibendo ad voluntatem humanam, in ea determinanda, idoneum sit.

I.

DE DEDVCTIONE DECRETORVM RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

Haec analytica docet, rationem puram esse practicam, hoc est, per se, ab omni empirico liberam posse voluntatem determinare — idque per factum quoddam, in quo ratio pura reapse in nobis practicam se manifestat, nimirum per autonomiam in principio honesti, quo ea voluntatem ad agendum determinat. — Eadem ostendit, hoc factum cum conscientia liberae voluntatis arctissime coniunctum, quid? quod idem cum ea esse, quo voluntas naturae rationisque, quae, qua pars mundi sensibilis, se ipsam, instar aliarum causarum efficientium, legibus colligationis causarum necessario subiectam agnoscit, in practico, simul tamen ex alia parte, nempe qua natura per se ipsa, exsistentiae suae in intelligibili ordine rerum determinabilis sibi conscia est, non peculiari quidem sui ipsius visioni, sed certis quibusdam legibus dynamicis conuenienter, quae efficientiam eius possunt in mundo sensibili determinare; namque, libertate, si nobis ea tribuatur, in rerum ordinem nos intelligibilem transferri, alio loco satis probatum est.

Quocum si partem analyticam critices rationis purae contemplatiuae comparauerimus, mira vtriusque emerget

diuerſitas. Ibi enim non principia decretaque, ſed *viſio* pura animalis ſiue ſenſitiua (ſpatium tempusque) primum in datis erat, quo efficeretur, vt eſſe poſſet cognitio ex anticipatione et quidem rerum modo ſenſibus obnoxiarum. — Fieri non poterant decreta ſynthetica ex ſolis conceptibus ſine viſione, illa potius tantummodo ex relatione ad hanc, quae ſenſitiua erat, proinde ad ſolas res experientiae poſſibili ſubiectas poterant locum habere, quoniam conceptus intelligentiae, cum hac viſione coniunctae, efficiunt ſoli, vt ea eſſe cognitio queat, quam experientiam adpellamus. — Vltra res experientiae obuias atque propoſitas, proinde rerum, qua noumenorum, rationi contemplatiuae vniuerſa poſitiua *cognitio* iure optimo denegata eſt. — Attamen haec tantum effecit, vt conceptum noumenorum, hoc eſt, poſſibilitatem, quin neceſſitatem eiusmodi cogitandi, ſaluam praeſtaret, et velut libertatem, negatiue ſpectatam, accipiendi, qua amicam decretis iſtis et circumſcriptionibus rationis purae theoreticae, contra omnia dubia ſeruaret, neque tamen vllum quidpiam earum rerum obiectarum determinatum, ad augendamque cognitionem aptum oſtenderet, propterea, quod ea omnem earum rerum cognoſcendarum ſpem prorſus praecideret.

Contra lex moralis, quamuis nullum *proſpectum*, tamen factum quoddam ſubminiſtrat, ex omnibus datis mundi ſenſibilis, vniuerſaque compage vſus rationis theoretici noſtri prorſus inenodabile, quod purum mundum intelligibilem monſtrat, quin eum adeo *poſitiue determinatum* nobisque quidpiam illius, nimirum legem, cognoſcendum oſtendit.

Haec lex mundo ſenſibili, qua *naturae ſenſibili* (quantum ad naturas attinet rationales) formam mundi intelligibilis, id eſt, naturae *ſupraſenſibilis* debet largiri, neque tamen quidquam mechaniſmo illius detogare. Atqui natura ſenſu maxime vniuerſali cernitur in exſiſtentia rerum ſub legibus. Natura naturarum rationalium ſenſitiua vniuerſa verſatur in exſiſtentia earum ſub legibus empirice hypotheticis, proinde ea rationi *heteronomia* videtur. Natura ſu-

praſenſitiua earumdem naturarum e contrario eſt exſiſtentia earum ex legibus, ab omni conditione empirica liberis, quae proinde ad *autonomiam* rationis purae pertinent. Cumque leges, ſecundum quas exſiſtentia rerum pendet a cognitione, practicae ſint; natura ſupraſenſitiua, quantum nobis de ea poſſumus cogitationem efformare, nihil aliud eſt, niſi *natura autonomiae ſubiecta rationis purae practicae.* Sed lex huius autonomiae eſt lex moralis, quae proinde lex eſt conſtitutiua naturae ſupraſenſibilis mundique puri intelligibilis, cuius ectypon in mundo ſenſibili, ſed ſimul tamen ſaluis legibus illius, exſtet. Illam poſſis naturam *archetypam* dicere, quam ſolum in ratione cognoſcimus; hanc vero, quoniam poſſibile effectum ideae prioris, qua rationis voluntatem determinandi continet, naturam *ectypam* adpellare. Etenim reapſe lex moralis, quoad ideam, nos in naturam transfert, in qua ratio pura, ſi cum facultate phyſica ſibi conueniente inſtructa foret, ſummum bonum procrearet, noſtraeque voluntati formam mundi ſenſibilis, qua totius cuiuspiam naturarum rationalium, conſtituit impertiendam.

Haec idea re ipſa determinationibus noſtris voluntatis quaſi praedelineatio quaedam exemplo eſſe, leuisſima ad nosmet ipſos animi attentione confirmatur.

Si regula ſubiectiua. ex qua teſtimonium dicere decreui, per rationem practicam exploretur, ſemper conſidero, qualis ea foret, ſi qua lex phyſica vniuerſalis valeret. Manifeſtum eſt, ea in hoc genere quemque ad veracitatem coactum iri. Neque enim cum vniuerſalitate legis naturalis poteſt conſiſtere, vt enunciatis vis probandi tribuatur, et nihilominus qua de induſtria falſis et mendacibus locus concedatur. Pariter regula ſubiectiua, quam ratione libertatis de vita mea ſtatuendi conſtituo, continuo determinatur, ſi memet ipſum interrogem, qualis ea deberet eſſe, vt natura quaedam ſecundum legem ipſius conſeruet. Manifeſtum eſt, neminem poſſe in eiusmodi natura vitam *pro lubitu* ſinire; eiusmodi enim conſtitutio nullus naturae ordo durabilis foret, et ſic in vniuerſis aliis cauſis. Atqui in

natura vera, pro eo atque ea subiecta experientiae est, voluntas libera haud per se est ad tales regulas subiectiuas determinata, quae per se possent naturam quamdam ex legibus vniuersalibus constituere, vel etiam ei, quae ad eas ordinata foret, sponte conuenirent; potiusque eae sunt inclinationes priuatae, quibus totum quidem naturale aliquod ex legibus pathologicis (physicis), non vero natura efficitur, quae per solam esse posset voluntatem nostram ex legibus puris practicis. Nihilominus per rationem nobis conscii legis sumus, cui, quasi per voluntatem nostrum simul exsistere naturae ordinem, necesse foret, omnes leges subiectiuae nostrae subiectae videntur. Ergo haec, oportebit, idea sit naturae haud empirice datae, et tamen per libertatem possibilis, proinde suprasensibilis, cui, certe respectu practico, obiectiuam realitatem impertiimur, propterea quod eam, qua voluntati nostrae subiectam ac propositam, qua puris naturis rationalibus consideramus.

Igitur discrimen inter leges naturae, cui *voluntas subiecta est*, et *naturae*, quae *voluntati cuidam* (ratione eorum, quae adfecta sunt ad liberas eius actiones) subiecta est, positum in eo est, vt in illa res obiectae in caussis sint, necesse sit, repraesentationum, voluntatem determinantium, in hac autem voluntas esse caussa debeat rerum obiectarum, ita, vt effectio illius rationem determinantem solummodo habeat in facultate pura rationali, quae propterea quoque poterit ratio pura practica adpellari.

Duae ergo quaestiones illae: quomodo ratio pura ex vna parte ex anticipatione queat obiectas res *cognoscere*, et quomodo ea ex altera parte proxime possit ratio esse determinandae voluntatis, hoc est, caussalitatis naturae rationisque respectu exsistentiae rerum obiectarum (per solam cogitationem valoris vniuersalis suarum ipsius regularum subiectiuarum qua legis), admodum ab se inuicem abhorrent.

Prior illa, quippe quae ad criticen pertinet rationis purae contemplatiuae, postulat, vt antea explicetur, quo-

modo visiones, sine quibus nulla nobis res omnino offerri potest ac proponi, nec proinde synthetice cognosci, esse possint ex anticipatione, ad eamque sic respondetur, eas cunctas tantummodo animales esse, seu sensitiuas, proinde haud permittere, vt vlla fieri possit cognitio contemplatiua, quo progrediatur vlterius, quam experientia possibilis pertinet, omniaque proinde decreta rationis illius purae practicae nihil amplius efficere, quam, vt experientia, aut rerum obiectarum datarum, aut earum, quae dari possint in infinitum, numquam autem plene data sint, fieri queat.

Altera deinde quaestio, quae criticen attinet rationis practicae, non postulat, quomodo res facultati adpetendi subiectae esse possint, vt explicetur; hoc enim, qua quaestio cognitioni naturae theoreticae obnoxia, criticae rationis contemplatiuae relinquitur, sed solum, quomodo ratio queat regulam voluntatis subiectiuam determinare, vtrum solum interuentu fiat repraesentationum empiricarum, qua rationum determinantium, an etiam ratio pura practica et lex foret, ordinis naturae possibilis, empiricae nullo prorsus modo cognoscendi. Possibilitas eiusmodi naturae suprasensibilis, cuius conceptus simul esse ratio possit exsistentiae illius per nostram voluntatem liberam, nullius indiget visionis ex anticipatione (mundi intelligibilis), quae in hac causa, qua suprasensibilis, nobis etiam esse impossibilis deberet. Namque ex sola pendet ratione determinante volitionis in legibus eius subiectiuis, vtrum illa empirica sit, an conceptus rationis purae (legalitatis illius vniuerse), et quomodo hic conceptus esse possit. Vtrum voluntatis causalitas exsistentiam rerum obiectarum attingat, nec ne, principiis rationis theoreticis diiudicandum relinquitur, qua inuestigatio possibilitatis rerum volitioni subiectarum, quarum proinde visio nullum prorsus momentum efficit quaestionis practicae. Sola hic voluntatis determinatio, ratioque determinans materiae illius, qua voluntatis liberae, non vero euentum, spectatur. Etenim, si *voluntas* soli rationi purae legitima sit, cum *facultate* illius in exsequendo vtcumque comparatum sit, siue ad eas regulas subiectiuas

legislationis naturae possibilis ea reapse inde oriatur, siue non, id critice nequaquam curat, quippe quae inuestigat, an et quomodo ratio pura practica, hoc est, proxime voluntatem determinans esse possit.

In ea re itaque sine reprehensione potest, et debet ea a legibus puris practicis earumque exsistentia exordiri. Pro visione vero iis conceptum exsistentiae in mundo intelligibili, hoc est, libertatis, constituit. Hic enim nihil quidquam denotat aliud, illaeque leges ex sola ad libertatem voluntatis relatione possunt esse, sed ea sumta necessariae sunt, vel, ad vicissitudinem, haec necessaria est, quoniam illae leges, qua postulata practica, necessariae videntur. Quomodo igitur haec conscientia legis moralis, siue, quod idem est, libertatis conscientia, esse queat, non vlterius potest enodari, sed eam admitti posse, in critica theoretica commode poterit defendi.

Expositio decreti rationis practicae supremi nunc absoluta est, hoc est, ostendimus primo, quid illud contineat, prorsus ex anticipatione illud atque a principiis empiricis liberum per se consistere, tum denique quanam in re ab vniuersis aliis principiis practicis discernatur. In *deductione*, id est, defensione valoris obiectiui sui atque vniuersalis perspicientiaque possibilitatis eiusmodi enunciati synthetici ex anticipatione, non tantus sperari successus licet, quantus in decretis erat intelligentiae purae theoreticae. Namque haec res spectabant subiectas experientiae possibili, nempe phaenomena, poteratque euinci, solo eo, vt haec phaenomena pro norma legum illarum categoriis subiiciantur, haec phaenomena, qua res experientiae obnoxias posse *cognosci*, proinde vniuersam, quae possit esse, experientiam hisce legibus esse consentaneam debere. Eiusmodo iter vero non potest institui in deducenda lege morali. Siquidem ea haud cognitionem attingit naturae rerum obiectarum, quae rationi vlla quapiam re possint alibi proponi atque offerri, sed cognitionem, quatenus ea fieri ratio possit exsistentiae ipsius obiectarum rerum, ratioque eamdem caussalitatem habet in natura ratione praedita, id est,

ratio pura, quae qua facultas poteſt voluntatem proxime determinans ſpectari.

Atqui omnis humana perſpicientia haeret, ſimulatque ad vires aut facultates conſtitutiuas peruenerimus; quippe quarum poſſibilitas nulla re comprehendi poteſt, nec vero ad libidinem licet fingi ſumique. Quamobrem in vſu rationis theoretico ſolum nobis poteſt experientia poteſtatem facere earum ſumendarum. Hocce ſurrogatum, loco deductionis ex fontibus cognitionum ex anticipatione, argumenta empirica adferendi, hoc loco etiam nobis reſpectu facultatis rationalis purae practicae non licet. Quod enim opus habet, vt argumentum exſiſtentiae ſuae ab experientia depromat, neceſſe eſt, quoad rationes poſſibilitatis, pendeat ex principiis experientiae, qualis vero fieri non poteſt, vt ratio pura et tamen practica iam per ſolum ſuum conceptum poſſit reputari. Praeterea lex moralis quaſi quoddam factum rationis purae, cuius nobis ex anticipatione conſcii ſumus, quodque apodictice certa videtur, data eſt ac propoſita, vt etiam in experientia nullum poſſet exemplum oſtendi, quod eam exacte ſeruatam eſſe, planum faceret. Ergo realitas obiectiua legis moralis nulla deductione poteſt, quantumnis ratio theoretica et contemplatiua, vel empirice ſuffulta omnes vires contendat, probari, ideoque, etiamſi certitudinem apodicticam mittere velis, per experientiam confirmari, atque ita ex adſumto euinci, nihilominus tamen per ſe ipſa conſiſtit.

Verum aliud quid, idque prorſus abſonum in locum ſuccedit huiusce deductionis fruſtra quaeſitae principii moralis, nimirum hoc, quod ipſum vice verſa principio inſeruit facultatis cuiuspiam imperſcrutabilis deducendae, quam nulla poteſt experientia probare, ſed rationi contemplatiuae (ad abſolutum in ideis coſmologicis quoad cauſalitatem eius, ne ea ſecum ipſa pugnet, inueniendum,) certe qua poſſibilis ſumenda erat, nempe facultas libertatis, cuius non ſolum poſſibilitatem, verum etiam exſiſtentiam lex moralis, quae ipſa nullarum indiget rationum deducentium, in naturis euincit, quae eam legem qua eam agnoſcunt,

ad quam se sentiunt adstrictas. Lex moralis vere lex est caussalitatis per libertatem, ideoque possibilitatis naturae cuiuspiam supraſenſibilis, quemadmodum lex metaphyſica euentorum in mundo sensibili lex erat naturae sensitiuae, illaque ea determinat, quae philosophia contemplatiua cogebatur indeterminata relinquere, nempe legem caussalitatis eius, cuius conceptus in hac philosophia duntaxat negatiuus erat, ideoque huic primum comparat realitatem obiectiuam.

Hoc genus fidei legi morali conciliandae, cum ipsum qua principium libertatis, vtpote caussalitatis cuiuspiam rationis purae, proponatur, ratione theoretica saltem ad possibilitatem libertatis *sumendam* coacta, prorsus est ad supplendam quamdam illius necessitatem, loco cuiusque deductionis ex anticipatione, idonea. Namque lex moralis realitatem suam ita euincit, vt etiam criticae rationis contemplatiuae satis fiat, eo quidem, quod ea ex caussalitate solum negatiue cogitata, cuius possibilitas illi incomprehensa quidem, sed necessario sumenda erat, determinationem positiuam, nimirum conceptum rationis voluntatem proxime determinantis (per conditionem formae legalis vniuersalis regularum suarum subiectiuarum) adiungit, atque ita rationi, in ideis suis, si contemplando vellet agere, semper transscendenti, primum realitatem obiectivam potest, quamquam modo practicam impertire, vsumque illius *transscendentem* in *immanentem* transmutet (vt in campo queat experientiae per id ea causa esse sponte efficiens).

Determinatio caussalitatis naturarum in mundo sensibili, qua tali, numquam esse absoluta poterat, et tamen ad omnem conditionum seriem necessario quiddam absolutum esse debet, proinde quoque caussalitas se ipsam prorsus sponte determinans. Idcirco idea libertatis, qua facultatis spontaneitatis absolutae, non erat necessitas, sed, *quod eius possibilitatem attinet*, decretum analyticum rationis purae contemplatiuae. Verum, cum nullo modo fieri possit, vt ei conuenienter exemplum in vlla quapiam expe-

rientia ostendatur, quoniam in caussis rerum, quae phaenomenorum, nulla determinatio caussalitatis, quae simpliciter absoluta foret, deprehendi potest, tantummodo *cogitationem* caussae libere agentis, si eam ad naturam adhibeamus in mundo sensibili, quatenus ea etiam ex altera parte qua noumenon spectetur, *defendere* poteramus, namque docuimus, haud pugnare, si omnes actiones eius qua physice hypotheticae, quatenus eae phaenomena sint, et tamen simul earum caussalitas, quatenus natura agens natura intelligibilis sit, qua physice absolutae spectentur, atque ita conceptus libertatis principium rationis fiat regulatiuum, quo rem obiectam quidem, cui eiusmodi caussalitas tribuitur, qualis sit, neutiquam cognosco, verum tamen impedimentum tollo, propterea quod partim in explicandis mundi euentis, proinde quoque actionibus naturarum rationalium, mechanismo necessitatis physicae, ab eo quod pendet, ad conditionem, ex qua illud pendet in infinitum regrediendi, concedo, partim vero rationi contemplatiuae locum ei vacuum tueor apertam, nempe intelligibile, vt absolutum eo transferatur. Neque tamen hanc *cogitationem* poteram *dare effectam*, hoc est, in *cognitionem* naturae cuiuspiam sic agentis, vel quoad eius solam possibilitatem, mutare. Hunc locum vacuum nunc explet ratio pura practica per legem caussalitatis determinatam in mundo intelligibili (per libertatem,) nimirum legem moralem. Quo quidem iam rationi contemplatiuae respectu perspicientiae nihil quidquam accedit, sed tamen conceptus libertatis problematici *tuendi*, cui hic *realitas obiectiua*, quamquam modo practica, nihilominus tamen indubitata. Ipsum caussalitatis conceptum, cuius vsus, proinde etiam significatio, proprie tantummodo respectu phaenomenorum, vt ea ad experientias copulentur, locum habet, (quemadmodum critica rationis purae euincit,) haud sic ea amplificat ac dilatat, vt vsum eius vltra istos terminos extendat. Quodsi enim hoc sibi propositum ea haberet, eam oporteret ostendere, quomodo relatio logica rationis et consequentis in alio quodam visionis genere, quam sensitiuae, synthetice possit adhiberi, id est, quomodo esse queat caussa noume-

non; quod quidem ea haud poterit praeftare, quod vero etiam qua ratio practica nullo modo fpectat, propterea quod ea tantummodo *rationem determinantem* ponit caufalitatis hominis, qua naturae fenfitiuae, (quae data eft,) *in ratione pura*, ideoque conceptum ipfius caufae, a cuius vfu ad res obiectas in gratiam cognitionum theoreticarum ea hoc loco prorfus poteft fe continere, (quoniam hic conceptus femper in intelligentia, etiam ab omni vifione vacuus, ex anticipatione inuenitur,) non ad res obiectas cognofcendas, fed ad caufalitatem ratione illarum vniuerfe determinandam, proinde non nifi refpectu practico vfurpat, ideoque rationem voluntatis determinandae in ordinem rerum intelligibilem poteft transferre, propterea quod ea lubenter fatetur, ea fe nullo modo intelligere, quem finem habeat caufae conceptus in harum rerum cognitione. Caufalitatem refpectu actionum voluntatis in mundo fenfibili fane ea, neceffe eft, determinate cognofcat, neque enim alias ratio practica poffet vllam reuera actionem producere. Verum non opus eft, vt, quam de fua ipfius caufalitate qua noumenon fibi informat, cogitationem in gratiam exfiftentiae fuae fuprafenfibilis cognofcendae theoretice determinet; eique proinde eatenus vim poffit notionemque tribuere. Nam fignificationem ea virtutemque, quamquam folum ad vfum practicum, iam accipit, nempe per legem moralem. Etiam theoretice fpectata manet ea femper conceptus purus intellectualis ex anticipatione datus, qui ad res obiectas poteft, fiue per fenfum datae fint, fiue non, adhiberi; quamquam, fi non fit per fenfum data, eius nulla determinata vis poteftasque theoretica, nullusque vfus erit, fed is modo in cogitatione verfetur formali, fed tamen effentiali intelligentiae de re obiecta in vniuerfum. Significatio, quam ei ratio comparat per legem moralem, tantummodo practica eft, cum fcilicet idea legis caufalitatis cuiuspiam (voluntatis) ipfa caufalitatem habet, eiusue ratio determinans videtur.

II.

DE IVRE RATIONIS PVRAE IN VSV PRACTICO CAPIENDAE AMPLIFICATIONIS, QVAE IPSI PER SE NON POTEST ESSE IN VSV CONTEMPLATIVO.

In principio morali legem causalitatis proposuimus, quae rationem causalitatis determinandae supra omnes conditiones euehit mundi sensibilis, nosque cogit, vt voluntatem, quomodo, qua ad mundum ea intelligibilem pertinet, determinari queat, proinde subiectum huiusce voluntatis (hominem) non solum qua ad mundum purum intelligibilem pertinens, quamquam in hac relatione qua nobis ignotum (quomodo secundum criticam rationis purae fieri poterat) *cogitemus*, verum etiam respectu causalitatis eius, interuentu legis, nulli legi physicae mundi sensibilis accensendae, illud *determinemus*, proinde cognitionem nostram vltra terminos mundi sensibilis ea re *dilataremus*, quam tamen arrogantiam critica rationis purae in vniuersa contemplatione vanam declarasset. Quomodo igitur hic vsus rationis purae practicus cum vsu eiusdem practico respectu terminorum facultatis illius finiendorum poterit coniungi?

Dauides Humius is, qui dici potest omnem impetum in iura rationis purae, quae plenam illius inuestigationem postulabant, proprie instituisse, sic conclusit. Conceptus *causae* est conceptus *necessitatem* continens copulationis exsistentiae diuersorum, et quidem quatenus diuersa sunt, ita, vt, posito A, cognoscam, quiddam ab eo penitus diuersum, B, necessario etiam exstare oportere. Sed necessitas tantummodo coniunctioni attribui potest, quatenus ea ex anticipatione cognoscatur; nam experientia coniunctionem duntaxat esse doceret, non vero, eam necessario sic esse. Atqui, ait, fieri non potest, vt coniunctionem vnius cuiuspiam rei cum *alia* quadam, (siue determinationis alicuius cum alia aliqua, ab ea prorsus diuersa), nisi in perceptione proponantur, ex anticipatione et vt

necessariam cognoscamus. Ergo ipse causae conceptus mendax est et fallax, isque, vt lenissime dicam, in illusione versatur eatenus excusanda, quod *consuetudo* (necessitas *subiectiua* quaedam) certas res quasdam, earumue determinationes modosque, saepius pone, vel post se inuicem constitutas quoad exsistentiam, qua sibi inuicem iunctas, percipiendi, sensim pro necessitate *obiectiua* sumitur in obiectis rebus ipsis eiusmodi coniunctionem ponendi, atque ita conceptus causae per subreptionem est nec legitime comparatus, quin ne vmquam quidem comparari aut confirmari poteit, quoniam is coniunctionem postulat vanam, fictitiamque, nullique rationi comprobandam, cui nulla omnino potest res obiecta vmquam respondere. — Hinc factum est, vt primo respectu vniuersae cognitionis, exsistentiam rerum attingentis, (mathesi proinde excepta,) *empirismus* velut vnus principiorum fons, cum eoque vero simul ipse *scepticismus* grauissimus respectu totius philosophiae naturalis (qua philosophiae) induceretur. Neque enim vmquam, secundum eiusmodi principia, ex datis rerum determinationibus quoad exsistentiam earum possumus *concludere* ad consequentiam, (ad id enim opus foret conceptu causae, qui necessitatem talis coniunctionis contineret,) sed modo ad phantasiae regulam, velut alias, casus similes exspectare, quae quidem exspectatio, vt saepissime euenerit, numquam certa videtur. Quid? quod in nullo posset euentu dici, *necesse esse*, vt quidpiam illud antegressum sit, quod *necessario* sequeretur, id est, habere illud causam oportere, ideoque, etiamsi hoc frequentissime scires accidere, vt adeo regula inde posset depromi, non tamen propterea illud semper et necessario sic vsu venire sumi posset, atque ita casui fortuito, in quo omnis rationis vsus exspirat, etiam aliquid tribuendum videri, quo quidem scepticismus, ratione ratiocinationum ab effectis ad causas adscendentium firmiter constituitur, ita vt nequeat reuelli.

Adhuc quidem salua mathesis manserat, propterea, quod vniuersa illius enunciata *Humius* analytica censuerat,

id est, ab vna determinatione ad aliam, identitatis causa, proinde ex decreto repugnantiae progredi, (quod vero falsum est, siquidem ea potius cuncta synthetica sunt, et, quamuis exempli gratia geometria non in exsistentia rerum, sed sola determinatione ex anticipatione in visione possibili versatur, tamen perinde, atque per conceptus causales, ab vna determinatione A ad aliam plane diuersam B, qua nihilominus necessario cum illa coniunctam, transit. Verum tamen scientia illa propter certitudinem apodicticam tantopere celebrata tandem etiam *decretorum empirismo*, necesse est, succumbat, ob eamdem causam, per quam loco necessitatis obiectiuae in conceptu causae *Humius* consuetudinem reposuit, eaque, quantumuis superba, patiatur, iura sua audacia, adsensumque ex anticipatione iubentia minui, adsensumque vniuersalitati decretorum suorum a gratia exspectet obseruatorum, qui qua testes nihilominus confessuri forent, se ea, quae geometra qua decreta proponit, semper etiam sic obseruasse, proinde, quamuis haud fere necessarium foret, tamen porro vt sic exspectari liceret, potestatem facerent. Hoc modo *Humii* empirismus in decretis necessario ducit ad scepticismum, vel ipso respectu matheseos, ergo etiam in vniuerso rationis vsu *scientifico* et theoretico (quippe qui aut philosophiam attingit, aut mathesin). An vsui rationis communi (in euersione tam tristi, quam capita videmus cognitionis experiri) melius successurum sit, nec potius in eamdem vniuersae scientiae euersionem implicetur, proinde ex iisdem decretis scepticismus *vniuersalis* (sed qui sane ad solos doctos pertineret,) secuturus videatur, suo cuiusque iudicio permittam.

Atque locum illum quidem critices rationis purae, cui quidem ansa dederat Humiana dubitatio, sed quia latius ea patebat, vniuersumque rationis purae theoreticae in vsu synthetico campum proinde et eius, quod metaphysicam vniuerse vocamus, continebat, locum, inquam, illum respectu dubii philosophi Scotici conceptum causalitatis attingentis sic tractaui. Quod *Humius*, si (quod fere vbi-

que fieri ſolet,) res experientiae ſubiectas pro *rebus per ſe ipſis* acciperet, conceptum cauſae fallacem fucumque inanem declararet, id quidem iure optimo fecit; neque enim in rebus per ſe ipſis earumque determinationibus qua talibus perſpici poteſt, quomodo propterea, quod aliquid A ponitur. quiddam aliud B etiam neceſſario ponendum videatur, ideoque eiusmodi rerum per ſe ipſarum cognitionem ex anticipatione nullo modo concedere poterat. Multo minus originem huius conceptus empiricum homo acutus poterat concedere, quippe qui e diametro neceſſitati coniunctionis repugnat, quae eſſentiam conſtituit conceptus cauſalitatis; proinde conceptus proſcribebatur, locumque eius capiebat conſuetudo in obſeruando itinere perceptionum.

Ex meis inueſtigationibus autem manifeſtum erat, res oblatas, quibus in experientia occupamur, nullo modo res per ſe ipſas eſſe, ſed ſolum viſa ſiue phaenomena, atque, etſi in rebus per ſe ipſis haud queat intelligi, nedum perſpici, quomodo, poſito A, repugnet B, quod prorſus eſt ab A diuerſum, non poni, (neceſſitatem coniunctionis inter A qua cauſam et B qua effectum,) tamen commode poſſe cogitari, eas qua phaenomena *in experientia quadam* quodam modo (velut reſpectu relationum temporis) neceſſario coniunctas eſſe oportere neque diuelli poſſe, niſi illi coniunctioni *repugnent*, cuius interuentu fieri haec experientia poteſt in qua illae res obiectae ſint, a nobisque ſolis queant cognoſci. Atque ſic etiam euentu probatum eſt, ita, vt conceptum cauſae non ſolum ſecundum realitatem eius obiectiuam ratione rerum experientiae obnoxiarum probare poteram, ſed illum etiam, qua conceptum ex anticipatione, ob coniunctionis neceſſitatem, quam inuoluit, *deducere*, id eſt, eius poſſibilitatem ex intelligentia pura, ſine fontibus empiricis, euincere, atque ita, ſublata empiriſmi origine, neceſſarium illius conſequens, nimirum ſcepticiſmum, primo reſpectu ſcientiae naturalis, tum vero etiam, propter ea, quae ex iisdem rationibus reſpectu matheſeos rite conſequuntur, ratione vtriusque ſcientiae, quae ad res ſpectant poſſibili experientiae ſubiectas, eoque vni-

verſam de omnibus dubitationem, quae ratio theoretica perſpicere adſeuerat, funditus tollere.

Sed quid fiet in vſu huius categoriae cauſalitatis (et ſic quoque reliquarum omnium; quippe ſine quibus nulla eorum, quae exſtant, effici cognitio poterit;) ad res experientiae poſſibili haud obnoxias, ſed vltra huiusce terminos ſitas? Etenim realitatem horum conceptuum obiectivam ſolum reſpectu *rerum experientiae poſſibili ſubiectarum* potui deducere. Verum eo ipſo, quod eam etiam ſolum hanc in cauſam ſeruaui, quodque docui, eo tamen poſſe res obiectas *cogitari*, quamquam haud ex anticipatione determinari, locum nactae ſunt in intelligentia pura, a qua ad res obiectas (ſenſibiles, vel non-ſenſibiles) poſſunt referri. Si quid reliqui fecerim, id erit iſtarum categoriarum vſus *conditio*, nominatim cauſalitatis, ad res obiectas, nempe viſionem, qua, vbi non data eſt, vſus *in gratiam cognitionis theoreticae* obiectae rei, qua noumeni, impoſſibilis redditur, qui proinde, ſi quid iſtud auſit, (vti etiam factum eſt in critica rationis purae,) prorſus recuſatur, interea dum realitas conceptus obiectiua ſemper manet, etiam de noumenis vſurpari poteſt, nec vero iſte conceptus vel minimum theoretice determinetur, eoque cognitio efficiatur. Namque hunc conceptum etiam reſpectu cuiuspiam rei obiectae nihil, quod eſſe nequeat, in ſe continere, eo manifeſtum erat, quod illi ſedes in intelligentia pura ſeruaretur in omni vſu ad res ſenſibus ſubiectas, et quamuis is poſtea fere, ad res per ſe ipſas (quae non poſſunt experientiae ſubiectae eſſe) adhibitus, nullius capax eſt determinationis, ad repraeſentationem *cuiuspiam obiectae rei determinatae*, in gratiam cognitionis theoreticae, tamen is ad vllum aliud quodpiam (fortaſſe practicum) conſilium capax eſſe poterat determinationis cuiuspiam ad eius vſum, quod non foret, ſi, ex *Humii* ſententia, hic cauſalitatis conceptus quidquam, quod omnino nequeat cogitari, contineret.

Quamobrem ad hanc conditionem conceptus illius ad noumena adhibendi inueniendam, modo reſpiciendum erit, *quare in eo ad res experientiae propoſitas adhibendo, haud*

adquiescamus, verum etiam de rebus quoque per se ipsis vti illo cuperemus. Tum enim mox adparet, consilium haud theoreticum esse, sed quoddam practicum, quo cogi ad id videamur. Ad contemplationem, etiamsi res succederet, tamen nullum verum lucrum faceremus in cognitione naturae omninoque respectu rerum obiectarum, quae vspiam dari nobis possint atque offerri, sed fere gradum a sensitiue hypothetico, (in quo vt maneamus causarumque catenam studiose percurramus, satis iam nobis laborandum videtur) sed suprasensibile faceremus, vt cognitionem nostram ex parte rationum perficiamus et termineinus, interea dum semper hiatus infinitus inter terminos illos eaque, quae nouimus, haud repletus relinqueretur, magisque nos vanae cuipiam interrogandi insaniae, quam verae discendi cupiditati, paruissemus.

Praeter adfectionem autem *intelligentiae* ad res obiectas (in cognitione theoretica) et alia eius adfectio est ad facultatem adpetendi, quae propterea nominatur voluntas, et voluntas pura. quatenus intelligentia pura (quae tum ratio vocatur) per solam legis cuiuspiam repraesentationem practica videtur. Realitas obiectiua voluntatis purae, siue, quod idem est, rationis purae practicae in lege morali ex anticipatione quasi per quoddam factum data est atque oblata; sic enim, quae ineuitabilis est, determinatio voluntatis dici poterit, quamuis haud posita sit in principiis empiricis. In conceptu voluntatis autem iam inest conceptus causalitatis, proinde in conceptu voluntatis purae conceptus causalitatis ex libertate, id est, eius, quae haud ex legibus physicis determinabilis est, proinde nullius capax visionis empiricae, qua argumenti realitatis suae, nihilominus tamen in lege pura practica ex anticipatione realitatem obiectiuam habet, sed (quod facile intellectu est,) non in gratiam theoretici, sed practici vsus rationis rite tuetur. Atqui conceptus naturae, quae voluntate libera gaudet, conceptus est causae noumeni, huncque conceptum sibimet ipsi haud repugnare, eo iam prouisum videtur, quod conceptus vtpote prorsus ab intelligentia pura profectus, simul

de realitate ſua obiectiua ratione rerum obiectarum in vniverſum per deductionem certus eſt, praeterea quoad originem ab omni conditione ſenſibili vacuus, proinde per ſe haud ad phaenomena adſtrictus, (niſi vbi certum earum vſum theoreticum facere velis,) ad res qua naturas puras intelligibiles profecto poſſet adhiberi. Quoniam vero huic vſui nulla viſio, quippe quae ſemper tantummodo animalis poteſt et ſenſitiua eſſe, ſubiici poteſt, cauſa noumenon reſpectu vſus rationis theoretici, quamuis poſſibilis conceptus eſt, quoque poſſit cogitari, ſed tamen vacuus atque inanis. Neque eo vero cupio naturam entis, *quatenus* id voluntatem *puram* habet, *theoretice* cognoſcere; mihi ſufficit, illud eo qua tale notaſſe, proinde ſolum cauſalitatis conceptum cum conceptu libertatis (et quae ab eo non poteſt ſeparari, cum lege morali, qua ratione illius determinandae,) coniunxiſſe, quod quidem ius, vi purae, haud empiricae originis conceptus cauſae, profecto mihi competit, propterea eo non, niſi reſpectu legis moralis, eius realitatem determinantis, id eſt, tantummodo practice vti mihi licitum videtur.

Quodſi cum *Humio* conceptum cauſalitatis realitate obiectiua in vſu practico non ſolum ratione rerum per ſe ipſarum (ſupraſenſibilium), verum etiam reſpectu rerum ſenſibus ſubiectarum priuaſſem; tum is vim omnem virtutemque perdidiſſet, et qua conceptus theoretice impoſſibilis prorſus inutilis foret, cumque nihili nullus quoque vſus fieri poſſit, vſus practicus conceptus *theoretice vani atque inanis* penitus abſurdus fuiſſet. Cum autem conceptus cauſalitatis empiricae abſolutae theoretice quidem vacuus atque inanis (ſine viſione illi conſentanea) ſit, ſed tamen eſſe poſſit, obiectamque rem incertam atque indeterminatam ſpectet, cuius loco vero ei tamen in lege morali, proinde reſpectu practico, vis ac ſignificatio impertitur, nullam equidem viſionem habeo, quae eius obiectiuam realitatem theoreticam determinet, verum nihilominus verus illius vſus eſt, qui in ſingulo proponi poterit, in ſenſis animi, regulisue ſubiectiuis, hoc eſt, realitas practica,

quae poteſt indicari; quod quidem ad ius eius vel ipſo noumenorum reſpectu idoneum videtur.

Verum haec ſemel inſtituta realitas obiectiua conceptus puri intellectualis in campo ſupraſenſibilium, nunc omnibus reliquis categoriis, quamquam ſemper modo, quatenus eae cum ratione voluntatis purae determinandae (lege morali) in coniunctione *neceſſaria* verſantur, etiam obiectiuam impertit realitatem, ſed nullam aliam, quam quae practice queat adhiberi, cum interim ne minima illis vis ſit in notitiis earum rerum theoreticis, qua perſpicientia naturae illarum per rationem puram, amplificandis. Quemadmodum etiam in ſequentibus inueniemus, eas ſemper duntaxat naturas ſpectare, qua *intelligentias*, in iisque etiam tantummodo fere adſectionem *rationis* ad *voluntatem*, proinde ſolum *actionem* attingere, vtraque nullam ſibi earum cognitionem arrogare; quae vero praeterea cum iis coniunctae proprietates, quae ad theoreticum repraeſentandi modum talium rerum ſupraſenſibilium pertinent, poſſint adduci, eas cunctas tum neutiquam ad ſcientiam numerari, ſed ad ius (reſpectu vero practico ad neceſſitatem) eas ſumendi ponendique, vel tum, cum naturae ſupraſenſibiles (velut deus) ſecundum analogiam, hoc eſt, relationem rationalem puram, quo nos reſpectu ſenſibilium practice vtimur, atque ita rationis purae practicae per vſum ad ſupraſenſibilia, ſed duntaxat fine practico, euagationi in transſcendens minime fauetur.

ANALYTICES RATIONIS PRACTICAE

CAPVT SECVNDVM.

DE

CONCEPTV REI SVBIECTAE

RATIONI PVRAE PRACTICAE.

Conceptum rationis practicae dico repraesentationem rei cuiuspiam obiectae qua effecti per libertatem possibilis. Igitur res subiecta cognitioni practicae, qua talis, solummodo in adfectione cernitur voluntatis ad actionem, qua ea, eiusue contrarium vt exsistat, efficeretur, iudiciumque vtrum quidpiam subiectum sit rationi *purae* practicae, nec ne, tantummodo in discernenda possibilitate vel impossibilitate versatur, ea actionem *volendi*, qua, si illius facultatem haberemus, (de quo experientia iudicare debet) certa quaedam res obiecta exsisteret. Quodsi res obiecta qua ratio determinandae nostrae facultatis adpetendi sumatur, necesse erit, vt *possibilitas* illius *physica* per vsum liberum virium nostrarum iudicium, vtrum ea subiecta rationi practicae sit, nec ne, antecedat. Contra, cum lex ex anticipatione, qua ratio actionis determinandae, proinde haec qua per rationem puram practicam determinata considerari potest, iudicium, an aliquid subiectum sit rationi purae practicae, nec ne, prorsus liberum est a comparatione cum physica nostra facultate, et quaeritur modo, an, quae exsistentiam cuiuspiam rei obiectae spectat, *actionem* velle nobis licitum sit, si penes nos foret, proinde *possibilitas moralis* actionem, necesse est, antecedat; ibi enim ratio eius determinandae non in re obiecta versatur, sed in lege voluntatis.

Solae igitur res rationi practicae propositae cernuntur in *bono maloque*. Namque *bonum* dicimus rem facultati adpetendi necessario obnoxiam, quemadmodum *malum* in re ponimus facultati auersandi necessario subiectam, vtrumque vero ex principio quodam rationis.

Quodsi conceptus boni non ab lege practica antegressa deriuari debeat, sed huic potius fundamento esse, poterit is solum conceptus esse cuiuspiam, cuius exsistentia vocetur, atque ita causalitatem subiecti ad illud producendum, hoc est, facultatem adpetendi determinet. Quoniam igitur fieri non potest, vt perspiciatur, quam repraesentationem *voluptas*, quamque contra *dolor* comitetur, solummodo ab experientia penderet, vt, quid proxime bonum sit quidue malum, statuatur. Qualitas ea subiecti, cuius respectu solum potest haec experientia institui, cernitur in *tactu* iucundi et iniucundi, vtpote receptiuitate sensui interno propria, atque ita conceptus eius, quod proxime bonum est, ea solum spectaret, quibuscum sensatio *voluptatis* proxime coniuncta est, conceptusque simpliciter absoluteque mali ad ea sola, quae proxime *dolorem* excitant, referri deberet. Quod quoniam contrarium est consuetudini verborum, quae *iucundum* a *bono*, *iniucundum* a *malo* distinguit, postulatque, vt bonum malumque semper per rationem, proinde per conceptus, qui vniuerse possunt communicari, nec per solam sensationem, quae ad res singulares earumque receptiuitatem adstringitur, diiudicetur, nihilominus autem per se cum nulla repraesentatione cuiuspiam rei obiectae potest ex anticipatione, iucunditas vel iniucunditas proxime coniungi, philosophus, se coactum autumans sensum iucundi diiudicationi suae practicae pro fundamento constituere, *bonum* diceret, quod instrumentum est iucunditatis, *malumque*, quod causa iniucunditatis est atque doloris; namque diiudicatio relationis subsidiorum ad fines propositos sane pertinet ad rationem. Verum quamquam ratio sola potest coniunctionem adiumentorum cum finibus perspicere, (ita, vt etiam voluntatem possis per facultatem finium definire, quippe qui

ſemper rationes ſunt facultatis adpetendi ex principiis determinandae,) tamen regulae ſubiectiuae practicae, quae ex ſuperiori boni conceptu qua adiumenta ſequebantur, numquam quidpiam per ſe ipſum, ſed ſemper modo *ad vllam rem quampiam* boni, quod voluntati propoſitum foret, continerent: bonum ſemper ſolum foret vtile, idque, ad quod illud vtile eſt, ſemper extra voluntatem eſſe in ſenſatione oporteret. Quae igitur ſi, qua ſenſatio iucunda, a conceptu boni diſtingui deberet, nuſpiam omnino quidpiam proxime bonum exſtaret, ſed bonum duntaxat in viis et adiumentis ad aliud quid, nempe in vlla quapiam iucunditate quaerendum foret.

Eſt vetus illa formula ſcholarum: nihil adpetimus, niſi ſub ratione boni; nihil auerſamur, niſi ſub ratione mali; eiusque vſus ſaepenumero verus, at philoſophiae quoque haud raro pernicioſus vſus eſt, quoniam vocabulis boni et mali quaedam ambiguitas ineſt, e circumſcriptione linguae orta, qua ea dupliciter accipi poſſunt, legesque proinde practicae neceſſario dubiae redduntur, et philoſophia, quae in iis vtendis diſcrimen conceptus in eodem verbo facile ſentire poteſt, neque tamen peculiaria verba invenire, ad diſtinctiones ſubtiles cogitur, de quibus poſtea non poteſt conueniri, propterea quod diſcrimen illud nullo vocabulo apto poteſt proxime denotari *).

Eſt ea linguae Teutonicae conditio, vt vocabulis polleat, quibus diſcrimen iſtud queat indicari. Pro eo, quod Latini vno verbo *boni* denominant, duos ea conceptus habet

*) Praeterea locutio *ſub ratione boni* etiam ambiguitate laborat. Ea enim hanc vim habere poteſt: nos aliquid cogitamus bonum, cum et *quoniam* iſtud *adpetimus* (volumus); verum etiam: adpetimus aliquid eo, quod illud *bonum cogitamus*, ita vt vel cupiditas ratio determinandi conceptus rei obiectae qua boni cuiuspiam, vel conceptus boni ratio determinandae facultatis adpetendi (voluntatis) fit; vbi tum locutio: *ſub ratione boni* ſenſu priori denotaret: volumus atque expetimus aliquid *ſub idea* boni, ſed poſteriori ſignificatione: *ſecundum* hanc ideam, quae volitionem adpetitumque qua ratio eius determinandae debet antecedere.

admodum diuersos, totidemque diuersa vocabula. Pro verbo *boni* vocabulis vtitur *gut* et *wohl*, pro voce *mali* verbis *böse* et *übel* (siue *weh*): ita, vt duo sint diiudicandi genera prorsus diuersa, vtrum in actione aliqua *bonitatem prauitatemque* illius, an *prosperam tristemque* conditionem nostram consideremus. Exinde sequitur; enunciatum psychologicum illud, quod supra attulimus, saltem esse adhuc incertum dubiumque, si sic efferatur: nihil nos adpetimus, nisi sub ratione *boni maliue* nostri; contra illud, si sic exprimatur: volumus et expetimus, secundum rationem, nihil, nisi quatenus istud bonum malumque censemus, indubitato certum idemque prorsus perspicuum effertur.

Bonum malumue (*wohl* vel *übel*) fere modo adfectionem denotat ad statum nostrum *iucunditatis* aut *iniucunditatis*, voluptatis dolorisque, et, si propterea rem expetimus, aut fugimus, fit illud tantummodo, quatenus ad nostram sentiendi facultatem tactumque iucundi et iniucundi, quem id procreat, refertur. Sed *bonum malumue* semper relationem designat ad *voluntatem* quatenus haec per *legem rationalem* determinatur ad quidpiam sibi proponendum; neque ea vmquam per rem obiectam eiusque repraesentationem proxime determinatur, sed in facultate versatur, regulam rationis sibi pro momento actionis (qua res obiecta ad exsistentiam perduci possit) constituendi. Igitur bonum malumue proprie ad actiones refertur, non ad statum sensationis personae, et, si quidpiam absolute (atque omni omnino respectu, et sine vlteriore adiunctione) bonum malumue esse debeat, aut pro eo reputari, solum istud agendi modus foret, lex voluntatis subiectiua ideoque ipsa persona agens, qua bonus malusue homo, non vero res foret, quae sic dici posset.

Quamobrem quantumuis ille rideretur Stoicus qui in ardentissimis podagrae doloribus exclamaret: quantumuis, dolor, me torqueas, numquam tamen, te malum (κακὸν) esse fatebor! Vera dixit. Triste quidem fuit, quod sensit, idque clamor prodidit; sed eo illi aliquid mali inesse, nullo

modo erat, cur concederet; dolore enim dignitas personae minime minuitur, sed modo conditionis. Vnum, cuius sibi conscius fuisset, mendacium animum eius perdidisset; verum dolor fecit, vt eum tolleret, si sibi conscius esset, nulla sibi actione iniusta culpam se contraxisse, neque eo poenae obnoxium reddidisse.

Quod bonum nobis dicendum erit, ex cuiusque sani hominis sententia res esse debet facultati adpetendi proposita, malumque ex cuiusque iudicio res obnoxia auersioni; proinde, praeter sensum, ad id diiudicandum opus est ratione. Sic cum veracitate mendacio contraria, sic cum iustitia contraria violentiae, et id genus aliis comparatum videtur. Sed possumus quidpiam malum vocare, quod tamen quisque bonum nonnumquam interuentu, subinde adeo proxime declarare debet. Is qui operationem chirurgicam fieri in se patitur, sine dubio eam sentit qua malum; sed per rationem et ipse, et quisque alius eam bonam reputat. Si quis autem, qui homines pacis studiosos libenter petit atque perturbat, tandem aliquando infelicius impingat, verberibusque probe depexus mittatur; sane hoc malum videtur, sed quisque istud adsensu probat, ac per se bonum existimat, etiamsi nihil quidquid amplius inde nascatur; quia ipse, qui plagas accipit, per rationem, necesse est, sibi recte fieri, agnoscat, quoniam, quae inter bene valere et bene agere intercedit, quamque ratio ei necessario ostendit, proportio hic diligenter seruatur.

Ac profecto quidem iudicio rationis nostrae practicae *permultum* pendet ab salute nostra ac miseria, et, quod naturam nostram attinet, qua entium sensitiuorum, *omnia* vertuntur in *felicitate* nostra, si ea, quemadmodum ratio praecipue postulat, haud ex sensatione fugiente, verum ex vi et contagione, quam fortuitum istud cum vniuersa nostra exsistentia et tranquillitate habet, diiudicetur; neque tamen *omnia omnino* inde pendere videntur. Homo est natura indigens, quatenus pertinet ad mundum sensibilem, et eatenus sane est in officio rationis necessario, ex parte facultatis sensitiuae, vt, quae huius intersint, curet, regu-

lasque sibi practicas statuat, etiam respectu ad felicitatem habito huius, et, si fieri possit, etiam vitae futurae. Nec vero is ita prorsus animal est, vt nihil quidquam eorum, quae ratio per se ipsa dictitat, curet, eaque solum pro instrumento vtatur necessitatis suae, qua naturae sensitiuae, explendae. Neque enim rationis munere, si ea solum ad potienda ea vtatur, quae in bestiis impetu (siue, quem vocant, instinctu) fiunt, dignitas eius supra animalem naturam euehitur; tum enim ratio non nisi modus peculiaris foret, quo vsa natura fuisset, hominis ad eumdem, ad quem bestias formauit, finem exornandi, neque ad altiorem finem eius condendi. Igitur sane pro consilio naturae, indiget rationis, vt salutem suam ac miseriam semper ad deliberationem reuocet, verum ea praeterea illi ad altiorem causam data videtur, nimirum, vt ea, quae per se bona malaue sunt, et de quibus ratio pura, nullis, quae sub sensum cadant, rebus commota sola potest iudicium ferre, non solum simul consideret, sed hanc diiudicationem prorsus ab illa discernat, eamque conditionem huiusce faciat supremam.

In diiudicando per se bono maloque, vt discernatur ab eo, quod modo relatiue ad salutem ac miseriam sic dici potest, sequentia sub contemplationem cadunt. Principium rationale aut iam per se qua ratio voluntatis determinandae cogitatur, nullo respectu habito rerum possibilium facultati adpetendi subiectarum, (ergo solum per formam regulae legalem,) tum illud principium lex erit practica ex anticipatione, ratioque pura per se practica esse accipitur. Lex tum voluntatem *proxime* determinat, actio ei conueniens *per se ipsa bona* est, et voluntas, cuius regula subiectiua semper huic legi consentanea est, *absolute, omni respectu, bona* est, supremaque *vniuersi boni* conditio: aut ratio determinandae facultatis adpetendi regulam voluntatis subiectiuam antecedit, quae rem iucunditati iniucunditatique subiectam ponit, proinde quidpiam, quod *delectet doleatue*, regulaque subiectiua rationis illam adpetendi, hanc fugiendi, actiones determinat, prout relatiue ad propensionem nostram, proinde solum interuentu (respectu

alius cuiuspiam vlterioris finis, qua adiumenti) bonae sunt, atque eae regulae tum numquam poterunt leges vocari, sed tamen praeceptiones sanae, practicae. Ipse finis, voluptas, quam quaerimus, in posteriori casu haud *bonum (gutes)* est, sed *commodum (wohl)*, non conceptus rationis, conceptus rei sensationi subiectae empiricus; verum vsus adiumenti ad id, hoc est, actio, (quoniam deliberatio ex ratione instituta requiritur) tamen bona vocatur, sed non absolute, sed modo respectu facultatis nostrae sensitiuae, ratione tactus iucundi et iniucundi; voluntas autem, cuius regula ea adsicitur, non est voluntas pura, quae solum ea spectat, in quibus ratio pura per se ipsa potest practica esse.

Hoc loco e re erit, paradoxon viae ac methodi enodari in critica rationis practicae: *scilicet conceptum boni malique non ante legem moralem, (cui, vt videtur, adeo fundamento deberet substerni,) sed modo (quod et hoc loco fit) ex ea per eamque determinari oportere.* Quippe etiamsi nesciremus, principium moralitatis legem esse puram ex anticipatione voluntatem determinantem, tamen, ne plane gratis decreta acciperemus, primo certe deberemus *in medio* relinquere, vtrum voluntas solum rationes determinantes empiricas habeat, an etiam puras ex anticipatione: est enim contra vniuersas regulas principes tractationis philosophicae, ea, de quibus demum statui debet ac decerni, iam antea statuta decretaque accipere. Fac, nos velle a conceptu boni instituere, vt inde leges voluntatis deriuemus, hic conceptus rei oblatae cuiuspiam (qua cuiusdam boni) simul hunc, vtpote solam determinandae voluntatis rationem indicaret. Quoniam igitur huiusce conceptibus norma in nulla lege practica ex anticipatione inest; boni maliue obrussa non nisi in conuenientia rei obiectae cum tactu nostro iucundi vel iniucundi posset poni, vsusque rationis duntaxat in eo cerneretur, vt partim ea iucunditas vel iniucunditas in vniuerso contextu cum omnibus exsistentiae meae sensationibus, partim adiumenta rei illi subiectae comparandae, determinentur. Cum autem, quod tactui iucunditatis consentaneum sit, solum per experientiam decerni queat, lex vero practica eo tamen, qua conditione,

debeat conſtitui, poſſibilitas legum practicarum ex anticipatione directo excluderetur; ſiquidem ante neceſſarium ducebatur, vt res voluntati obnoxia inueniretur, cuius, qua boni, conceptu, ratio vniuerſalis, quamquam empirica voluntatis determinandae efficeretur. Atqui antea opus erat inueſtigatione, anne quoque ratio determinandae voluntatis ex anticipatione exſtet (quae numquam vspiam, niſi in lege quadam pura practica, et quidem quatenus ſolam formam legalem, nullo ad rem quampiam obiectam reſpectu habito, regulis praecipit, inuenta fuerit). Quoniam vero iam res obiecta quaedam ex conceptus boni maliſque fundamento vniuerſae legis practicae conſtituebatur, ea res autem, ſine lege praeuia tantummodo ſecundum conceptus empiricos cogitari poterat, eo ipſo poſſibilitas legis purae practicae vel modo cogitandae iam in anteceſſum erepta foret; cum e contrario, ſi legem practicam ante inueſtigaſſent analytice, apertum foret non conceptu boni, qua rei obiectae, legem moralem, ſed vice verſa morali lege demum boni conceptum, quatenus ſimpliciter hoc nomine dignum ſit, determinari, atque, vt is eſſe poſſit, effici.

Scholion, quod ſolum viam ac methodum attinet ſummarum inueſtigationum moralium, permagni momenti videtur. Illud enim cauſam explanat, quae anſam dedit philoſophorum erroribus reſpectu ſummi principii philoſophiae moralis. Etenim rem conquiſiuerunt voluntati ſubiectam, quam materiam facerent rationemque legis (quae tum haud proxime, ſed interuentu illius obiectae rei ſenſui iucundi vel iniucundi propoſitae, ratio eſſet voluntatis determinandae, cum tamen primo legem quamdam debuiſſent percontari, quae ex anticipatione proximeque voluntatem, huicque conuenienter demum rem obiectam determinaret). Eam rem iucunditati propoſitam, quae pro ſummo boni conceptu eſſe deberet, ſiue in felicitate, ſiue in perfectione, ſiue in lege morali, ſiue in voluntate dei ponerent, ſemper principium erat in heteronomia poſitum, neceſſarioque iis ad conditiones empiricas legis moralis deueniendum fuit: ſiquidem rem obiectam, qua proxi-

mam determinandae voluntatis rationem, solum ad adfectionem eius proximam ad tactum, qui semper empiricus est, bonam poterant malamque nominare. Solum lex formalis, hoc est, ea, quae rationi nihil amplius quidquam praeter formam legislationis vniuersalis pro suprema regularum subiectiuarum conditione, ex anticipatione potest ratio determinandae practicae rationis videri. Interim veteres hoc peccatum eo aperte ostenderunt, quod inuestigationem moralem prorsus in conceptu *summi boni* determinando, proinde rei obiectae ponerent, quam deinceps rationem determinandae voluntatis in lege morali facere vellent: quae quidem obiecta res postea demum, cum lex moralis per se probata et qua proxima voluntatis determinandae ratio deducta fuerit, voluntati nunc quoad formam ex anticipatione determinatae qua res obiecta potest proponi, id quod in dialectica rationis purae practicae conabimur. Recentiores, quibus quaestio de summo bono inusitata facta esse, saltim ad leuiores causas numerata videtur, peccatum istud (quemadmodum alias) verbis occultant vagis atque indeterminatis, cum illud interea e systematibus eorum emicare videamus, vbi tum vbique heteronomiam prodit rationis practicae, ex qua nullo modo potest lex moralis ex anticipatione vniuersalis exsistere.

Cum igitur conceptus boni malique, qua consequentia determinationis voluntatis ex anticipatione, etiam principium purum practicum ponant: originarie non (fere qua determinationes vnitatis syntheticae variarum visionum datarum in conscientia) ad res obiectas, velut conceptus puri intellectuales, siue categoriae rationis theoreticae, quas potius qua datas sumunt: sed cuncti sunt modi vnius categoriae, nimirum caussalitatis, quatenus ratio earum determinans in repraesentatione rationali legis illarum cuiuspiam cernitur, quae, qua lex libertatis, ratio sibimet ipsa praecipit eoque sese ex anticipatione practicam manifestat. Cum interea actiones, *ex parte* quidem sub lege quadam, quae nulla lex physica sit, sed lex libertatis, ad vitam et mores naturarum intelligibilium, *ex parte* vero tamen etiam, qua euenta in mundo sensibili, ad phaeno-

mena pertineant, determinationes rationis practicae tantummodo respectu phaenomenorum, proinde quidem categoriis intelligentiae conuenienter, nec vero ad vsum eius theoreticum, vt varia *visionis* (sensitiuae) in vna conscientia indiuidua ex anticipatione copulentur, sed modo vt varia *adpetitionum*, vnitati conscientiae rationis cuiuspiam practicae in lege morali imperantis, voluntatisue cuiuspiam purae ex anticipatione subiiciantur, locum habere poterunt.

Hae categoriae libertatis, sic enim eas, pro conceptibus illis theoreticis, vtpote categoriis naturae, vocabimus, apertum principatum tenent prae his posterioribus, quod, cum hae solum in formis cogitationum versentur, quae duntaxat indeterminate res obiectas in vniuersum cuique, quae nobis esse potest, visioni per conceptus vniuersales designant, contra, hae e contrario, cum determinationem spectent *liberi arbitrii*, (cui quidem nulla visio poterit, prorsus consentanea, proponi, quae vero, quod in nullis locum habet conceptibus vsus theoretici facultatis nostrae cognoscendi, in lege pura practica ex anticipatione constituta est,) qua conceptus practici elementares loco formae visionis (spatii et temporis) quae non in ratione ipsa inest, sed aliunde, nempe a facultate sensitiua, depromenda videtur, *in forma voluntatis purae* in ea, proinde in ipsa cogitandi facultate, quasdata constitutae sunt; quo quidem fit, vt, cum in vniuersis rationis purae practicae praeceptis tantummodo de *determinanda voluntate*, non de conditionibus physicis (facultatis practicae) *exsequendi consilii* agatur, conceptus practici ex anticipatione cum summo libertatis principio comparatae, statim cognitiones fiant, nec debeant visiones exspectare, quo vim et significatum nanciscantur, et quidem ob hanc causam grauissimam, quoniam eius, quod spectant, (desiderii voluntatis) exsistentiam ipsam producunt, quod non cadit in conceptus theoreticos. Modo probe notetur, has categorias solum ad rationem practicam pertinere, atque ita in ordine suo a moraliter indeterminatis, et sensitiue hypotheticis, ad ea, quae sensu absoluta, per solam legem moralem determinata sunt, progredi.

TABVLA

categoriarum libertatis ratione conceptuum boni et mali.

1.

Quantitatis

Subiectiue, ex regulis (*declarationes voluntatis* finguli fiue indiuidui).

Obiectiue, ex principiis (*praecepta*).

Ex anticipatione cum obiectiua, tum fubiectiua principia libertatis (*leges*).

2.

Qualitatis

regulae practicae *actionis* (*praeceptiuae*).

regulae practicae *omiffionis* (*prohibitiuae*).

regulae practicae *exceptionum* (*exceptiuae*).

3.

Relationis

ad *perfonalitatem*.

ad *ftatum* perfonae.

mutuo vnius perfonae ad ftatum alterius.

4.

Modalitatis

Licitum et *illicitum*.

Officium et *officio contrarium*.

Officium perfectum et *imperfectum*.

Hoc loco mox intelligitur, in hac tabula libertatem, qua genus quoddam caufalitatis, nec tamen rationibus determinantibus empiricis fubiectam, refpectu actionum, quae per eam fieri poffunt, qua phaenomena in mundo fenfibili, confiderari, proinde categorias fpectare poffibilitatis fuae phyficae, cum tamen quaeque categoria tam vniuerfalis fumatur, vt ratio determinans illius caufalitatis etiam extra mundum fenfibilem in libertate, quae proprietas eft naturae intelligibilis, poffit fumi, donec categoriae modalitatis a principiis practicis vniuerfe ad principia moralitatis transitum, fed modo *problematice*, inftituant, quae poftea demum per legem moralem poffunt *dogmatice* oftendi.

Hoc loco ad illuftrandam hunc tabulam nihil amplius addo, fiquidem per fe fatis dilucida ea ac perfpicua eft. Eiusmodi diuifio ex principiis defcripta cuique fcientiae, cum ob perfectionem illius, tum perfpicuitatem, valde vtilis videtur. Sic, exempli gratia, ex fuperiori tabula eiusque numero primo ftatim intelligimus, vnde in deliberationibus, quae actionem fpectant, inftituendum fit: a regulis fubiectiuis, quas in fuam quisque propenfionem conftituit, praeceptisque, quae ad genus quoddam naturarum rationalium, quatenus in quibusdam adpetitionibus confpirent, valent, tandemque lege, quae ad vniuerfas valet, nullo habitu cupiditatum refpectu, et fic porro. Hoc modo tota forma patet eorum, quae facienda funt, atque etiam quaeque quaeftio philofophiae practicae, ad quam refpondendum, fimulque ordo, qui tenendus videtur.

DE TYPICA FACVLTATIS IVDICANDI PVRAE PRACTICAE.

Conceptus boni et mali primum ad rem obiectam quampiam voluntatem determinant. Ipfi vero regulae cuiquam fubfunt practicae rationis, quae, fi ratio pura eft, voluntatem ex anticipatione refpectu rei illi fubiecta determinat. Vtrum autem, quae fieri per facultatem fenfitivam poffit, actio regulae fubfit, nec ne, facultate iudi-

candi practica declaratur, qua, quae in regula vniuerſe (in abstracto) enunciata erant, ad actionem quamdam in ſingulo (in concreto) adhibentur. Quoniam autem regula practica rationis purae *primo*, qua *practica*, exſiſtentiam rei cuiuspiam obiectae attingit, et deinde, qua *regula practica* rationis purae, neceſſitatem in ſe cohibet reſpectu exſiſtentiae actionis, proinde lex practica videtur, et quidem non lex phyſica, per rationes determinantes empiricas, ſed lex libertatis, ſecundum quam voluntas, ab omni empirico libera, (ſolum per repraeſentationem legis cuiuspiam vniuerſe eiusque formam) eſſe determinabilis debet, omnes autem cauſae obuiae ad actiones poſſibiles ſolum empiricae poſſunt, id eſt, ad experientiam naturamque pertinere; abſonum videtur, in mundo ſenſibili caſum quemdam putare deprehendi, qui, cum ſemper eatenus modo legi phyſicae ſubſit, tamen vſum legis libertatis ad ſe concedat, atque in quem idea honeſti (ſiue moralis boni) ſupraſenſibilis, quod in ea in ſingulo debet proponi, queat adhiberi. Ergo facultas iudicandi rationis purae practicae iisdem difficultatibus obnoxia eſt, quibus ratio theoretica expoſita videtur, quae nihilominus, quo ſe ex iis expediret, remedium in promtu habebat; nimirum, cum vſus theoreticus e viſione penderet, ad quam conceptus puri intelligentiae poſſent adplicari, cuiusmodi viſiones (quamquam tantummodo de rebus ſenſibus ſubiectis) tamen ex anticipatione, proinde, quoad coniunctionem variorum in iis, conceptibus puris intelligentiae ex anticipatione convenienter (qua ſchemata) dari poſſunt atque proponi. Contra honeſtum (bonum morale) quiddam quoad rem obiectam ſupraſenſibile, cui quidem quod reſpondeat, in nulla viſione ſenſitiua inueniri poteſt, facultasque iudicandi ſub legibus rationis purae practicae, proinde praecipuis difficultatibus obnoxia videtur, quae in eo poſitae ſunt, quod lex libertatis ad actiones debeat, qua euenta, quae in mundo ſenſibili fiunt, ideoque eatenus ad naturam pertinent, adhiberi.

Verum hic rurſus aperitur fauſtus facultati purae practicae iudicandi proſpectus. In actione quapiam in mundo

ſenſibili mihi poſſibili ad *legem puram practicam* adhibenda, non de poſſibilitate *actionis* agitur, qua eueuti cuiusdam in mundo ſenſibili, ea enim vſum rationis theoreticum attinet diiudicandum, ſecundum legem cauſalitatis, conceptus puri intellectualis, cuius ea *ſchema* continet in viſione ſenſitiua. Cauſalitas phyſica, conditioue, ſub qua ea locum habet, attingit conceptus phyſicos, cuius ſchema phantaſia transſcendentalis delineat. Hoc loco vero non de ſchemate caſus cuiuspiam ſecundum leges agitur, ſed de ſchemate (ſi hoc verbo apte hoc loco vti poſſis) ipſius legis cuinspiam, queniam *determinatio voluntatis* (non actionis quoad eius conſequens) per ſolam legem, ſine vlla alia ratione determinante, conceptum cauſalitatis ad longe alias conditiones adiungit, quam quibus coniunctio phyſica efficitur.

Legi phyſicae, qua legi, cui, quae ſub viſionem ſenſitiuam cadunt, res, qua tales, ſubiectae ſunt, ſchema, id eſt, vniuerſalis tractandi ratio phantaſiae, (conceptus puri intellectualis, quem lex determinat, ſenſibus ex anticipatione proponendi) reſpondeat, neceſſe eſt. Verum legi libertatis. (vtpote cauſalitati haud ſenſitiue adſtrictae,) proinde quoque conceptui abſoluto boni nulla prorſus viſio, proinde nullum ſchema in gratiam vſus illius poteſt in ſingulo ſubponi. Ergo legi morali nulla alia facultas cognoſcendi eſt, qua vſus eius ad res naturae ſubiectas transferatur, quam intelligentia (non vero phantaſia.) quae ideae rationali non *ſchema* facultatis ſenſitiuae, ſed legem poteſt, eam tamen, quae in rebus ſub ſenſus ſubiectis in ſingulo queat proponi, proinde legem phyſicam, ſed modo quoad formam, qua legem in gratiam facultatis iudicandi ſupponere, eamque proinde *typum* poſſumus legis moralis adpellare.

Regula facultatis iudicandi ſub legibus rationis purae practicae haec eſt: te ipſum percontare, an, quam tibi propoſitam habes, actionem, ſi ea, ſecundum legem naturae, cuius tute ipſe pars fores, fieri debeat, poſſis qua per voluntatem tuam poſſibilem ſpectare. Ad hanc regulam

quisque reapſe actiones diiudicat, honeſtae (moraliter bonae) ſint, an turpes ſeu malae. Sic dicimus: quid? ſi *quisque*, cum putat vtilitati ſuae conſulere, ſibi licere decipere crederet, aut penes ſe eſſe, vitam finire, ſimulatque taedio illius corriperetur, alienasue aerumnas aequo animo conſpiceret, et tute ad eiusmodi rerum ordinem pertineres, num in eo tandem libenter degeres? Iam quisque probe nouit, ſi occultam fraudem tentet, ideo haud quemque idem facere, aut ſi nulla alterius miſeria commoueatur, continuo non quemque erga ſe pariter ſe geſturum fore; idcirco haec comparatio regulae actionum ſuarum cum lege phyſica vniuerſali non eſt ratio voluntatis ſuae determinandae. Verum tamen haec poſterior (lex phyſica vniuerſalis) *typus* eſt diiudicandae prioris (regulae actionum) ſecundum principia honeſti. Quodſi regula actionum haud ita comparata ſit, vt ad formam legis naturae vniuerſe probetur, ea moraliter impoſſibilis erit. Sic ipſa iudicat intelligentia communis; nam lex naturae vniuerſis iudiciis ſuis frequentiſſimis, vel ipſius experientiae, ſemper quaſi fundamentum quoddam conſtituta videtur. Ea igitur illi ſemper in promtu eſt, ita tamen, vt modo tum, cum cauſalitas ex libertate diiudicanda eſt, illa *naturae lege* ſolum pro typo *legis libertatis* vtatur, legi rationis purae practicae vſum in ea adhibenda non poſſet comparare, niſi aliquid in promtu haberet, quo vti pro exemplo poſſet occaſione data.

Quamobrem etiam licebit *natura mundi ſenſibilis* pro typo vti *naturae intelligibilis*, dum modo viſiones, quaeque ex his pendent, ad hanc transferam, ſed ſolum *formam legalitatis* vniuerſe (cuius conceptus etiam in puriſſimo rationis vſu locum habet, verum in nullum alium finem, niſi ſolum ad vſum purum practicum rationis, ex anticipatione determinate cognoſci poteſt) referam. Leges enim, qua tales, eatenus eaedem ſunt, vndecumque earum rationes determinantes, depromtae videantur.

Caeterum, cum omnium omnino intelligibilium nihil quidquam, niſi (interuentu legis moralis) libertas, et ea

quoque solum quatenus in sumtione versatur ab illa inseparabili, omnesque porro res intelligibiles, ad quas ratio nos, duce lege illa, forte ducat, rursus pro nobis nullam amplius realitatem habeant, quam in gratiam eiusdem legis vsusque rationis purae practicae, haec autem potestatem habeat pro typo facultatis iudicandi naturam (secundum formam puram intellectualem illius) vsurpandi, eiusque etiam indigeat; hoc scholion caueri debebit, ne, quae solum ad *typicam* conceptuum pertinent, ad conceptus ipsos numerentur. Haec igitur, qua typica facultatis iudicandi, *empirismum* arcet rationis practicae, qui conceptus practicos boni malique solum in consequentibus ponit empiricis (sic dictae felicitatis), quae quamquam cum infinitis consequentibus salutaribus voluntatis per philautiam determinatae, si haec se ipsam simul legem faceret naturae vniuersalem, profecto potest typo esse honesti prorsus consentaneo, verum tamen cum hoc non idem videtur. Eadem typica arcet etiam *mysticismum* rationis practicae, quae, quod solum *symbolo* seruiret, *schema* efficit, hoc est, veras, et tamen non sensitiuas, visiones (regni dei inuisibilis) vsui conceptuum moralium supponit, atque in transscendentia euagatur. Vsui conceptuum moralium solum conuenit *rationalismus* facultatis iudicandi, qui ab natura sensibili nihil depromit, nisi quod etiam ratio pura per se queat cogitare, id est, legalitatem, neque quidquam in suprasensibilem infert, quam quod vicissim possit per actiones in mundo sensibili ad regulam legis naturae formalem vniverse vere proponi. Interim munitio contra *empirismum* rationis practicae multo grauior est, longeque dignior, quae suadeatur, quoniam *mysticismus* cum puritate excellentiaque legis moralis conciliari potest, praetereaque haud fere naturae ingenioque hominum communi consentaneum videtur, phantasiam vsque ad visiones sensitiuas contendere, proinde in hac parte discrimen non tam late patet; cum contra empirismus honestatem animorum (in qua tamen, neque solum in actionibus, summa dignitas consistit, quam sibi humanum genus per eam et potest comparare et debet) funditus exstirpat, eique longe aliud quid,

pro officio ſupponit, nempe inuitamentum quoddam empiricum, quocum vniuerſe inuicem rem habent adpetitiones, propterea quoque, ob eam ipſam cauſam, cum vniuerſis inclinationibus animi, quae (quam iis cumque formam induas) ſi in locum dignitatemque ſummi principii practici euehuntur, animum humanum loco mouent, cumque nihilominus omnium ingenio admodum faueant, idcirco multo perículoſior eſt, quam vniuerſa fanaticorum inſania, quae numquam poteſt multorum hominum mentes diu tenere.

CAPVT TERTIVM.

DE

ELATERIBVS

RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

Quae naturam vniuersi actionum pretii moralis constituunt, eo redeunt, *vt lex moralis proxime voluntatem determinet.* Quodsi determinatio voluntatis legi morali *conuenienter* quidem fiat, sed solum interuentu cuiuspiam tactus, cuius ille cumque generis sit, quod poni debet, vt illa ratio fiat idonea voluntatis determinandae, proinde non *propter legem;* actio *legalitatem* quidem, non vero *moralitatem* continebit. Si igitur *elaterem animi* dicamus rationem subiectiuam determinandae voluntatis naturae, cuius ratio non, iam per naturam suam, legi obiectiuae necessario conuenit, primo inde efficietur, vt voluntati diuinae nulli prorsus queant elateres attribui, sed elater voluntatis humanae (et cuiusque naturae rationisque creatae) nunquam quidpiam aliud esse possit, quam lex moralis, proinde ratio determinans obiectiua semper solaque simul ratio actionis determinandae subiectiuae idonea esse debeat, si haec non solum *literam* legis attingere debeat, neque *sententiam* *) eius ostendere.

Cum igitur in gratiam legis moralis, vtque ei vis in facultatem impertiatur, nullus vlterior elater, in quo elateribus legis moralis supersederi queat, debeat quaeri, quippe quo nil nisi mera species efficeretur, adeoque *periculosum* sit, praeter legem moralem alios quosdam elateres (velut vtilitatis,) in communionem vocari; nihil relinqui-

*) De vna quaque actione legali, haud propter legem facta, dici potest: eam solum quoad *literam* honestam esse et moraliter bonam, non vero secundum *sententiam*.

tur, quam vt folum diligenter determinetur, quo modo lex moralis fiat elater, quidque, dum ea elater eft, in humana adpetendi facultate agatur, qua effectio illius rationis determinantis in eam. Quomodo enim lex per fe proximeque effe poffit ratio voluntatis determinandae, (in quo quidem confiftit effentia vniuerfae moralitatis,) quaeftio eft rationi humanae inenodabilis, eademque cum hac: quomodo effe poffit voluntas libera. Quamobrem haud ratio, cur lex moralis in fe elater fit, fed quid, quatenus ea talis eft, in animo efficiat, (vel potius, efficere oporteat,) ex anticipatione debebimus monftrare.

Natura vniuerfae determinationis voluntatis per legem moralem eo redit, vt ea qua voluntas libera, proinde non folum fine contagione impulfionum fenfitiuarum, fed ipfis iis cunctis repudiatis, omnibusque inclinationibus, quatenus illi legi poffunt officere, coercitis, folum per legem determinetur. Eatenus igitur effectio legis moralis qua elater tantummodo negatiua eft, et qua talis hic elater poteft ex anticipatione cognofci. Etenim omnis inclinatio et quaeque fenfitiua impulfio in tactu conftituta eft, effectioque in tactum negatiua (per vim inclinationibus illatam) ipfa in tactu cernitur. Ergo ex anticipatione perfpicere poffumus, lege morali qua ratione determinandae voluntatis eo, quod omnibus ea inclinationibus vim adfert ac derogat, tactum effici oportere, qui poffit dolor vocari, et hic primum accidit, et fortaffe quoque femel, vt ex conceptibus ex anticipatione adfectionem cognitionis cuiuspiam (quae hic eft rationis purae practicae) ad tactum iucundi vel iniucundi poffemus determinare. Vniuerfae inclinationes praecipitationesque coniunctim, (quae fere quoque poffint quodam modo fyftemate comprehendi, quarumque fatiatio tum propria felicitas vocatur) efficiunt *infaniam colendi fui* (folipfifmum). Quae quidem vel *amore fui, beneuolentia* erga fe ipfum fumma (philautia), vel *beneplacentia* fui ipfius (arrogantia) continetur. Ratio pura practica philautiae folum derogat, eo, quod eam qua per naturam, et iam ante legem moralem, in nobis viuam, tan-

tummodo ad conditionem conuenientiae cum hac lege adſtringit; vbi tum *philautia rationalis* vocatur. Sed *arrogantiam* ea penitus *proſternit*, propterea, quod omnia iura obſeruandi ſui ipſius, quae conuenientiam cum lege morali antecedunt, vana ſunt et nulla, ſiquidem ipſa ſententiae certitudo, huic legi conſentaneae, prima conditio eſt pretii dignitatisque omnis perſonae (vti mox clarius docebimus, omnisque ante illam arrogantia falſa eſt et legi contraria. Atqui animi propenſio ad ſe ipſum venerandum in inclinationibus eſt, quibus derogat lex moralis, quatenus illa ſolum in moralitate poſita videtur. Ergo lex moralis arrogantiam proſternit. Attamen cum haec lex quiddam per ſe poſitiuum ſit, nimirum forma cauſalitatis cuiuspiam intellectualis, hoc eſt, libertatis ea, dum ex oppoſito contrarii ſubiectiui, nempe procliuitatum in nobis, arrogantiam *debilitat*, ſimul res eſt *obſeruantiae* propoſita, dumque ea illam adeo *proſternit*, id eſt, deprimit, res *obſeruantiae* ſummae ſubiecta, proinde quoque ratio tactus cuiuspiam poſitiui, qui non eſt originis empiricae, et ex anticipatione cognoſcitur. Ergo obſeruantia legis moralis in tactu verſatur, qui per rationem efficitur intellectualem, atque is tactus vnus eſt, quem prorſus ex anticipatione cognoſcimus, cuiusque poſſumus neceſſitatem perſpicere.

Superiori capite vidimus, vniuerſa, quae qua res voluntati ſubiectae *ante* legem moralem nobis ſe offerunt, a rationibus voluntatis determinandae, ſub titulo abſolute boni, per hanc ipſam legem, qua conditionem rationis practicae ſupremam, excludi, ſolaque forma practica, quae ratione regularum ad legislationem vniuerſalem idonea cernitur, primum id, quod per ſe abſoluteque bonum ſit, determinari regulamque conſtitui voluntatis purae, ſolius omni reſpectu purae. Iam naturam noſtram, qua animalium, ita comparatam videmus, vt materia facultatis adpetendi (res inclinationi ſubiectae, ſiue ſpes ſit, ſeu metus) primum ſe obtrudat, noſtrumque ipſe ego pathologice determinabile, etſi per regulas ſuas penitus haud idoneum ſit ad legislationem vniuerſalem, tamen perinde

atque eo totum illud nostrum ipse ego efficiatur, iura sua ante conetur, vtque prima atque originaria tueri. Hanc inclinationem, se ipsum ex rationibus determinandae voluntatis subiectiuis rationem voluntatis determinandae obiectivam vniuerse faciendi, *amorem* possumus *sui ipsius* vocare, qui, si se legislatorium efficit, ad dignitatemque euehit principii practici absoluti, poterit *arrogantia* nominari. Iam lex moralis, quae sola vere obiectiua est (nimirum omni respectu), contagionem amoris sui cum principio supremo practico penitus excludit, arrogantiaeque, conditiones illius subiectiuas qua leges praecipienti, immensum derogat. Atqui quod arrogantiae nostrae ex nostra sententia derogat, id deprimit. Ergo lex moralis quemque hominem necessario deprimit, quippe qui cum ea inclinationem animalem naturae suae comparat. Id, cuius repraesentatio, qua *ratio determinandae voluntatis nostrae*, nos in conscientia nostra deprimit, per se, quatenus positiuum est ratioque determinans, *aestimationem* mouet. Ergo lex moralis etiam subiectiue ratio est aestimationis. Cum autem omnia, quae in amore sui deprehenduntur, ad propensionem pertineant, sed vniuersa propensio in tactibus posita sit, proinde quod cunctis propensionibus in amore sui derogat, eo ipso necessario vim exserat in tactu, comprehendimus, qui fieri possit, vt ex anticipatione perspiciamus, legem moralem, propterea quod propensiones inclinationemque, eas conditiones statuendi practicas supremas, hoc est, amorem sui, ab omni aditu ad legislationem supremam excludit, vim posse in tactu exserere, quae partim solum negatiua sit, partim autem et quidem respectu rationis coercentis rationis purae practicae *positiua*, et ad quam nulla prorsus peculiaris tactus species, sub titulo practici siue moralis, qua legem moralem antegressae, illique fundamento constituti necesse est accipi.

Negatiua in tactu effectio (iniucunditatis), quemadmodum omnis vis in eam, et vti omnis omnino tactus, *pathologica* est. Verum qua effectio conscientiae legis moralis, proinde respectu causae intelligibilis, nimirum sub-

iecti rationis purae practicae, qua legislatricis supremae, hic tactus subiecti rationalis ab inclinationibus adfecti pulsique, depressio quidem (contemtus intellectualis) vocatur, sed respectu rationis illius legis positiuae simul obseruantia nominatur, cuius quidem legis nullus omnino tactus locum habet, verum in iudicio rationis, propterea quod impedimentum tollit, impedimenti remotio aequiparatur promotioni positiuae caussalitatis. Idcirco hic tactus etiam tactus obseruantiae legis moralis, ob vtramque caussam vero potest *tactus moralis* adpellari.

Itaque lex moralis, prout ea formalis ratio determinandae actionis est, per rationem practicam, quemadmodum ea quidem et materialis, verum solum obiectiua ratio est determinandarum rerum actioni obnoxiarum sub titulo boni malique, ita ea etiam ratio est determinans subiectiua, hoc est, elater, ad hanc actionem, propterea quod ea contagione continetur cum moralitate subiecti, tactumque efficit, qui vim legis in voluntate promouet. Hic nullus in subiecto tactus *antecedit*, ad moralitatem intentus. Id enim fieri non potest, siquidem omnis tactus sensitiuus est; sed elater sententiae moralis ab omni conditione sensitiua esse liber debet. Potius tactus sensitiuus, qui omnibus inclinationibus nostris fundamento subest, conditio quidem est eius sensationis, quam obseruantiam vocamus, verum caussa determinationis eius inest in ratione pura practica, eaque proinde sensatio, propter originem suam, non pathologice, sed *practice effecta* dici potest; propterea, quod eo, quod repraesentatio legis moralis amori sui vim, arrogantiaeque opinionem derogat, impedimentum rationis purae practicae minuit, repraesentatioque principatus legis obiectiuae prae impulsionibus facultatis sensitiuae, proinde pondus illius prioris (respectu voluntatis per posteriorem adfectae) remouendo pondere contrario, in iudicio rationis, producitur. Atque ita obseruantia legis non elater est ad moralitatem, sed ea est ipsa moralitas, subiectiue qua elater animi spectata, propterea quod ratio pura practica, eo quod philautiae omnia iura recusat, legi,

quae nunc sola vim exserit, dignitatem conciliat. In quo quidem notandum est, quemadmodum obseruantia effectio est in tactu, proinde in facultate sensitiua naturae rationisque, eo hanc sensitiuam facultatem, proinde quoque finitatem eiusmodi naturarum, quibus lex moralis obseruantiam imponit, poni. naturaeque supremae, ab omnique sensu liberae, cui haec ideo nullum quoque rationis practicae impedimentum esse potest, obseruantia *legis* haud posse attribui.

Hicce tactus (qui moralis vocatur) proinde solum per rationem efficitur. Haud facit ad actiones diiudicandas, aut adeo ipsam legem moralem obiectiuam constituendam, sed tantummodo pro elatere est, vt legem eam in sese reddat regulam. Sed quo nomine hunc tactum, qui cum nullo potest pathologico comparari, aptius vocare possis? Est is generis tam peculiaris, vt solum rationi, eique practicae purae rationi, praesto esse videatur.

Obseruantia semper duntaxat personas spectat, numquam vero res. Quae quidem res *propensionem* possunt, et si animantes sint (veluti equi, canes, et similia), adeo *amorem, metumue*, quemadmodum, mare, vulcanus, fera rapax, numquam vero *aestimationem* in nobis excitare. Ad istum tactum propius accedit *admiratio*, eaque, qua motus animi, stupor etiam res spectare potest, veluti montes ad caelum vsque excelsi, magnitudo, multitudo, distantia corporum caelestium, robur ac celeritas quarumdam bestiarum, et sic porro. Verum haec omnia non continentur obseruantia. Hominem amare possum, vel metuere, aut admirari, atque etiam stupere, neque tamen ideo venerari. Eius facetiis, fortitudine, robore, potentia, ordine, quo alios antecellit, capi quidem ad eiusmodi commotiones animi possum, sed interna eius obseruantia mihi deesse poterit. *Fontenellius coram viro*, ait, *principe corpus quidem sese inclinat, sed animus se non inclinat.* Addi potest: coram homine humili atque ignobili; in quo probitatem morum certo modo quodam conspicio, cuius mihimet ipse haud conscius sum, velim, nolim,

animus se meus inclinat. Qui istud fit? Exemplum eius mihi legem ostendit, quod arrogantiam meam praecipitat, si illud cum vita mea comparem, eiusque obseruationem, proinde *efficiendi possibilitatem*, facto probatam conspiciam. Iam gradus probitatis possum paris atque aequalis mihimet conscius esse, et tamen obseruantia manebit. Namque, cum in homine quodque bonum mancum esse atque imperfectum solet, lex exemplo sub adspectum subiecta, superbiam vsque meam prosternit, cuius quidem norma homo est, quem coram video, cuius quidem, quae illi forte adhuc adhaereat, imperfectio, mihi minus, quam mea nota est, quique proinde clariori mihi puriorique lumine conspicitur. *Obseruantia* est *tributum*, quod praeclare factis, velis nolis, non possis recusare; externe fere eam poteris retinere, tamen non poterit non interne ea sentiri.

Tantum abest, vt obseruantia tactu quodam *iucunditatis* contineatur, vt ei potius respectu hominis cuiuspiam inuiti nosmet permittamus. Anquirimus aliquid, quo onus illius nobis possit leuari, vllum vitium quodpiam, quo, quem per eiusmodi exemplum experti sumus, pudorem compensemus. Ipsi mortui, praecipue cum exemplum eorum nulla imitatione adsequendum videtur, ab hac censura tuti videntur. Atque etiam lex moralis ipsa cum *festa sua sanctitate* exposita est huic conatui obseruantiae effugiendae. Ecquae causa esse alia poterit, cur eam cupiamus ex nostra familiari inclinatione metiri, praeceptionemque facere proprii commodi nostri, quam quod nosmet ab obseruantia deterrente, quae de nostra nos indignitate tam seuere increpat, liberemus? Nihilominus in ea tamen vicissim tam parum *iniucunditatis* est, vt, vbi arrogantia semel exuta, illique actioni vis concessa practica fuerit, vicissim splendorem huiusce legis non satis mirari queas, animusque se ipsum pro eo eleuare credat, atque legem sanctam supra se fragilemque naturam elatam videt. Magna quidem ingenii dona, iisque consentanea actiuitas etiam obseruantiam possunt, tactumue illi similem, efficere, eamque iis decet tribui, et sic videtur, admirationem eam-

dem esse cum illa sensatione. Verum, si propius accesseris, animaduertes, cum semper incertum maneat, quantum indoles quantumque cultura per propriam diligentiam ad habilitatem contulerit, eam nobis ab ratione, opinor, qua fructum culturae, proinde vt laudem, ostendi, quod nostram arrogantiam haud parum deprimit, de eoque aut nos reprehendit, aut imitationem eiusmodi exempli, pro eo ac nos decet, nobis iniungit. Haec igitur obseruantia non sola admiratio est, quam eiusmodi personae (proprie legi, eius exemplum nobis monstranti,) tribuimus; id quod etiam eo confirmatur, quod amatorum vulgus, cum prauitatem morum in eiusmodi viro (veluti Voltario,) aliunde credit didicisse, omnem erga illum obseruantiam mittit, sed verus ac genuinus doctus semper eam certe propter dotes illius ingenii sentit, quoniam ipse in negotio est ac munere implicitus, quod imitationem illius ipsi quodam modo imperat.

Quocirca obseruantia legis moralis vnus elater animi est simulque indubitato moralis, quemadmodum hicce tactus nullam aliter rem obiectam spectat, quam solum ex hac ratione. Primum lex moralis voluntatem in iudicio rationis obiectiue proximeque determinat; libertas autem, cuius caussalitas solum per legem determinabilis est, in eo ipso cernitur, quod omnes propensiones, proinde ipsam personae aestimationem ad conditionem adstringit, legis purae suae seruandae. Haec circumscriptio vim in tactu exserit, sensationemque excitat iniucunditatis, quae ex lege morali potest ex anticipatione cognosci. Cum ea vero solum effectio *negatiua* sit, quae, vtpote e contagione rationis purae practicae orta, potissimum actiuitati subiecti, quatenus inclinationes sunt in rationibus determinantibus illius, proinde opinioni de dignitate sua personali deroget, (quae sine conuenientia cum lege morali ad nihilum reducitur,) effectio huius legis in tactu solum pudor est, quem proinde quidem ex anticipatione perspicimus, neque in ea vero vim legis purae practicae, qua elaterem possimus, sed solum renisum contra elateres sensus cognoscere. Quoniam vero

eadem lex nihilominus obiectiua est, id est, in repraesentatione rationis purae proxima ratio determinandae voluntatis videtur, proinde hicce pudor tantummodo relatiue ad puritatem legis locum habet, deminutio iurium sui ipsius obseruantiae moralis, id est, pudor ex parte sensitiua, eleuatio est moralis, scilicet obseruantiae practicae ipsius legis, ex parte intellectuali, ad summam obseruantia legis, ergo quoque, secundum causam intellectualem suam, tactus positiuus, qui cognoscitur ex anticipatione. Quaeque enim deminutio impedimentorum actiuitatis cuiuspiam ipsa promotio est huiusce actiuitatis. Sed agnitio legis moralis cernitur in conscientia actiuitatis rationis practicae ex rationibus obiectiuis, quae solum propterea effectionem haud exserit in actionibus, quoniam ea per causas subiectiuas (pathologicas) impeditur. Ergo obseruantia legis moralis etiam qua positiua sed indirecta illius effectio in tactu, quatenus illa contagionem inclinationum efficientem per pudorem arrogantiae debilitat, proinde qua ratio actiuitatis subiectiua, id est, qua *elater* ad eam seruandam, et qua ratio regularum vitae ei consentaneae spectanda videtur. Ex conceptu elateris conceptus oritur *inuitamenti;* quod non nisi naturae ratione praeditae attribuitur, voluntatisque *elaterem* denotat, quatenus is *per rationem repraesentatur.* Cum lex ipsa in voluntate moraliter bona esse elater debeat, *inuitamentum morale,* siue inuitamentum purum a sensu liberum solius rationis purae practicae. In conceptu inuitamentum et positus conceptus est *regulae subiectiuae.* Quae proinde duntaxat tum moraliter probe ac genuina erit, si in solo inuitamento, quod ex seruanda lege percipitur, nitatur. Sed omnes tres conceptus, et *elateris*, et *inuitamenti*, et *regulae subiectiuae*, tantummodo ad naturas possunt finitas adhiberi. Cuncti enim circumscriptionem ponunt naturae entis, cum qualitas subiectiua arbitrii illius haud sponte conuenit cum lege obiectiua rationis practicae; cui quidem quaedam inest necessitas, qua ad actiuitatem impellamur, quoniam impedimentum illius internum aduersatur. Quamobrem ad voluntatem diuinam non poterunt adhiberi.

In immenſa illa obſeruantia legis moralis purae, ab omni vtilitate vacuae quoddam ineſt peculiare, prout eam ratio practica ſeruandam proponit, cuius vox audaciſſimo malefico tremorem incutit, eumque cogit, vt eius adſpectum fugiat: ita, vt haud mirum ſit, hanc contagionem ideae ſolum intellectualis cum tactu rationi contemplatiuae imperſcrutabilem videri, in eoque nos adquieſcere oportere, quod ex anticipatione tantum tamen poſſimus perſpicere; eiusmodi tactum neceſſario cum repraeſentatione legis moralis in quaque natura rationali finita coniunctum eſſe. Quodſi is tactus obſeruantiae ſolum pathologicus foret, ideoque in *ſenſu* interno conſtitutus iucunditatis tactus, fruſtra de coniunctione eius cum vlla quapiam idea ex anticipatione aperienda laboraremus. Nunc vero tactus, ſolum ſpectans practicum, et quidem repraeſentationi legis cujuspiam ſolum quoad eius formam, non propter vllam quampiam rem ei ſubiectam, adhaeret, proinde nec ad voluptatem poteſt, nec ad dolorem numerari, et tamen *inuitamentum* in ea ſeruanda procreat, quod *morale* adpellamus; quemadmodum facultas, eiusmodi inuitamenti ex lege percipiendi (vel ipſa legis moralis obſeruantia) proprie eſt *tactus moralis.*

Conſcientia ſubmiſſionis *liberae* voluntatis ſub legem, cum coactione tamen neceſſaria, quae cunctis inclinationibus fit, ſed per propriam rationem, coniuncta, eſt igitur legis obſeruantia. Lex, quae hanc obſeruantiam poſtulat eamque etiam inſtillat, manifeſto nulla alia eſt niſi moralis (nulla enim alia vniuerſas inclinationes a proxima ratione contagionis illius cum voluntate arcet). Actio, quae ſecundum eam legem, omnibus rationibus e inclinatione determinantibus excluſis, obiectiue practica eſt, vocatur *officium,* quod propter excluſionem illam, in conceptu ſuo *coactionem* practicam continet, id eſt, determinationem ad actiones, licet eas maxime *inuiti* ſuscipiamus. Tactus is, qui ex conſcientia huius coactionis oritur, non pathologice, qua is, qui ab re ſenſibus ſubiecta efficeretur, ſed ſolum practice poſſibilis eſt, per antegreſſam (obiectiuam) volun-

tatis determinationem rationisque caufalitatem. Igitur, qua *fubmiffio* fub legem, id eft, qua praeceptum, (quod fubiecto fenfitiue adfecto coactionem nunciat,) nullam voluptatem, fed, eatenus, potius taedium ex actione in fe continet. Contra vero, cum haec coactio folum per legislationem rationis propriae exerceatur et *eleuationem* continet, effectioque in tactu fubiectiua, quatenus ratio pura practica fola eius caufa eft, proinde refpectu tactus *propria adprobatio* poteft vocari, propterea quod fine omni inuitamento per folam legem nosmet determinatos cognofcimus, nobisque nunc longe alius inuitamenti, ex fubiectiue enato, quod pure practicum eft *liberumque*, confcii fumus, quod vt ex actione honefta capiamus, nobis haud vlla fere inclinatio fuadet, fed ratio per legem practicam fimpliciter imperat etiamque vere producit, propterea autem nomine prorfus peculiari infignitur, quippe obferuantiae.

Quamobrem conceptus officii in actione quadam *obiectiue* poftulat conuenientiam cum lege, fed in regula illius, fubiectiue, legis obferuantiam, qua folam voluntatis determinandae rationem per eandem. In quo quidem pofitum difcrimen eft inter confcientiam *officio congruenter* et *ex officio*, id eft, per legis obferuantiam egiffe, quarum prior (legalitas) etiam effe poterit, fi inclinationes folum rationes voluntatis determinandae fuiffent, altera vero (*moralitas*) pretium morale tantummodo in eo poni debet, vt actio per officium fiat, hoc eft, folum propter legem*).

Res fummi momenti eft, vt in omni diiudicatione morali animum cum fumma diligentia ad principium

*) **Conceptu obferuantiae perfonarum, vti fupra propofitus eft, probe confideraio, animaduertes, eam femper pofitam effe in confcientia cuiuspiam officii, nobis exemplar oftendentis, proinde obferuantiae nullam effe aliam rationem poffe, nifi moralem, atque expedire, adeoque refpectu pfychologico ad cognitionem hominum admodum conducere, fi, hoc vocabulo vtentes, animum ad refpectum aduertamus fecretum illum et admirabilem praetereaque faepius obuium, quem legis moralis homo in diiudicando habet.**

omnium regularum subiectiuum aduertamus, vt omnis actionum moralitas in necessitate earum *per officium* atque ex obseruantia legis ponatur, non vero ob amorem inclinationemque ad ea, quibus actiones debeant produci. Hominibus cunctisque naturis creatis ratione praeditis necessitas moralis coactio est, hoc est, obligatio, et quaeque actio, qua officium, in ea posita et constituta, non vero qua ratio agendi repraesentetur, quae a nobis ipsis expetita sit, aut expeti possit. Quasi vero vmquam possimus eo vsque pertinere, vt sine legis obseruantia, quae cum metu est transgressionis coniuncta, nos, quemadmodum natura diuina supra omnem dependentiam eleuata, sponte, per quamdam quasi in nobis inueteratam voluntatis cum lege pura morali conuenientiam, numquam loco mouendam vmquam potiri possemus *sanctitate* voluntatis (quae quidem lex moralis, cum numquam queamus tentari, vt ab ea deficiamus, tandem fere prorsus desinere posse nobis in praeceptis videtur).

Nimirum lex moralis voluntati entis omnium perfectissimi lex *sanctitatis* est, sed cuiusque naturae rationisque finitae voluntati lex est *officii*, coactionis moralis determinationisque actionum illius per *obseruantiam* huiusce legis atque ex verecundia officii. Neque aliud principium subiectiuum accipiendum erit pro elatere; alias enim actio quidem, pro eo ac lex praecipit, fieri poterit, sed cum ea quidem officio consentanea, neque tamen propter officium fiat, sententia animi non moralis erit, ad quam tamen in ea legislatione proprie respicitur.

Perpulcrum est, humanitate ductum et beneuolentiae conspiratione aliis bene facere, aut propter ordinis amorem iustum esse, verum in eo nondum inest genuina regula moralis vitae nostrae, quae loco nostro, in naturis ratione praeditis, *qua hominibus* conueniens est, si tantum nobis sumimus, vt quasi milites voluntarii, superba mente cogitationem officii negligamus, nosque, tamquam a praecepto liberi, solum proprio motu id agere velimus, quae, vt agamus, nil attineat nobis praecipi. *Disciplinae* rationis

ſubſumus, nec decet in vniuerſis regulis ſubiectiuis noſtris ſubiectionis ſub ea obliuiſci, nihil ei quidquam detrahere, auctoritatiue legis (quamquam propria ratio noſtra eam dictitat) ex philautiae errore quidpiam eo derogare, quod rationem voluntatis determinandae, quamis legi conuenienter, tamen in alia re quapiam, quam in ipſa lege, et obſeruantia huius legis poneremus. Officium debitumque ſola nomina ſunt, quibus noſtram ad legem moralem relationem inſignire debemus. Sumus quidem membra legislatoria regni morum per libertatem poſſibilis, et per rationem practicam nobis ad aeſtimandum propoſiti, ſed ſimul tamen ſubditi, non caput illius, et ignoratio gradus inferioris noſtri, qua naturarum creatarum, recuſatioque arrogantiae contra auctoritatem legis ſanctae, iam eſt defectio ab ea, quoad ſententiam, etiamſi litera eius ſeruaretur.

Quo quidem admodum conſpirat poſſibilitas eiuscemodi legis, vt: *ama deum prae omnibus hominemque vti te ipſum* *). Ea enim, qua praeceptum, obſeruantiam legis poſtulat, *amorem imperantis*, neque optioni permittit arbitrariae, vt hunc tibi pro principio ſtatuas. Sed amor erga deum, qua inclinatio (amor pathologicus) eſſe non poteſt; neque enim deus in re verſatur ſubiecta ſenſibus. Idem amor erga homines eſſe quidem poteſt, non autem poterit iuberi, ſiquidem penes nullum hominem eſt, vt ſolum iuſſus quempiam amet. Ergo ſolum *amor practicus* in nucleo illo legum omnium intelligitur. Atque in hac ſignificatione deum amare, eſt, eius praecepta *libenter* ſeruare; hominem amare, eſt, omnia officia erga illum libenter facere. Praeceptum autem, quod hoc pro regula ponit, etiam non imperare poteſt, vt eam mentem in actionibus officio conſentaneis *habeamus*, ſed ſolum ad eam *adſpiremus*. Praeceptum enim, quod iubet, vt facere quidpiam libenter debeas, per ſe pugnat, quoniam, ſi, quae nobis

*) Huic legi principium felicitatis propriae, quod quidam ſummum moralitatis decretum conſtituere volunt, mire aduerſatur. Quod ita ſonaret: *ama te ipſum prae omnibus, ſed deum hominemque propter te ipſum.*

facienda ſint, iam ipſi ſponte ſcimus, ſi praeterea nobis conſcii eſſemus, nos libenter facere, praeceptum de eo prorſus inutile foret, et, ſi faciamus quidem, ſed haud fere libenter, verum ſolum per legis obſeruantiam, praeceptam, quod hanc obſeruantiam conſtituat elaterem regulae, ipſam praeceptam mentem aduerſum ageret. Quamobrem illa lex legum omnium, quemadmodum omne praeceptum morale euangelii nobis mentem moralem in vniuerſa ſua perfectione proponentis, vti ea qua ideale ſanctitatis a nulla natura creata attingi poteſt, tamen ea prototypon eſt, ad quod propius accedere, progreſſuque haud interrupto, ſed infinito ei fieri pares conari debeamus. Si ſcilicet natura rationalis creata vnquam eo peruenire poſſet, vt omnibus legibus moralibus *libenter* obſequeretur, hoc idem eſſet, ac ſi ne poſſibilitas quidem cupiditatis, quae eum ad aberrandum incitaret, in eo inueniretur; imperio enim in cupiditatem non poteris niſi diſpendio quodam potiri, proinde ad eam rem opus eſt coactione tui ipſius, hoc eſt, interna ad ea, quae haud omnino libenter facias. Ad hunc gradum mentis moralis autem natura creata numquam poterit adſcendere. Etenim cum ea creata ſit, proinde reſpectu eorum, quae poſtulat, vt cum ſtatu ſuo prorſus contenta viuat, ſemper aliunde pendeat, numquam ea poterit a cupiditatibus inclinationibusque prorſus libera eſſe, quae, quoniam in cauſis phyſicis poſitae ſunt, cum lege morali, e fontibus longe aliis promanante, haud ſponte conſpirant, proinde ſemper neceſſario poſtulant, vt, ratione ipſarum, mentem ſententiamque regularum ſubiectiuarum in coactione morali, non in promtitudine, ſed obſeruantia, quam obtemperatio legis, quamquam ea inuito fieret, *poſtulat*, non vero in amore, quae nullam voluntatis contra legem recuſationem internam metuit, conſtituamus, nihilominus hic, nempe ſolum amorem erga legem (quae tum haud amplius in *praeceptis* foret, nec moralitas, quae nunc ſubiectiue in ſanctitatem transiret, in *virtutibus*) nobis pro meta perpetua, quamuis inacceſſa, conatus noſtri proponamus. In eo enim, quod magni facimus, ſed tamen (ob conſcientiam infirmitatum noſtra-

rum) veremur, per maiorem facilitatem, ei satis faciendi, verecundia suspicientia plena, vertitur in inclinationem animi, obseruantiaque in amorem, certe absolutio mentis foret legi sacrata, si vmquam fieri posset, vt natura creata vmquam ad eam pertineret.

Quae quidem contemplatio haud eo spectat, vt allatum istud praeceptum euangelicum ad conceptus distinctos reuocetur, quo *fanatismo religioso* ratione amoris erga deum, verum mens moralis, etiam proxime respectu officiorum erga homines, accurate determinetur, et fanatismo solum *morali*, quae multa ingenia infecit, officiatur, et, si fieri possit, occurratur. Gradus moralis, in quo homo (et quantum intelligimus quaeque natura rationque creata) versatur, cernitur in obseruantia erga legem moralem. Mens autem, quae, ad id obseruandum, ei in officio est, ea est, vt ei haud ex inclinatione spontanea, et fere etiam iniusso sponte libenter suscepto conatu obtemperet, statusque eius moralis, in quo vnoquoque tempore esse poterit, *virtus* est, haec est, mens moralis in *certamine*, non vero *sanctitas* in possessione opinata *puritatis* cogitationum voluntatis. Merus fanatismus moralis est, gradatioque arrogantiae, ad quem animi intenduntur cohortando ad actiones, praeclaras quasi excelsasque et magnanimas, quo iis quidem instillatur opinio, ac si non foret officium, hoc est, obseruantia legis, cuius onus (quod tamen, quia ab ratione ipsa imponitur, facile est ac lene,) quamuis inuitis, iis *ferendum* esset, quod rationem efficeret actionum eorum determinandarum, et quod eos etiam nunc deprimit, dum illud sequuntur (ei *obediunt*), verum quasi actiones illae haud per officium, sed propter ipsum meritum ab iis exspectarentur. Etenim ne dicam, eos eiusmodi actionibus imitandis, nempe ex tali principio, ne minimum quidem sententiae mentique legis satis fecisse, quae in animo legi se submittente, non vero in legalitate actionis cernitur (quale illud cumque principium sit,) elateremque *pathologice*, (in sympathia vel etiam philautia), non moraliter (in lege) ponere, hoc modo ventosam, et praeteruolantem,

phantasticamque cogitandi rationem generant, sibique de animi ingenio spontaneo gratulantur, quod neque calcare indigeat neque habena, quodque ne opus quidem sit, vt praecipiatur, atque officii, cuius prius meminisse deberent, quam meriti, obliuiscuntur. Aliorum quidem actiones, cum summo dispendio, et quidem propter officium, perpetratae, pro *praeclare fortiterque* factis poterunt laudari, et tamen tantummodo quatenus vestigia adsunt, ex quibus diuinari potest, eas prorsus factas esse per obseruantiam officii, non ex commotionibus animi. Quae vero si pro exemplis imitationi propositis cuipiam ostendantur, necessario debet obseruantia officii (in qua quippe vnus tactus moralis genuinus cernitur) pro elatere adhiberi: haec seuera sanctaque praeceptio, quae vanae philautiae nostrae neutiquam concedit, vt in impulsibus pathologicis (quatenus similitudine quadam accedunt ad moralitatem) ludamus, nosque de *merito* superbiamus. Si modo inuestigabimus, omnium actionum laudabilium legem inueniemus, quae *imperet* neque voluntati nostrae permittat, quae inclinationi nostrae placitura videantur. Atque hic vnus proponendi modus est, qui animum moraliter informat, quoniam is solus est principiorum capax stabilium accurateque determinatorum.

Si *fanatismus* sensu vulgarissimo in migratione versatur terminorum rationis humanae ex principiis suscepta, *fanatismus moralis* in transgressione cernetur terminorum, ab ratione practica humano generi constitutorum, quibus ea vetat, ne rationem subiectiuam determinandarum actionum officio consentanearum, hoc est, elaterem earum moralem, in vlla re quapiam, nisi in lege ipsa, mentemque atque sententiam, quae ea in regulam subiectiuam infertur, vspiam alibi, quam in obseruantia erga hanc legem, ponamus, proinde illam de officio cogitationem, et vniuersam *arrogantiam* et *philautiam* vanam prosternendam imperat pro *principio vitae* moralitatis vniuersae in homine constituendam.

Quae cum ita sint, non solum scriptores fabularum romanensium, vel educatores multum sensum adfectantes,

(quantumuis contra adfectationem fenfus ftomachentur), verum etiam ipfi nonnumquam philofophi, quin omnium feueriffimi, ftoici, *fanatifmum moralem*, pro fobria, fed fapienti, morum difciplina introduxerunt, quamquam fanatifinus ftoicorum magis heroicus fortisque, illorum autem natura rapida fuit ac liquefcente, vereque doctrina moralis euangelii poterit laudari, eam primam, per puritatem principii moralis, fimul vero per conuenientiam eius cum carceribus naturarum finitarum, omnem virtutem hominis difciplinae fubieciffe officii ob oculos pofiti, quod eos haud patitur in fomniatis perfectionibus moralibus circumuagari, arrogantiaeque pariter ac philautiae, quae ambo facile terminos fuos ignorant, carceres potuiffe mifcuiffe modeftiae, (id eft, cognitionis fui ipfius).

Officium! o nomen excelfum magnumque, quod nihil complectere iucundum, quod demulceat, fed fubmiffionem poftulas, neque tamen quidquam minaris, quod naturalem excitet in animo auerfionem terreatque, quo voluntas commoueatur, verum duntaxat legem proponis, quae ipfa fibi aditum in animo aperiat, et nihilominus tamen inuitis verecundiam (etfi haud femper obfequium) inftillet, coram qua omnes inclinationes obmutefcunt, quamuis occulte ei aduerfum agant, quaenam eft origo te digna, atque vbi radix ftirpis tuae nobilis ac generofae invenitur, quae omnem cum inclinationibus adfinitatem fortiter refpuit, atque a qua radice vt originem ducamus, conditio eft irremiffibilis dignitatis illius, quam homines fibi folis poffunt impertire?

Nihil effe illud minus poterit, quam id, quod hominem fupra fe ipfum (qua partem mundi fenfibilis) extollit atque euehit, quod illum ad eum ordinem rerum copulat, quem folum cogitare intelligentia poteft, cuique fimul vniuerfus mundus fenfibilis, cum eoque exfiftentia hominis empirice determinabilis in tempore totumque finium omnium (quod folum legibus eiusmodi abfolutis practicis, qualis lex moralis eft, confentaneum videtur,) fubiecta tenentur. Nihil eft aliud nifi *perfonalitas*, hoc eft, liber-

tas vacuitasque ab omni mechanifmo vniuerfae naturae, fimul tamen qua facultas fpectata naturae, quae propriis, quippe per fuam ipfius rationem propofitis, legibus puris practicis, proinde perfona, qua pertinens ad mundum fenfibilem, fuae ipfius perfonalitati fubiecta eft, quatenus ea fimul ad mundum intelligibilem pertinet; vbi tum haud mirum erit, fi homo, qua mundi pars vtriusque, fuam ipfius effentiam, refpectu deftinationis fuae alterius ac fummae, non nifi cum reuerentia, legesque illius fumma debet fufpicione confiderare.

In hac autem origine vocabula conftituta videntur, quae dignitatem pretiumque rerum obiectarum ex ideis moralibus denotant. Lex moralis eft *fancta* (inuiolabilis). Satis quidem profanus homo eft, fed *humanum genus* quoad perfonam ei fanctum effe debet. In vniuerfa rerum creatarum natura, quidquid volueris, et cuiuscumque poteftatem habueris, folum quoque *qua adiumentum* adhiberi poteft; folus homo, cum eoque quaeque natura ratioque, *finis* eft *per fe ipfe*. Eft is nimirum fubiectum legis moralis, qua fancta eft, vi autonomiae libertatis fuae. Propter hanc ipfam quaeque voluntas, vel cuique perfonae propria, voluntas in fe ipfam intenta, ad conditiones adftricta eft conuenientiae cum *autonomia* naturae rationisque, eam fcilicet nulli fini fubiiciendi, quae fieri non poffit fecundum legem, quae ex voluntate queat ipfius fubiecti perpetientis oriri; proinde hoc numquam folum qua inftrumento, fed fimul qua fine ipfo vtendi. Atque hanc conditionem vel voluntati diuinae, refpectu naturarum in mundo rationalium, qua rerum creatarum illius, iure tribuimus, propterea quod ea pofita eft in *perfonalitate* illarum, qua fola eae fines funt per fe ipfae.

Haec idea perfonalitatis obferuantiam excitans, quam excellentia naturae noftrae (fecundum deftinationem illius) nobis ob oculos ponit, dum ea nobis fimul defectum convenientiae vitae noftrae refpectu illius confpiciendum oftendit, eoque arrogantiam profternit, ipfa eft rationi humanae vulgariffimae naturalis, ab eaque facile poteft ani-

maduerti. Nonne quisque vel mediocriter probus nonnumquam inuenit, se mendacium alioquin innoxium, quo vel se ipsum posset, ex molesto quodam negotio expedire, aut adeo amico cuidam adamato beneque merito commodum adferre, solum propterea omisisse, ne secreto se in oculis suis contemnere deberet? Nonne probum hominem in summa calamitate vitae, quam euitare posset, si officium desereret, conscientia erigit, se genus humanum in persona sua tamen in eius dignitate et conseruasse, et obseruasse, ita, vt non habeat, cur pudore suffundatur, internumque explorandi sui ipsius conspectum fugiat atque auersetur? Hoc solatium non felicitas est, neque pars minima illius. Neque enim quisquam occasionem illius, fortasse etiam ne vitam quidem in eiusmodi temporibus, exoptabit. Verum viuit, nec ferre potest, ex sua ipsius sententia indignum vita videri. Ergo haec interna tranquillatio solum negatiua est, respectu eorum omnium, quibus vita potest iucunda reddi; ea scilicet cernitur in arcendo periculo, dignitate personali decrescendi, posteaquam de pretio conditionis suae penitus desperasset. Est ea porro effectio obseruantiae erga quidpiam longe aliud, quam vitam quo cum comparata collataque, vita potius, cum omni iucunditate sua, omni omnino carere pretio videtur. Viuit propter officium, non quoniam vita delectatur.

Sic elater rationis purae practicae comparatus videtur; is in nulla re alia versatur, nisi in ipsa lege pura morali, quatenus ea nobis excellentiam exsistentiae suprasensibilis nostrae sentiendam praebet, subiectiueque in hominibus, exsistentiae suae sensibilis cum eaque coniunctae dependentiae ab natura sua, eatenus pathologice adfecta, simul consciis, obseruantiam efficit altioris suae destinationis. Iam cum hoc elatere tot inuitamenta possunt vitaeque iucunditates coniungi, vt etiam earum causa iam solum sapientissima optio *Epicurari* prudentis, de summaque vitae salute meditantis ad partes obsequii moralis accederet, et poterit quoque e re esse, hunc prospectum in laetam vitae fruitionem cum summo illo et per se iam solo idonee determinante

momento coniungi; verum modo, vt inuitamentis ab vitio ex parte contraria ostensis obsistatur, non vero, vt propria vis mouens, ne ex minima parte quidem, in eo ponatur, si sermo de officio sit. Id enim idem foret, ac mentem moralem in fonte illius contaminare velle. Nihil quidquam negotii est dignitati officii cum fruitione vitae; ea legem habet propriam, etiamque proprium forum, et, etiamsi ambo quantumuis concusseris, vt ea mixta, quasi quaedam remedia, aegrotanti animo propinentur, tamen continuo sponte separantur, quod, si haud fiat, prior minime efficit, etiamsi aut vita physica ea re vires recuperaret, tamen vita moralis necessaria extabesceret.

DISQVISITIO CRITICA ANALYTICES RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

Disquisitionem criticam cuiuspiam scientiae, sectionisue illius, per sese systema constituentis, inuestigationem dico deductionemque, quare ea hanc ipsam debeat et nullam aliam formam systematicam habere, comparatam cum systemate alio, in simili cognoscendi facultate constituto. Atqui ratio practica cum contemplatiua in eadem cognoscendi facultate constituta est, quatenus vtraque *ratio pura* videtur. Ergo discrimen formae systematicae vnius a forma alterius, vtraque comparata debebit determinari ratioque illius adferri.

Analytice rationis purae theoreticae in cognitione rerum obiectarum occupata erat, quae possint intelligentiae proponi, et proinde a *visione*, proinde (quoniam haec semper sensitiua est,) a facultate sentiendi debebat proficisci, inde vero demum ad conceptus (rerum huic visioni subiectarum) progredi, neque, nisi ambabus praemissis, in *principiis* illi licebat finiri. Contra, quoniam ratio practica haud in *cognoscendis* rebus obiectis versatur, sed in sua ipsius facultate, illas (cognitioni earum conuenienter) *producendi*, id est, in *voluntate*, quae genus est caussalitatis, quatenus

ratio continet earum determinandarum rationem, cum proinde nullam rem visioni obnoxiam, sed (quoniam conceptus causalitatis semper relationem in se cohibet ad legem quampiam, quae exsistentiam variorum determinat in relatione ad se inuicem) qua ratio practica *tantummodo* eius *legem* monstrare debet: critica *analytices* illius, quatenus ratio esse practica debet, (in quo quidem propria quaestio versatur,) a *possibilitate*, oportebit, *principiorum practicorum ex anticipatione* instituere. Inde ea solum ad *conceptus* rerum rationi practicae propositarum, nempe absolute boni malique pergere poterat, vt eos decretis illis conuenienter demum proponeret (illi enim ante principia illa qua boni malique nulla omnino possunt cognoscendi facultate proponi,) et duntaxat tum demum caput vltimum, de adfectione rationis purae practicae ad facultatem sensitiuam eiusque contagione necessaria, ex anticipatione cognoscenda, ad eam, id est, de *tactu morali*, partem concludere poterat. Atque ita analytice rationis purae practicae prorsus ad analogiam cum ratione theoretica vniuersam compagem omnium vsus illius conditionum, sed ordine inuerso, partiebatur. Analytice rationis purae theoreticae in aestheticam transscendentalem et logicam transscendentalem diuidebatur, sed analytice rationis practicae vice versa in logicam et aestheticen rationis purae practicae, (si liceat, his verbis, alioquin minime congruis, solius analogias causa, hoc loco vti,) logica vicissim in analyticam conceptuum et logicam decretorum, sed hoc loco in analyticam principiorum et conceptuum. Aesthetice illic praeterea partes duas habebat, propter duplex genus visionis sensitiuae; sed hic facultas sensitiua minime qua facultas videndi siue intuitiua, sed solum qua tactus (qui ratio subiectiua potest concupiscendi esse) consideratur, et respectu huius ratio pura practica nullam admittit diuisionem vlteriorem.

Iam, quod dichotomia illa cum subdiuisione haud reapse (vti fere initio possis exemplo priori ad id conandum adduci) hoc loco fieret, ratio facile poterit perspici. Etenim

quoniam *ratio pura* est, quae hoc loco, quoad vsum practicum, proinde a principiis ex anticipatione, nec vero a rationibus determinantibus empiricis proficiscens, sub contemplationem cadit: diuisio analytices rationis purae practicae ad similitudinem diuisionis ratiocinationis fieri debebit, nempe ab vniuersali in *propositione* (principio morali), per adsumtionem actionum possibilium qua bonarum malarumque, in *enunciatione minori* factam, ad *conclusionem*, nempe rationem determinandae voluntatis subiectiuam (inuitamentum boni practice possibilis in eoque constitutae regulae subiectiuae) progredientis. Is, qui de enunciatis in analytica obuiis sibi potuit persuadere, eiusmodi comparationibus delectabitur; eae enim iure exspectationem mouent, fore, vt fortasse perspicientia vnitatis vniuersae facultatis rationalis purae (tam theoreticae, quam practicae) attingi possit, omniaque ex vno principio deriuari queant; in quo quidem necessitas inest ineuitabilis rationis humanae, quae solum in absoluta vnitate systematica cognitionum suarum omnino adquiescit.

Quodsi autem nunc etiam complexum cognitionis, quae nobis de ratione pura practica, per eamque, esse poterit, consideremus, vti illum analytice proponit, inueniemus, in maxima illius et theoreticae similitudine, non minus diuersitates grauissimas videri. Respectu theoreticae *facultas cognoscendi rationalis purae ex anticipatione* per exempla posset ex partibus scientiae (in quibus, cum principia sua multifariam per vsum methodicum explorent, non tam facile, quam in cognitione vulgari, occulta erit empiricarum cognoscendi rationum admixtio metuenda videtur) facillime euidenterque euinci. Verum rationem puram, nulla quapiam admixta ratione determinante empirica, per se solam etiam practicam esse; e *vulgarissimo rationis vsu practico* oportebat posse probari, dum summum principium practicum, qua tale, quod quaeque humana ratio naturalis, qua prorsus ex anticipatione ab nullis datis sensibus obnoxiis pendens, pro summa voluntatis lege agnitum, confirmamus. Illud primo, quoad puritatem originis,

in ipſo *huiusce communis rationis indicio* probari oportebat ac deduci, antequam illo ſcientia poſſet vti, quaſi factum aliquod, quod omnem argutationem de poſſibilitate eius vniuerſisque conſequentibus, quae inde duci poſſent, antecedat. Verum ea res facile poterit ex iis, quae modo attulimus, explicari; propterea, quod ratio practica neceſſario debet a decretis atque principiis proficiſci, quae proinde cuique ſcientiae, qua data prima debent conſtitui, neque ex ea demum poſſunt oriri. Quae quidem principiorum, vt rationis purae decretorum, deductio, etiam propterea commode poterat, ſatisque certo, per ſolam ad iudicium intelligentiae humanae communis prouocationem fieri, quoniam vniuerſum empiricum, quod qua ratio voluntatis determinandae in noſtras regulas ſubiectiuas fortaſſe irreperet, per tactum voluptatis dolorisue, ei, quatenus adpetitum excitat, neceſſario adhaerentem, continuo ſeſe *oſtendit*, huic autem illa ratio pura practica directo, obſiſtit, ſecus atque eum in principium ſuum, qua conditionem excipere. Diſſimilitudo rationum determinantium (empiricarum et rationalium) hoc reniſu rationis practice legislatoriae, contra omnem inclinationem ſe immiſcentem, peculiari *ſenſationis* genere, quod vero legislationem rationis practicae non antecedit, ſed potius per eam ſolam et quidem vt coactio efficitur, nempe per tactum obſervantiae, cuiusmodi nemo homo erga inclinationes, cuius cunque generis ſint, ſed ſane erga legem, habet, ita diſtinguitur, vt intelligentia humana vel vnius de multis, in exemplo propoſito ſtatim animaduertat, rationibus volendi empiricis ſibi quidem conſuli incitamenta illius ſequatur, numquam autem alii, niſi ſolum legi purae practicae rationis, vt *obediat*, ab eo poſtulari poſſe.

Iam diſtinctio *doctrinae felicitatis*, quae tota eſt in principiis empiricis conſtituta, et *doctrinae morum*, quae prorſus libera eſt ab eiusmodi principiis, praecipuum grauiſſimumque opus eſt, quod analyticae rationis purae practicae propoſitum videtur, quodque ea tanta *diligentia curaque*, quanta vmquam rem ſuam geometra, debet tractare.

Verum philosopho, cui hic (vti semper in cognitione rationali per solos conceptus, sine eorum constructione) cum grauioribus difficultatibus confli&landum est, quoniam nullam visionem potest (puro noumeno) constituere, tamen etiam conducit, quod, fere quemadmodum chemicus, semper in cuiusque hominis ratione potest experimentum instituere, vt rationem determinantem moralem (puram) ab empirica discernat; si scilicet ad voluntatem empirice adfectam (veluti eius, qui aueret mentiri, quo ea re quidpiam possit sibi comparare) legem moralem (vt rationem determinantem) addat. Perinde est, ac si chemicus solutioni calcis in spiritu salis alcali adiicit; spiritus continuo, calce relicta, cum alcali coniungitur, et calx praecipitatur. Pariter ei, qui alioquin non est vir probus, (vel se nunc modo mente in locum probi hominis collocat) legem moralem ostendas, in qua nequitiam cognoscit hominis mentientis, statim ratio eius practica (in iudicio de eo quid fieri debeat) vtilitatem mittit, coniungiturque cum eo, quod ei obseruantiam seruat personae propriae (veracitatis), vtilitasque nunc a quouis, ab omnibus, quae rationi adhaereant, separata totaque, ponderatur, vt cum ratione aliis fere temporibus coniungatur, non vero, cum legi morali, quam numquam ratio deserit, sed arctissime cum ea sese coniungit, poterit aduersari.

Verum haec *distinctio* principii felicitatis et moralitatis, propterea non est statim vtriusque *disiunctio*, ratioque pura practica non vult, felicitatem *mitti*, sed modo, simul ac de officio agatur, eam non *spectari* debere. Atque etiam certo respectu esse in officio poterit, vt felicitatem tuam cures; partim quoniam ea (quae habilitatem, bonam valetudinem, diuitias complectitur) adiumenta in se continet officii faciendi, partim quoniam carentia illius (veluti egestas) occasiones in se cohibet officii deserendi. Tantummodo proxime non esse in officio potest, multo minus in principiis cuiusque officii, vt felicitatem tuam promoveas. Cum igitur omnes determinandae voluntatis rationes, si ab sola lege pura practica rationali (morali) discesseris,

cunctae empiricae sint, qua tales ergo ad principium pertineant felicitatis, vniuersae sunt ab summo principio morali seiungendae, neque vmquam ei qua conditio inferendae, propterea quod eo omnis dignitas moralis perinde, atque admixtione empirica ad decreta geometrica, vniuersa euidentia mathematica, de qua vnice (ex Platonis sententia) mathesi quaeque ipsa omnem antecellit vtilitatem vllius, gratulandum videtur, tolleretur.

Pro deductione summi principii rationis purae practicae, id est, explicatione possibilitatis eiusmodi cognitionis ex anticipatione, nihil poterat amplius adduci, quam, si possibilitatem perspiceres libertatis causae efficientis, etiam haud fere solum possibilitatem, sed adeo necessitatem legis moralis, vt legis summae practicae naturarum rationalium, quibus libertas causalitatis attribuitur voluntatis, perspectum iri; quoniam ambo conceptus tam arcte coniuncti sunt, vt libertatem practicam etiam per vacuitatem voluntatis ab omni alia, sola lege excepta morali, posses definire. Sed libertas causae agentis, praesertim in mundo sensibili nullo modo potest quoad possibilitatem perspici; praeclareque nobiscum actum videtur, si modo fieri queamus satis certiores, nullum argumentum impossibilitatis illius locum habere, et nunc, per legem moralem, quae eam postulat, coacti, eo ipso quoque nobis potestas fiat eius sumendae. Interim quoniam etiamnum multi sunt, qui putent, eam libertatem, quemadmodum quamque aliam facultatem physicam, posse ex principiis empiricis explicari, eamque vt proprietatem *psychologicam* considerent, cuius enodatio tantummodo in diligentiori inuestigatione posita sit *naturae animorum* elaterisque voluntatis, non vero vt praedicatum causalitatis naturae, ad mundum sensibilem pertinentis, *transscendentale*, (quod hic tamen reapse solum agitur), atque ita praeclaram illam manifestationem, quae nobis fit per rationem puram practicam interuentu legis moralis, nempe manifestationem mundi intelligibilis, conceptu, alioquin transscendentis, libertatis ad effectum perducendo eoque legem ipsam moralem, quae

omnem prorſus rationem determinantem empiricam repudiat, tollant; opus erit, vt quaedam hoc loco in medium proferamus, quo contra fucum iſtum nosmet muniamus, atque *empiriſmum* in vniuerſa tenuitate ſua oſtendamus.

Conceptus *cauſalitatis*, qua *neceſſitatis phyſicae*, diuerſae ab ea cauſalitatis forma, quae *libertas* vocatur, attingit tantummodo exſiſtentiam rerum, quatenus eae *in tempore determinabiles* ſunt, proinde qua phaenomenorum, quorum contraria eſt cauſalitas, qua rerum per ſe ipſarum. Quodſi igitur determinationes exſiſtentiae rerum ſumantur pro determinationibus rerum per ſe ipſarum (quae vſitatiſſima eſt repraeſentandi ratio,) neceſſitas in relatione cauſali nullo modo poterit cum libertate coniungi; ſed eae potius ſibi inuicem ex disiunctis contrariae videntur. Ex illa enim ſuperiori ſequitur, quodque euentum, proinde quoque quamque actionem, quod in quodam temporis articulo ſit, ſub conditione eius, quod fuit in tempore antegreſſo, neceſſarium eſſe. Cum autem tempus praeteritum haud amplius ſit in mea poteſtate, cogitur, vt quaeque, quam exſero, actio, per rationes determinantes, *quae haud penes me ſint*, neceſſaria ſit, id eſt, in illo temporis articulo, quo ago, numquam liber ſum. Quid? quod, etiamſi totam exſiſtentiam meam haud pendere ſumerem ab vlla quapiam cauſa aliena (fere ab deo), ita vt rationes cauſalitatis meae determinandae, vel totius exſiſtentiae meae, omnino haud extra me forent: tamen eo neceſſitas illa phyſica minime in libertatem verteretur. Etenim in quoque temporis articulo nihilominus ſemper ſubſum neceſſitati, vt per id videar ad agendum determinatus, *quod non eſt in mea poteſtate*, eaque euentorum ſeries a parte priori infinita, quam ſemper duntaxat, ſecundum ordinem ante iam determinatum, continuarem, nuspiam vero ſponte inciperem, continua foret catena phyſica, proinde cauſalitas mea numquam in libertate eſſet futura.

Si igitur naturae, cuius exſiſtentia in tempore determinata eſt, tribuere libertatem velis: eam, eatenus certe, ab lege neceſſitatis phyſicae omnium euentorum non poteris

in exſiſtentia eius, nec proinde in actionibus, liberare; id enim idem foret, atque eam caſui fortuito tradere. Cum vero haec lex neceſſario vniuerſam rerum cauſalitatem, quatenus *exſiſtentia* earum *in tempore* determinabilis eſt, attingat, ſequetur, vt, ſi ad eam et *exſiſtentia harum rerum per ſe ipſarum* cogitari deberet, libertas, vt vanus atque impoſſibilis conceptus reiiciendus videretur. Ergo, ſi eam ſeruari velis, nihil relinquitur, niſi, vt exſiſtentia rei cuiuspiam, quatenus ea in tempore determinabilis eſt, proinde quoque cauſalitas ſecundum legem *neceſſitatis phyſicae, ſolum phaenomeno, libertas* vero *eidem naturae, qua rei per ſe ipſi*, attribuatur. Sic ſane euitari non poteſt, ſi ambo conceptus ſibi inuicem contrarios ſimul velis ſeruare; verum in vſu, cum eos vt in vna eademque actione coniunctos, ideoque hanc coniunctionem ipſam voles explicare, permagnae tamen difficultates emergunt, quibus fieri non poſſe eiusmodi coniunctio videatur.

Cum de homine, qui furtum commiſerit, dico, eam actionem factam ſecundum legem phyſicam cauſalitatis ex rationibus determinantibus temporis antegreſſi euentum neceſſarium eſſe, tum fieri non potuit, vt ea actio poſſet omitti; qui fit, vt diiudicatio ex lege morali in eo mutationem pariat, eamque nihilominus ſumat potuiſſe omitti, propterea quoniam eam lex ait omitti debuiſſe, id eſt, qui poterit is, in eodem temporis articulo, reſpectu ad eam actionem habito, prorſus liber vocari, in quo, eodemque reſpectu habito, tamen ſubeſt neceſſitati phyſicae ineuitabili? Quodſi eo effugium quaeras, vt ſolum genus rationis determinandae cauſalitatis ſecundum legem phyſicam conceptui libertatis *comparatiuo* aptes atque accommodes, (ſecundum quem id nonnumquam eſſe in effectione libera dicitur, cuius determinandae ratio phyſica *interne* in natura agente ineſt, velut id, quod corpus iactum agit, cum in motu libero eſt, vbi vocabulum libertatis vſurpatur, quoniam illud, dum volat, haud extrinſecus ab re quapiam impellitur, aut, quemadmodum motum horologii itidem motum liberum dicimus, quoniam id ipſum indicem pellit,

non extrinſecus pelli oportet, itidem actiones hominum, quamquam eae, per rationes determinantes, quae in tempore antecedunt, neceſſariae ſunt, nihilominus liberae dicuntur, quoniam in internis per vires noſtras proprias productis repraeſentationibus, iisque per temporum occaſionem generatis cupiditatibus proinde in actionibus pro noſtra lubidine effectis verſantur,) miſerum remedium eſt, quo etiamnunc quidam ſibi patiuntur imponi, atque ita difficilem quaeſtionem illam minutis verborum tricis ſeſe putant ſoluiſſe, in cuius ſolutione tot millia annorum, fruſtra deſudarunt, quae proinde difficultas in ſuperficie inuenietur. Scilicet in quaerenda inueſtigandaque libertate illa, quae vniuerſis legibus moralibus, imputationique iis conſentaneae conſtituenda eſt, minime id agitur, vtrum cauſalitas ad legem phyſicam determinata, per rationes determinantes *in* ſubiecto, an *extra* illud ſitas, et ſi in ſubiecto inſint, vtrum impetu animali an cum ratione cogitatis rationibus determinantibus neceſſaria ſit; quodſi hae repraeſentationes determinantes ex ipſa confeſſione eorumdem hominum, rationem exſiſtentiae in tempore et quidem in *ſtatu priſtino* habent, hic vero viciſſim in ſtatu quodam antegreſſo et ſic porro, eae determinationes poterunt fere internae eſſe, cauſalitatemque habere pſychologicam non vero mechanicam, id eſt, per repraeſentationes, non vero per motum corporeum, actionem producere, tamen eae rationes ſunt determinandae cauſalitatis naturae cuiuspiam, quatenus eius exſiſtentia in tempore determinabilis eſt, proinde ſub conditionibus cogentibus temporis praeteriti, quae proinde, ſi agere ſubiectum debeat, *non amplius ſunt in eius poteſtate*, quae ideo libertatem quidem pſychologicam, (ſi hoc verbo de concatenatione repraeſentationum animae ſolum interna vtere,) ſed tamen neceſſitatem phyſicam in ſe continent, proinde nullam *libertatem transſcendentalem* reliquam faciunt, quae vt vacuitas ab omni empirico ideoque de natura in vniuerſum cogitari debet, ſiue ea qua res ſenſui interno ſubiecta, in ſolo tempore, ſiue etiam vt externis ſenſibus obnoxia, in ſpatio et tempore ſimul conſideretur, ſine qua libertate, quae ſola practica eſt ex anti-

cipatione, nulla lex moralis esse potest, nullaque ex ea imputatio. Ob eam ipsam causam quaeque necessitas physica euentorum in tempore secundum legem physicam caussalitatis, poterit *mechanismus* naturae vocari, quamquam eo haud intelligimus, res illi subiectas veras esse *machinas* materiales oportere. Hic solum necessitas coniunctionis euentorum in serie temporis, vti se ad legem physicam euoluit, spectatur, siue subiectum, in quo fit iste decursus, automaton materiale adpelles, cum machina per materiam pellitur, siue cum Leibnitio automaton spirituale dicas, cum ea per repraesentationes agitatur, et, si libertas voluntatis nostrae nulla alia quam haec spiritualis foret, (forte psychologica et comparatiua, non transscendentalis, id est, absoluta simul), ea reapse nihil melius esset, quam libertas verticilli frixorii, quod etiam, semel intentum, motus suos ipsum edit.

Vt igitur repugnantia putatitia mechanismi physici libertatisque in vna eademque actione exemplo proposito tollatur, ea in memoriam reuocanda videntur, quae in critica rationis purae dicta sunt, aut inde sequuntur: necessitatem physicam, quae non potest cum libertate subiecti constare, solis determinationibus adhaerere illius rei, quae determinationibus chronicis subest, proinde solum determinationibus subiecti agentis qua phaenomeni, proinde catenus rationes cuiusque actionis determinandae illius in eo inesse, quod ad tempus pertinet praeterlapsum, *neque amplius in eius potestate* est, (quo etiam actiones eius iam patratae, characterque illi eo determinabilis ex ipsius sententia, qua phaenomeni, numerari debebunt). Verum idem subiectum, quod ex altera parte sui, vt rei per se ipsius, conscium est, etiam exsistentiam suam contemplatur, *quatenus haud subest determinationibus chronicis*, se ipsum autem duntaxat qua per leges determinabile, quas sibi ipsum per rationem praecipit, in eaque exsistentia sua sibi nihil est determinationem voluntatis antegressum, sed quaeque actio, omnisque quaeuis exsistentiae suae determinatio sensui interno congruenter succedens, ipsa vniuersa con-

secutio serierum exsistentiae suae, qua rei sensibilis, in conscientia exsistentiae suae intelligibilis nihil est nisi consecutio, numquam vero vt ratio causalitatis suae, qua *noumeni*, determinandae spectanda videtur. Quo quidem respectu natura ratioque, de vnaquaque actione legibus contraria, quam exserit, etsi ea, qua phaenomenon, in praeterito satis determinata, atque eatenus absolute necessaria sit, iure dicere potest, se eam potuisse omittere; siquidem ea, cum omnibus, quibus ea determinatur, praeteritis, ad vnum quodpiam phaenomenon pertinet characteris ipsius, quem sibi ipse comparat, et secundum quem sibi, vt causae ab omni sensu liberae, causalitatem phaenomenorum illorum ipse imputat.

Cum quo quidem sententiae accurate consentiunt mirae illius in nobis facultatis, quam conscientiam adpellamus. Quantumuis homo laboret, vt actionem legi contrariam, cuius ei animum memoria subit, vt peccatum inuoluntarium sibi depingat, vtque meram temeritatem et inconsiderantiam, quae numquam prorsus queat euitari, proinde vt quidpiam, ad quod flumine necessitatis physicae fuerit abreptus, seque ea de re culpa vacare iudicet, tamen videbit, patronum causae, a quo defenditur, nullo modo posse, vt, quem in se persentiscit, accusator obmutescat, efficere, si sibi conscius est, se illo tempore, quo malum perpetraret, sensibus valuisse, id est, in vsu libertatis suae fuisse, et nihilominus peccatum suum *explicat* ex praua quadam consuetudine, subinde sibi ex neglecta ad se ipsum attentione, vsque eo, vt, qua consequens naturale spectare illud possit, ita tamen, vt eo nequeat contra sui ipsius reprehensionem vituperiumque munire, quod ipse sibi exprobrat. In quo etiam constituta est poenitentia de actione dudum perpetrata, quoties illius meminerit; quae quidem angens est, menteque morali effecta sensatio, eatenus quidem practice vacua atque inanis, quatenus ea haud effici poterit, vt factum infectum fiat, atque adeo, (vti *Priestleius*, genuinus, quique sibi constat *fatalismi* patronus, eam quoque sic iudicat, et ob quam confessionem inge-

nuam maiori adprobatione dignus videtur iis, qui, dum mechanifmum voluntatis re ipfa, fed libertatem eius oratione adfeuerant, etiamnum volunt videri, eam fe in fyftemate fyncretiftico includere, cum tamen haud poffibilitatem doceant eiusmodi imputationis,) verum, qua dolor, tamen admodum iufta foret, eo quod ratio, fi de lege agitur exfiftentiae intelligibilis noftrae (morali), nullum discrimen agnofcit, fed modo quaerit, an euentum ad me qua factum pertineat, tum autem eumdem femper fenfum cum ea moraliter copulat, fiue nunc ea quidem fiat, fiue dudum facta videatur. Namque *vita fenfibilis* ratione confcientiae *intelligibilis* exfiftentiae fuae (libertatis) abfolutam vnitatem phaenomeni habet, quod, quatenus folum phaenomena mentis, legem moralem attingentis, (characteris) continet, non fecundum neceffitatem phyficam, quae illi qua phaenomeno competit, fed fecundum fpontaneitatem libertatis abfolutam diiudicari debet. Igitur concedi poteft, fi nobis fieri poffit, vt in mente hominis, vti ea fe per actiones cum internas tum externas prodit, tam profunde penetremus, vt vel minimus quisque elater nobis pateret, omnesque ad hunc occafiones agentes externae, actionem hominis futuram certo, velut eclipfin lunae folisue, computando poffe praedici, et nihilominus tamen adferi, hominem liberum effe. Nimirum fi alius adhuc adfpectus, (qui vero nobis fane neutiquam datus eft, fed cuius loco nobis eft conceptus rationalis) nempe vifionis intellectualis eiusdem fubiecti capaces effemus, tamen animaduerteremus, hanc totam phaenomenorum catenam, refpectu eorum, quae vnquam poterunt ad legem moralem pertinere, a fpontaneitate fubiecti, qua rei per fe ipfius, pendere, cuius de determinatione nulla prorfus poteft enodatio phyfica proponi. Qua quidem vifione cum careamus, lex moralis nobis difcrimen confirmat relationis actionum noftrarum, qua phaenomenorum, ad naturam fenfibilem fubiecti noftri, ab ea, qua haec ipfa natura fenfibilis ad fubftratum intelligibile in nobis refertur. — Quo quidem refpectu, rationi noftrae naturali, quamquam inenodabili, iudicia defendi poffunt, cum omni religione

lata, quae tamen prima ſpecie cum vniuerſa aequitate pugnare videntur. Videmus ſubinde homines a pueris, vel ſub ipſa eadem educatione, quae aliis prodeſſet, tamen tam mature malitiam oſtendere, atque ſic ad aetatem virilem in ea creſcere, vt natos eos ſceleſtos putes, omninoque animo incorrigibili eſſe, nihilominus tamen eos de actionibus eorum itidem iudices, crimina iis pariter culpae tribuas, quin ipſi (pueri) eas reprehenſiones ita prorſus iuſtas intelligant, ac ſi, non habita ratione deſperatae animi conditionis, perinde culpa teneantur, ac quisque alius homo. Id quod fieri non poſſet, niſi ſumeremus, omnia, quae ex eius arbitrio oriuntur, (quemadmodum ſine dubio quaeque actio de induſtria patrata) in cauſalitate libera conſtituta eſſe, quae in aetate tenera characterem eorum, in phaenomenis (actionibus) exprimat, quae ob ſimilitudinem actionum contextum phyſicum oſtendunt, quo vero mala voluntatis conditio haud neceſſaria redditur, ſed potius conſequentia eſt principiorum malorum et immutabilium ſponte adoptatorum, quibus eo peior fit poenaque dignior.

Verum et alia difficultas libertati officit, quatenus ea cum mechaniſmo phyſico debet in natura, quae ad mundum ſenſibilem pertinet, coniungi. Quae quidem difficultas, vel vniuerſis iis, quae hactenus disputata ſunt, conceſſis, libertati interitum minatur. In quo quidem discrimine ex re quadam ſimul ſpes effulget, exitus obtinendae libertatis felicis, ſcilicet, quod eadem difficultate multo grauius (reuera, vti mox videbimus, ſola) ſyſtema premitur, in quo exſiſtentia in tempore ſpatioque determinabilis pro exſiſtentia rerum per ſe ipſarum habetur, eaque nos proinde non cogit, vt ſumtionem principem noſtram de idealitate temporis, qua ſolius formae viſionum ſenſitiuarum, proinde qua merae repraeſentandi rationis, ſubiecto qua ad mundum ſenſibilem pertinenti propriae, mittamus, ideoque duntaxat poſtulat, vt eam cum hac idea coniungamus.

Quippe ſi nobis etiam concedatur, ſubiectum intelligibile reſpectu actionis cuiuspiam datae adhuc eſſe liberum

posse, quamquam illud qua subiectum, quod etiam pertinet ad mundum sensibilem, respectu eius mechanice conditione adstrictum tenetur, tamen, simulatque sumseris *deum*, qua causam primam vniuersalem, eum etiam *causam* esse *exsistentiae substantiarum* (quod enunciatum non debet mitti, nisi conceptus dei qua naturae omnium naturarum, cum eoque sufficientia eius ad vniuersa tuenda idonea, in qua omnia vertuntur in theologia, simul mittatur) concedi videtur oportere. Actiones hominum rationem determinantem habent in eo, *quod prorsus est extra potestatem illorum*, nimirum in causalitate entis summi ab se diuersi, a quo exsistentia hominis totaque causalitatis eius determinatio pendet. Quodsi actiones hominis, ita vti eae ad determinationes eius pertinent in tempore, haud solae forent determinationes illius qua phaenomeni, sed qua rei per se ipsius, tum profecto libertas haud esset seruanda. Quippe homo pupa foret mobilis, aut automaton Vaucansonianum, dolatum atque intentum a summo omnium operum artis fabricatore, quod quidem per sui ipsius conscientiam automaton cogitans redderetur, in quo vero conscientia spontaneitatis, si pro libertate habetur, mera illusio foret, siquidem ea solum comparatiue sic dici meretur, siquidem causae proximae determinandi motus illius, longaque illarum series sursum ad causas determinantes, interne quidem sunt, vltima vero et summa tamen prorsus in manu aliena deprehenditur. Idcirco haud intelligo, quomodo, qui etiamnum tempus spatiumque in determinationibus obstinate ponunt, ad exsistentiam rerum per se ipsarum pertinentibus, hic velint fatalitatem actionum vitare, aut, si tam recta (quod Moses Mendelii fecit, vir alioquin acutissimus) vtrumque modo qua conditiones ad exsistentiam naturarum finitarum ac deriuatarum, non vero ad exsistentiam entis originarii infiniti necessarias concedunt, quomodò se defendant, vnde sibi potestas sit eiusmodi discriminis statuendi, quomodo adeo velint effugere repugnantiam, in quam incurrunt, cum exsistentiam in tempore qua rebus finitis per se necessario adhaerentem determinationem accipiunt, cum deus huius exsistentiae causa sit,

verum tamen is haud caufa ipfius temporis (fpatiiue) effe poffit, (fiquidem hoc vt conditio neceffaria ex anticipatione pofitum effe debet ante exfiftentiam rerum,) eius proinde caufalitas ratione exfiftentiae earum rerum, quoad tempus ipfum, conditione, oporteat, adftricta fit, in quo quidem euitari non poterit, quin cunctae contra conceptus infinitatis eius et independentiae emergant. Contra nos facillime poffumus determinationem exfiftentiae diuinae, vt liberam ab vniuerfis determinationibus temporis, quo ea quippe ab natura differt mundi fenfibilis, qua *exfiftentiam entis per fe ipfius*, ab exiftentia *rei in phaenomeno* diftinguere. Quamobrem, idealitate illa temporis fpatiique haud admiffa, folus relinquitur modo *Spinozifmus*, in quo fpatium tempusque determinationes effentiales funt ipfius entis originarii, quae vero ex eo pendent, res (proinde nos quoque ipfi) non fubftantiae, fed folum accidentia illi inhaerentia videntur; quoniam, fi hae res, duntaxat, vt eius effecta, *in tempore* exftent, quod conditio foret earum exfiftentiae per fe, etiam actiones harum naturarum folum actiones effe illius oporteret, quas is alicubi et aliquando exfereret. Quocirca Spinozifmus, quamuis eius idea conftitutiua abfurda fit, tamen longe accuratius concludit, quam fieri ex theoria creationis poffit, fi *naturae* pro fubftantiis acceptae et *per fe in tempore exftantes* effecta reputantur caufae cuiuspiam fupremae, neque tamen fimul ad eam eiusque actionem, fed per fe vt fubftantiae confiderantur.

Sed illarum difficultatum folutio, breuiter euidenterque, hoc modo efficitur: fi exfiftentia *in tempore* mera fit repraefentatio fenfitiua naturarum cogitantium in mundo, proinde eas, qua res per fe ipfas, haud attingat: creatio earum naturarum erit creatio rerum per fe ipfarum; propterea quod conceptus creationis non ad repraefentationem exfiftentiae fenfitiuam neque ad caufalitatem pertinet, fed tantummodo ad noumena poteft referri. Ergo, cum naturas in mundo fenfibili effe creatas dico; eas eatenus qua noumena confidero. Quemadmodum autem pugnaret, dici, deum effe creatorem phaenomenorum, fic etiam

pugnabit, dici, eum, qua creatorem, esse causam actionum in mundo sensibili, proinde qua phaenomenorum, etsi causa sit exsistentiae naturarum agentium (qua noumenorum). Quodsi igitur fieri possit (modo exsistentiam in tempore accipiamus pro eo, quod solum de phaenomenis valeat, non vero de rebus per se ipsis,) vt libertas, saluo mechanismo physico actionum quae phaenomenorum, obtineatur, non poterit eo, quod naturae agentes res creatae sunt, quodquam ea in re mutari, siquidem creatio exsistentiam earum intelligibilem, non vero sensibilem attinet, nec proinde poterit vt ratio determinandorum phaenomenorum spectari; quod vero longe secus casurum foret, si naturae mundanae qua res per se ipsae *in tempore* exstarent, cum creator substantiae simul auctor foret vniuersi in ea substantia mechanismi.

Tanti momenti est in critice rationis purae contemplatiuae facta temporis (perinde ac spatii) ab exsistentia rerum per se ipsarum separatio!

At vero dices, quae hoc loco proposita fuit, solutioni difficultatis multa tamen obscuritas inest, eaque vix capax est expositionis clarioris. Verum quaero, anne quaeque alia, quae tentata est, vel tentari possit, facilior erit et dilucidior? Potius dici posset, doctores metaphysices dogmaticos magis versutiam suam quam sinceritatem in eo ostendisse, quod hocce caput lubricum atque anceps, quoad eius fieri posset, ex oculis remouerent, sperantes, fore, vt, si illud tacerent, fere etiam nemo facile de eo cogitet. Si cui scientiae debeat succurri, omnes, oportebit, difficultates *aperiri* atque etiam illas *conquiri*, quae ei quam occultissime officiunt; quaeque enim earum excitat remedium, quod haud queat inueniri, nisi scientiae quidpiam ei accedat, siue quoad ambitum atque compagem, siue respectu perspicuitatis euidentiaeque, quo proinde ipso impedimenta in adiumenta vertuntur doctae subtilitatis scientiae. Contra difficultates, si de industria celentur, vel solum remediis tollantur infirmis, quae malum occultent quidem, non vero funditus exstirpent, aliquando

in mala erumpent, quibus nihil quidquam mederi possit, scientiaque tota in scepticismum praecipitata corruere videatur.

* * *

Cum proprie conceptus libertatis vnus omnium idearum rationis purae contemplatiuae tantam in campo suprasensibilium amplificationem, quamuis solum respectu cognitionis practicae, pariat, memet ipsum interrogo: *vndenam tantam vbertatem prae caeteris solus nactus videatur,* cum tamen reliqui quidem locum vacuum designent puris, quae esse possint, entibus rationis, sed conceptum illorum nulla possint re determinare. Facile intelligo, cum nequeam quidpiam cogitare sine categoria, hanc quoque in idea rationis de libertate, in qua occupatus teneor, primo anquirendam esse, quae hoc loco in categoria cernitur *causalitatis*, atque, etsi *conceptui* libertatis *rationali*, qua conceptui transscendenti, nulla possit, quae illi respondeat, visio supponi, tamen *conceptui* (causalitatis) *intellectuali*, ad cuius synthesin ille absolutum postulat, ante, necesse sit, visio sensitiua proponi, qua illi primum de realitate obiectiua caueatur. Atqui omnes categoriae in duas distributae classes sunt, nimirum in *mathematicam*, quae solum spectant vnitatem syntheseos in repraesentatione rerum obiectarum, et in *dynamicam*, quae vnitatem syntheseos attingunt in repraesentatione exsistentiae obiectarum rerum. Iis, quas superius descripsimus (quantitatis et qualitatis) semper continetur synthesis *similium*, in qua absolutum, ad id, quod in visione sensitiua ad conditiones adstrictum in spatio ac tempore datum est, cum ipsum vicissim ad spatium tempusque pertinere oporteret, ideoque semper vicissim absolutum videri, nullo modo potest inuenire; quocirca quoque in dialectica rationis purae theoreticae genera illa disiuncta, absolutum conditionumque vniuersitas inuenienda, ambo falsa erant. Categoriae classis posterioris (causalitatis necessitatisque cuiuspiam rei) eam similitudinem (eius quod ex conditione pendet, conditionisque in synthesi) minime postulabant, quoniam hic non

visio, vti ea ex variis in se composita, sed solum vti exsistentia obiectae rei sibi idoneae ad conditionem adstrictae ad exsistentiam conditionum (in intelligentia vt cum ea coniuncta) accedat, repraesentari debebat, vbi licuit, ad id quod perpetuo aliunde pendet in mundo sensibili (respectu tum causalitatis, tum exsistentiae fortuitae rerum ipsarum) absolutum, quamuis alioquin indeterminatum, in mundo intelligibili poni, synthesinque effici transscendentem; quamobrem etiam in dialectica rationis purae contemplatiuae vidimus, vtrumque modum, ad speciem, inuicem sibi oppositum absoluti ad id quod e conditione pendet inueniendi, velut in synthesi causalitatis ad id, quod ad conditionem adstrictum est, in serie causarum et effectorum mundi sensibilis, vt, quae haud vlterius aliunde pendet, causalitas cogitetur, reapse haud pugnare, eamdemque actionem, quae, qua ad mundum sensibilem pertinens, semper sensibiliter pendet, id est, absolute necessaria est, tamen simul quoque, qua ad causalitatem naturae agentis pertinens, quatenus ea pars est mundi intelligibilis, in causalitate sensibiliter absoluta constitutam esse posse, proinde vt liberam cogitari. Iam solum in eo vertebatur, vt istud *posse* conuerteretur in *esse*, hoc est, vt in causa quapiam vera atque adparente, quasi per factum aliquod, possit doceri: certis actionibus quibusdam eiusmodi causalitatem (intellectualem, sensitiue absolutam) poni, siue eae reuera sint, siue solum ex iusso, hoc est, obiectiue practice necessariae. In actionibus reapse in experientia datis, vt mundi sensibilis euentis, sperare haud poteramus eam coniunctionem, propterea quod causalitas per libertatem semper extra mundum sensibilem in mundo intelligibili quaerenda videtur. Res aliae, praeter naturas sensibiles siue phaenomena, nobis non sunt percipiendae obseruandaeque propositae. Ergo nihil relinquebatur, nisi vt vllum decretum quodpiam causalitatis certum atque euidens, idque obiectiuum, vniuersam conditionem sensitiuam a determinatione sua arcens, hoc est, principium inueniatur, in quo ratio haud vlterius ad *aliud* quid, qua rationem determinantem respectu causalitatis prouocat, sed quam ea ipsa iam

per principium illud continet, et vbi proinde ea, qua *ratio pura*, ipſa practica videatur. Sed non opus eſt, vt iſtud decretum quaeramus atque inueniamus; dudum fuit in omnium hominum ratione naturaque inſculptum, illudque principium eſt *moralitatis*. Ergo cauſalitas abſoluta illa facultasque illius, libertas, cum hac autem natura (ego ipſe), quae ad mundum ſenſibilem pertinet, ſimul tamen quatenus ſpectat intelligibilem, non ſolum incerto atque indeterminate problematiceque *cogitata* eſt (quod fieri poſſe iam ratio poterat contemplatiua videre), verum adeo *reſpectu legis* cauſalitatis ſuae *determinata* et adſertorie *agnita*, atque ita exſiſtentia mundi intelligibilis, et quidem reſpectu practico *determinate*, data eſt atque oblata, eaque determinatio, quae reſpectu theoretice *transſcendens* foret, ratione practica *immanens* videtur. Quod quidem reſpectu alterius ideae dynamicae, nempe *naturae neceſſariae* fieri a nobis haud poterat. Ad eam e mundo ſenſibili, haud interueniente idea dynamica priori, non poteramus adſcendere. Namque, ſi iſtud conaremur, ſaltum auſos nos eſſe, neceſſe eſſet, vt, quae nobis data ac propoſita ſunt, cunctis miſſis, ad ea nos eleuaremus, quorum nobis nihil quidquam itidem datum eſt, quo coniunctionem naturae eiusmodi poſſemus cum mundo ſenſibili efficere (propterea quod natura neceſſaria vt *extra nos* data debebat cognoſci); id quod e contrario reſpectu *noſtri ipſius* ſubiecti, quatenus id per legem moralem *partim* qua natura intelligibilis (per libertatem) ſe ipſum determinat, *partim* qua ad hanc determinationem in mundo ſenſibili actiuum, ſe ipſum cognoſcit, vti nunc manifeſtum eſt, commode fieri poteſt. Vnus libertatis conceptus, concedit, nos non opus habere, vt haud extra nos exeamus, quo abſolutum atque intelligibile ad id, quod ad conditionem adſtrictum ac ſenſibile eſt, aperiamus. Eſt enim ipſa ratio noſtra, quae per legem ſummam et abſolute practicam, naturamque huiusce legis ſibi conſciam (noſtram perſonam ipſam) vt mundum purum intelligibilem pertinentem, et quidem vel modo determinando, quo ea qua talis agere queat, cognoſcit. Sic poterit comprehendi, cur in vniuerſa facultate rationali

tantummodo practica posse nos vltra mundum sensibilem euehere, nobisque cognitiones ordinis cuiuspiam suprasensibilis coniunctionisque largiri, quae vero ob eam ipsam causam sane quidem tantum possunt dilatari, quantum pro ipso consilio puro practico necessarium videtur.

Vnum modo liceat mihi hac data occasione monere, nempe quemque passum, quem cum ratione pura facimus, vel in campo practico, vbi contemplationes subtiles prorsus negligimus, tamen arctissime et quidem sponte vniuersis critices rationis theoreticae momentis adhaerescere, quasi quisque deliberato consilio, ad hanc confirmandam, excogitatus videatur. Eiusmodi nullo modo quaesita, sed (vti nobismet ipsis possumus ea de re persuadere, si modo inuestigationes morales vsque ad eorum principia velimus continuare) sponte exsistens, accurata grauissimorum rationis practicae decretorum conuenientia, cum obseruationibus critices rationis purae contemplatiuae, saepius speciem subtilitatis atque inutilitatis habentibus, opprimit atque admirationem rapit, confirmatque regulam illam subiectiuam ab aliis iam agnitam atque laudatam, vt in quaque inuestigatione scientifica iter, qua fieri possit, diligentia ac sinceritate alacres continuemus, neque nos patiamur eo irritari, quod ea extra campum suum forsitan peccet, sed eam solam, quoad eius fieri possit, veram perfectamque absoluamus. Frequentiore obseruatione persuasum mihi est, hoc negotio composito, ea, quae in illo ad dimidium profligato, ratione aliarum doctrinarum externarum, dubia mihi nonnumquam viderentur, si modo eam dubitationem tantummodo mitterem solumque ad negotium meum animum aduerterem, dum absolutum sit, tandem inopinato cum iis exacte conuenire, quae ne minimo quidem illarum doctrinarum habito respectu, sine studio et amore eorum, sponte se aperuissent. Scriptoribus multi errores possent, multaque opera peracta (quippe quae in illusione posita esset) supersederi, si modo constituere possent, maiori quadam sinceritate opus adgredi.

LIBER SECVNDVS.

D I A L E C T I C E
RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

CAPVT PRIMVM.

DE

D I A L E C T I C A
RATIONIS PVRAE PRACTICAE
IN VNIVERSVM.

Rationi purae, ſiue eam in vſu contemplatiuo ſpectes, ſiue practicae, ſua ſemper eſt dialectice; ea enim vniuerſitatem poſtulat abſolutam conditionum ad datum quidpiam ad conditiones adſtrictum, eaque nullo modo poteſt niſi in rebus per ſe ipſis deprehendi. Cum vero vniuerſi rerum conceptus debeant ad viſiones referri, quae in nobis hominibus non niſi ſenſitiuae eſſe poſſunt, proinde res obiectas, non vt res per ſe ipſas, ſed ſolum vt phaenomena cognoſcendas oſtendant, in quarum ſerie cum eorum, quae aliunde pendent, cum, vnde pendent, conditionum, numquam poſſit abſolutum deprehendi, illuſio ineuitabilis oritur ex vſu huiusce ideae rationalis de vniuerſitate conditionum (proinde abſoluti) ad phaenomena, quaſi ea res forent per ſe ipſae (pro his enim ea, deficiente critica monente, ſemper reputantur), quae vero numquam vt fallax animaduerteretur, niſi per *pugnam* rationis cum ſe ipſius, in adhibendo illius decreto, abſolutum ad quodque cum adiunctione datum ponendi, ad phaenomena, ſe ipſam

proderet. Quo vero ratio cogitur, vt eam illuſionem inveſtiget, vnde illa emergat, et quomodo queat ea dispelli, quod non niſi per criticam vniuerſae facultatis rationalis purae perfectam fieri poteſt; ita, vt antinomia rationis purae, quae in dialectica eius manifeſtatur, reapſe ſaluberrima aberratio ſit, in quam vnquam humana ratio incidere potuerit, propterea quod ea nos poſtremo incitat, vt clavem anquiramus, qua nos expedire ex hoc labyrintho poſſimus, qua quidem inuenta, ea quoque aperiuntur, quae haud quaerebantur, quibusque tamen indigemus, nempe proſpectus in altiorem, immutabilem rerum ordinem, in quo iam nunc verſamur, et in qua vt exſiſtentiam ſummo rationis conſilio conuenienter continuemus, certis nunc determinatisque praeceptis poſſumus inſtitui.

Quomodo in vſu rationis purae contemplatiuo naturalis illa dialectice expedienda ſit, errorque, ex ſpecie caeterum naturali debeat vitari, in critica facultatis illius legi vberius poterit. Nec verò meliorem ſortem nacta eſt ratio in vſu practico. Ea, qua ratio pura practica, ad practice conditioni adſtrictum (quod in inclinationibus neceſſitateque poſitum naturae eſt) itidem abſolutum anquirit, idque non vt rationem determinandae voluntatis, ſed, etiamſi haec (in lege morali) iam data fuerit, vniuerſitatem abſolutam rei rationi purae practicae propoſitae, ſub nomine *ſummi boni*.

Hanc ideam practice, hoc eſt, regulae illi ſubiectivae vitae noſtrae rationi conuenientis, idonee determinandi, *doctrina* eſt *ſapientiae*, eaque viciſſim, qua *ſcientia*, eſt *philoſophia*, ſenſu illo, quo veteres verbum intellexerunt, quibus ea erat inſtitutio ad conceptum, quo ſummum bonum collocari debeat, ad vitamque, per quam illud poſſit comparari. Recte fecerimus, ſi iſti vocabulo veterem ſignificationem ſeruaremus, vtpote *doctrinae de ſummo bono*, quatenus ratio conatur in ea ſe vsque ad *ſcientiam* euehere. Partim enim adiuncta conditio circumſcribens vocabulo Graeco (quod amorem *ſapientiae* denotat) conſentanea foret et tamen ſimul idonea ad amorem *ſcientiae*,

proinde vniuerſae cognitionis contemplatiuae rationis, quatenus ea tum ad conceptum illum, tum ad rationem determinantem practicam vti poteſt, philoſophiae nomine, ſimul complectendum, neque tamen finem principem, cuius cauſa ſolum ea poterit doctrina ſapientiae dici, oculis ſubduci ſineret. Partim etiam haud abs re foret, ſi arrogantia eius, qui auſit ipſius titulo philoſophi abuti, deterreretur, cum ei iam per definitionem menſura obſeruantiae ſui ipſius oſtenderetur, quae poſtulata eius admodum temperabit; *doctorem* enim eſſe *ſapientiae* plus, opinor, erit, quam diſcipulum eſſe, qui etiam nunc haud ſatis longe prouectus eſt, vt ſe ipſum queat, multo minus alios ducere, ita vt certus eſſe poſſit tanto de fine attingendo; idem foret ac *magiſtrum eſſe ſapientiae cognoſcendae*, quod plus enunciat, quam homo modeſtus ſibi ipſe arrogauerit, et philoſophia, perinde ac ſapientia, ipſa etiam nunc maneret ideale, quo obiectiue in ratione ſola plene repraeſentatur, ſed ſubiectiue, perſonae, tantummodo meta eſt indefeſſi conatus, in cuiusque poſſeſſione eſſe, ſub nomine arrogato philoſophi, iure ſe is modo poterit perhibere, qui etiam effectum illius neceſſarium (in ſe ipſo gubernando, indubitatoque inuitamento, quod praecipue capit e bono publico atque communi) in perſona ſua poſſit, vt exemplo, proponere, id quod veteres quoque poſtularunt ab eo, qui titulo illo honorifico poſſet dignus iudicari.

Ac dialecticae quidem rationis purae practicae, quantum determinationem attinet conceptus *de ſummo bono*, (a qua, ſi rite expediatur, perinde ac dialectice rationis purae theoreticae fructus poterit ſaluberrimus exſpectari, eo quod ſincere inſtitutae, nec vero celatae rationis purae practicae repugnantiae, ad plenam ſuae ipſius facultatis criticam cogunt) vnum adhuc monitum nobis praemittendum videtur.

Lex moralis vna eſt ratio voluntatis purae determinandae. Quae vero cum ſolum formalis ſit, (nempe, tantummodo formam regulae ſubiectiuae, qua vniuerſe legislatoriam, poſtulat,) temperat ſibi ea, qua ratio deter-

minans, ab omni materia, proinde ab omni re volitioni proposita. Quocirca summum bonum esto *res* tota rationi purae practicae *subiecta*, id est, voluntati purae obnoxia, tamen propterea illud non est pro *ratione* illius *determinandae* reputandum, et lex moralis sola vt ratio spectanda erit, illius, eiusque effectionem promotionemue, sibi vt rem obiectam proponendi. Quod quidem monitum in causa tam delicata, quam determinatio est principiorum moralium, vbi vel minima calumnia mentes sententiasque adulterat, magni momenti videtur. Namque ex analytica intellexeris, vlla obiecta re quapiam, sub nomine boni, vt ratione determinandae voluntatis ante legem moralem sumta, summoque tum principio practico ab ea deriuato, semper heteronomiam adductum, principiumque morale expulsum iri.

Verum per se intelligitur, si in conceptu summi boni lex moralis, vt suprema conditio, iam vna inclusa sit, summum bonum tum non solum *rem obiectam*, sed etiam eius conceptum, repraesentationemque exsistentiae illius per rationem practicam nostram possibilis simul *rationem* esse *voluntatis determinandae;* propterea quod tum reapse lex moralis in hocce conceptu iam inclusa, simulque cogitata, nullaque res obiecta alia, secundum principium autonomiae, voluntatem determinat. Atque hic ordo conceptuum de voluntatis determinatione semper debebit ob oculos versari; quoniam alias nosmet ipsos calumniabimur nobisque ipsi repugnare putabimus, cum tamen vniuersa summo concentu constituta videantur.

CAPVT SECVNDVM.

DE DIALECTICE RATIONIS PVRAE IN DETERMINANDO SVMMI BONI CONCEPTV.

Conceptu *fummi* iam continetur ambiguitas, qua neglecta, inutiles poſſunt controuerſiae exſiſtere. Summum vel *ſupremum* poteſt, vel etiam *conſummatum* notare. Illud cernitur in ea conditione, quae ipſa abſoluta ſit, id eſt, nulli alii ſubordinata (ſummum originarium); hoc in illo toto verſatur, quod nulla pars ſit cuiuspiam totius maioris de genere eodem (ſummum perfectiſſimum). *Virtutem* (qua dignitatem felicitatis potiundae) *ſupremam conditionem* eorum omnium, quae nobis digna, quae expetantur, videri poſſint, proinde vniuerſi ſtudii noſtri ad felicitatem conſequendam, ideoque *ſupremum* bonum eſſe, in analytice vicimus. Verum idcirco nondum ea bonum totum eſt abſolutumque, qua res facultati adpetendi propoſita naturarum rationalium finitarum; namque, vt illud ſit, etiam *felicitate* opus eſt, et quidem non ſolum ex ſententia perſonae ſtudio iudicantis, quae ſe ipſam metam conſtituit, ſed in ipſo iudicio rationis ad neutram partem propenſae, quae illam vniuerſe in mundo vt finem ſcopumque per ſe conſiderat. Etenim felicitatis egere, eaque et dignum eſſe, ſed tamen illius haud participem fieri, non poteſt cum volitione perfecta naturae rationisque, quae ſimul omni potentia polleret, vllo modo conſiſtere. Quatenus igitur virtus atque felicitas coniuncte poſſeſſionem ſummi boni in perſona quadam, ſed praeterea quoque felicitas, accurate ad proportionem moralitatis (qua pretii perſonae eiusque dignae felicitate rationis) distributa, *ſummum bonum* mundi

possibilis efficiunt: hoc totum denotat, bonum absolutum, in quo virtus semper, vt conditio, bonum supremum est, quoniam haud vlterius conditionem supra se habet, verum felicitas semper quiddam designat, quod illi, qui eam possidet, iucundum quidem, sed non per se solum prorsus omnique respectu bonum sit, sed semper vitam moralem et legitimam ponat qua conditionem.

Duae in conceptu quodam *necessario* coniunctae determinationes, vt ratio debent et consequens coniunctae videri, et quidem aut sic, vt haec *vnitas* qua *analytica* (coniunctio logica) aut qua *synthetica* (coniunctio realis) illa secundum legem identitatis, haec ex lege caussalitatis consideretur. Ergo coniunctio virtutis cum felicitate vel ita potest intelligi, vt studium virtutis conatusque sapiens felicitatis parandae haud duae actiones diuersae sint, sed prorsus identicae, vbi tum superiori nulla alia regula subiectiua, quam quae posteriori, necesse foret constitui: vel illa coniunctio hac conditione ponatur, vt virtus felicitatem pariat vt quidpiam ab conscientia illius diuersum, velut caussa effectum.

Veterum scholarum Graecarum proprie duae modo fuerunt, quae in conceptu summi boni determinando eamdem quidem viam ac methodum sequerentur, quatenus virtutem ac felicitatem haud vt duo diuersa summi boni elementa decernerent, proinde vnitatem principii ex regula identitatis quaererent; verum in eo rursus in diuersa abirent, quod vtriusque conceptum constitutiuum varie eligerent. *Epicureus*, sibi, ait, conscium esse regulae suae ad felicitatem ducentis, id virtus est. Sed contra *Stoicus:* virtutis suae sibi conscium esse, felicitas est. Illi prudentia idem fuit, quod moralitas; huic, qui altius nomen virtuti legisset, sola fuit *moralitas* sapientia vera.

Dolendum est, istorum hominum (quos tamen simul admirari debeas, quod temporibus illis tam mature omnes, quae cogitari possunt, vias occupationum philosophicarum tentarent) acumen misere esse collocatum, quod inter

conceptus maxime dissimiles, nempe felicitatis virtutisque identitatem piscarentur. Verum dialectico istorum temporum genio consentaneum fuit, vt, quo etiamnum subinde videas subtilia ingenia decipi, discrimina principiorum essentialia et numquam concilianda eo tollerentur, vt ea in concertationes verborum verterentur, atque ita, ad speciem, vnitas conceptus solum per varia vocabula extorqueretur, idque plerumque in iis causis accidit, vbi coniunctio rationum dissimilium tam profunde vel alte constituta videtur, aut commutationem adeo vniuersam dogmatum in systemate philosophico alias receptarum postularet, vt vereare, ne profundius discrimen reale penetres illudque potius tamquam dissensionem in meris formalibus tractes.

Dum ambae scholae identitatem quaerebant principiorum practicorum virtutis felicitatisque cogere, idcirco non iis inter se conuenit, quomodo eam identitatem exigerent, sed infinite in diuersa abiere, propterea quod vna principium constitueret in parte aesthetica, altera in logica, illa in conscientia indigentiae sensitiua, haec in vacuitate rationis practicae ab omni ratione determinante sensitiua. Conceptus virtutis, ex mente *Epicurei*, iam inerat in regula subiectiua propriae felicitatis promouendae; contra sensus felicitatis, ex sententia *Stoicorum*, iam inerat in conscientia virtutis suae. Quod vero alio quodam conceptu continetur, id quidem cum parte quapiam continentis, non vero cum toto idem videtur, duoque tota praeterea possunt quoad speciem differre, quamuis ex eadem materia constent, si scilicet partes vtriusque modo prorsus diuerso in toto quodam coniungantur. *Stoicus* contendit, virtutem *totum summum bonum* esse, sed felicitatem solum conscientiam possessionis illius, vt ad statum subiecti pertinentem. Contra *Epicureus* adseruit: felicitatem *totum summum bonum* videri, sed virtutem duntaxat in forma cerni regulae subiectiuae, felicitatis ambiendae, nempe in vsu sapienti adiumentorum ad eam consequendam.

Atqui ex analytice manifestum est, regulas subiectiuas virtutis propriaeque felicitatis respectu summi earum prin-

cipii practici prorsus dissimiles esse, tantumque abesse, vt conspirent, quamuis ad summum bonum pertineant, quod, vt esse possit, quo efficiant, inuicem se in eodem subiecto circumscribant, sibique derogent. Ergo quaestio: *quomodo summum bonum practice esse possit*, quamuis illius solutio sexcenties sit huc vsque tentata, problema manet haud solutum. Id vero, quo illius solutio difficultatibus obruitur, in analytice ostendimus, scilicet felicitatem moralitatemque duo *elementa* esse summi boni quoad speciem prorsus *diuersa*, earumque proinde coniunctionem *non* posse *analytice* cognosci (eum fortasse, qui felicitatem anquirit, in vita sua per solam conceptuum solutionem virtutem colere, aut eum, qui virtutem sequitur, in conscientia eiusmodi vitae iam ipso facto se felicem sensurum fore), verum in *synthesi* conceptuum versari. Quoniam vero ea coniunctio vt ex anticipatione, proinde practice necessaria, ergo haud vt ab experientia deriuata, cognoscitur, summique proinde boni possibilitas non posita est in principiis empiricis, necesse erit, *deductionem* huius conceptus *transscendentalem* videri. Ex anticipatione (moraliter) necessarium est, *vt summum bonum per voluntatis libertatem producatur;* ergo etiam necesse est conditionem possibilitatis illius solum in rationibus cognoscendi ex anticipatione positam videri.

I.

ANTINOMIA RATIONIS PRACTICAE.

In summo nobis practico bono, id est per voluntatem nostram verum efficiendo, virtus felicitasque vt necessario coniunctae cogitantur, ita vt vna per rationem practicam accipi nequeat, nisi et altera ad id pertineat. Atqui haec coniunctio (vti omnis omnino alia) aut *analytica* est, aut *synthetica*. Cum vero data haec atque proposita non possit analytica esse, vti modo docuimus, ea, oportebit, synthetice, et quidem vt coniunctio causae cum effecto cogitetur; siquidem ea bonum practicum attingit, hoc est,

eiusmodi, quod esse per actionem possit. Igitur necesse est, aut cupiditatem felicitatis momentum esse regularum virtutis, aut regulam virtutis causam esse efficientem felicitatis. Superius fieri *nullo pacto* potest; quoniam regulae, quae rationem voluntatis determinandae in desiderio felicitatis ponunt, minime morales sunt, nullamque possunt virtutem constituere. Verum *et* posterius *fieri non potest*, siquidem vniuersa coniunctio practica causarum et effectorum in mundo, qua consequens determinationis voluntatis haud se ad motus voluntatis morales accommodat, verum ad cognitionem legum physicarum facultatemque physicam, iis ad proposita vtendi, ergo nulla necessaria potest ad summumque bonum idonea felicitatis cum virtute in mundo coniunctio exspectari. Cum igitur summi boni promotio, eam coniunctionem in conceptu suo cohibentis res voluntati nostrae subiecta sit ex anticipatione necessaria, et cum lege morali arctissime cohaereat, sequitur, vt inpossibilitate superioris falsitas quoque posterioris probetur. Quodsi ergo summum bonum fieri ex regulis practicis nequeat, cogitur, vt etiam lex moralis, quae illud promouendum imperat, fictitia sit, atque ad fines inanes opinatos directa, proinde per se falsa videatur.

II.

COMPOSITIO CRITICA ANTINOMIAE RATIONIS PVRAE.

In antinomia rationis purae contemplatiuae similis pugna occurrit inter necessitatem physicam et libertatem, in caussalitate euentorum in mundo. Quae eo quidem composita est, vt doceremus, nullam veram pugnam esse, si euenta, ipseque mundus, in quo ea accidunt, (quod etiam debet fieri) solum vt phaenomena considerentur; cum eadem natura agens, qua *phaenomenon* (vel coram suo ipsius sensu) caussalitatem in mundo habeat sensibili, mechanismo physico semper consentaneam, sed respectu eiusdem euenti, quatenus persona agens simul se qua *noumenon*

consideret, (vt intelligentiam puram, in exsistentia sua non quoad tempus determinabili,) rationem causalitatis illius ex legibus physicis determinandae, ipsam ab omni lege physica liberam, possit continere.

Cum praesente rationis purae practicae antinomia pariter comparatum videtur. Prior duarum illarum enunciationum, conatu felicitatis potiundae rationem produci mentis honestae, *simpliciter falsa* est; altera vero, mente honesta necessario felicitatem procreari, non simpliciter quidem, sed modo, quatenus ea vt forma spectatur causalitatis in mundo sensibili, ideoque, si exsistentiam in ea pro vna ratione exsistentiae naturae rationisque accipiam, ergo solum *hypothetice falsa* videtur. Cum autem non solum iure queam, exsistentiam meam quoque vt noumenon in mundo intelligibili cogitare, verum adeo in lege morali rationem puram intellectualem habeam causalitatis meae (in mundo sensibili) determinandae, fieri poterit, vt moralitas mentis contextu teneatur, si haud proxima, tamen interuentu (intelligibilis rerum naturae auctoris) eoque necessario, qua causa, cum felicitate, vt effecto in mundo sensibili, quae quidem coniunctio in natura, quae solum res est sensibus obnoxia, nunquam aliter nisi fortuito locum habere potest, ad summumque bonum haud idonea videri.

Ergo, quamuis videatur sic ratio pura practica secum ipsa pugnare, summum bonum, necessarius finis ille summus voluntatis moraliter determinatae, vere est res illi subiecta; fieri enim practice poterit, et regulae subiectiuae voluntatis, quae quoad materiam eo spectant, realitatem obiectiuam habent, quae initio per antinomiam illam in societate moralitatis felicitatisque deprehendebatur, sed per erroris opinionem, quoniam relatio phaenomenorum inter se inuicem pro relatione reputaretur rerum per se ipsarum ad ea phaenomena.

Quodsi nosmet sentiamus coactos, vt possibilitatem summi boni, huiusce per rationem vniuersis naturis ratione

praeditis metae omnibus illarum desideriis moralibus propositae, in tanta distantia, nimirum in coniunctione cum mundo intelligibili, quaeramus, mirum videatur, necesse erit, philosophos cum veterum, tum recentiorum temporum, nihilominus iam in *hac vita* (in mundo sensibili) felicitatem ad virtutem prorsus aequabiliter adfectam inuenire potuisse, aut sibi huiusce rationis aequabilis esse conscios sibi persuaderi. Etenim cum Epicurus, tum Stoici felicitatem, quae ex conscientia virtutis in vita oriatur, prae caeteris laudibus extulerunt, et Epicurus quidem in praeceptis practicis mentem non tam humilem ostendit, quam ex principiis theoriae, quibus ad explicandum, non vero ad agendum vsus est, colligi possit, aut, vti ea permulti, per vocabulum voluptatis, pro tranquillitate animi, decepti, interpretati sunt, sed seuerissimum honesti exercitium ad fruitionem intimi gaudii adnumerauit, quemadmodum frugalitatem cupiditatumque domationem, pro eo ac seuerissimus morum philosophus postulare possit in voluptate comprehendit (quam in animo posuit semper laeto); in quibus ab Stoicis potissimum in eo modo abhorruit, quod in ea voluptate momentum poneret, quod Stoici, idque iure suo, negarunt. Partim enim Epicurus virtutis studiosus, perinde atque hodie multi moraliter bene animati, quamquam de principiis suis haud satis profunde cogitantes viri, in eo peccauit, quod *mentem* honestam in personis iam sumeret, quibus stimulum virtutis atque elaterem vellet iniicere (ac sane quidem homo probus non poterit se sentire felicem, nisi ante sibi probitatis suae conscius sit; siquidem, in vnoquoque animi consilio, reprehensiones, quas in officiis migrandis per suam ipsius mentem sibi ipse obiicere cogeretur, suique ipsius condemnatio moralis, omni eum iucunditatis fruitione priuarent). Verum quaeritur: qua tandem re efficitur, vt primo esse possit ea mens, idque consilium, pretium exsistentiae statuendi; cum ante illam nondum vllus omnino sensus pretii moralis in subiecto deprehenderetur. Sane quidem, si virtutem colat, nisi in quaque actione probitatis suae sibi conscius sit, homo vita frui laetus haud poterit, quantumuis ei in

statu physico fortuna faueat; verum vt demum virtutis studiosus reddatur, proinde antequam pretium exsistentiae suae morale tanti aestimet, num ei tum poterit animi tranquillitas commendari, quae ex conscientia probitatis, qua non mouetur, exoriatur?

Partim vero hic solet fere fundamentum esse vitii subreptionis, quasique illusionis opticae in conscientia sui eorum, quae *agimus*, contraria iis, quae *sentimus*, quam exercitatissimus quisque haud prorsus poterit vitare. Consilium animi morale cum conscientia determinationis voluntatis *proxime per legem* est necessario coniunctum. Atqui conscientia determinationis cuiuspiam facultatis adpetendi semper est ratio oblectationis ex actione quae eo producitur percipiendae; verum ea oblectatio per se ipsa haud ratio est actionis determinandae, sed determinatio voluntatis proxime, solum per rationem est ratio tactus iucunditatis, illaque determinatio pura practica manet, non vero aesthetica, facultatis adpetendi. Cum autem haec determinatio interne eam ipsam stimuli effectionem exserat ad actionem, vt sensus iucunditatis, quae ex actione expetita exspectatur, fecisset, id, quod ipsi facimus, facile spectamus pro eo, quod solum perpetiendo persentiscimus, sumimusque elaterem moralem pro stimulo sensitiuo, vti sic semper solet fieri in illusione, quam vocant, sensuum (hic sensus interni). Sublime quiddam admodum in humana natura atque excelsum videtur, vt homo possit proxime per legem rationis puram ad agendum determinari, adeoque illusionem, subiectiuum huiusce determinabilitatis intellectualis voluntatis pro aesthetico quopiam effectoque tactus sensitiui cuiusdam peculiaris (nam intellectualis repugnaret) reputare. Iam vero magni momenti est, vt eam proprietatem personalitatis nostrae probe animaduertamus, effectionemque rationis in illo tactu, quantum fieri queat, excolamus. Sed quoque cauendum erit, ne per falsas laudes huiusce rationis determinantis moralis, vt elateris, cum ei sensus singularium laetitiarum, qua rationes (qui tamen modo consequentia sunt) supponuntur, proprium elaterem

genuinum, legem ipſam, inſtar laminae fucatae, minuamus ac deformemus. Quamobrem obſeruantia, non vero voluptas fruitione felicitatis, cernitur in eo, cuius nullus ſenſus rationi conſtitutus, *antecedens* (quippe qui ſemper aeſtheticus foret et pathologicus) eſſe poſſit, qua conſcientia voluntatis proxime per legem cogendae, vix quiddam analogon eſt ſenſus iucunditatis, propterea quod in relatione ad facultatem adpetendi ea idem ipſum, ſed ex aliis cauſis, agit; hac ſola repraeſentandi ratione autem, quae volumus, conſequi poterimus, nempe actiones non ſolum officio conuehienter (propter ſenſus iucundos), ſed per officium fieri, quod quidem verus finis ac genuinus eſſe debet cuiusque informationis moralis.

Nonne autem vocabulum indicauimus, quod haud fruitionem denotaret, quale verbum erat felicitatis, quod tamen oblectationem in exſiſtentia ſua deſignaret, analogi cuiuspiam felicitatis, quam conſcientia virtutis neceſſario, oportebit, comitetur? Ita ſane. Idque eſt *animus ſua conditione contentus* (αὐτάρκεια), quo proprie ſolum oblectatio in noſtra exſiſtentia notamus, in qua nulla nos re indigere nobis conſcii ſumus. Libertas et conſcientia illius, vt facultatis, ex praeponderante animi conſilio legi morali obſequendi, eſt *independentia ab inclinationibus*, certe qua momentis (etiamſi haud *adſicientibus*) tamen qua determinantibus adpetitionis noſtrae, et, quatenus illius in ſequendis regulis meis moralibus mihimet conſcius ſum, vnus fons tranquillitatis neceſſario cum ea coniunctae, in nullisque peculiaribus ſenſibus poſitae, atque immutabilis, eaque dici poterit intellectualis. Contra aeſthetica (improprie ſic dicta), quae in inclinationibus poſita eſt ſatiandis, quantum fieri poterit, ſubtiliter excogitatis, numquam ad ea, quae de eo cogitantur, quadrare poteſt. Inclinationes enim variantur ad viciſſitudinem, creſcuntque cum conniuentia, quam iis concedimus, et ſemper maius vacuum relinquunt, quam quod explere voluimus. Idcirco naturae rationique ſemper eae *moleſtiam* creant, ex quibus, etiamſi ſe nequeat expedire, tamen illi deſiderium extor-

quent, ab iis sese liberandi. Ipsa inclinatio ad id, quod officio conuenit (veluti ad beneficentiam) potest efficacitatem quidem regularum *moralium* admodum adleuare, nullam vero procreare. Namque omnia in hac ad repraesentationem legis, vt rationem determinantem oportebit, spectare, si actio non solum *legalitatem* debeat, verum etiam *moralitatem* continere. *Inclinatio* caeca est et seruilis, siue bona sit, siue non, ratioque in iis, in quibus spectatur moralitas, non modo illius tutorem agere debebit, sed, nullo eius habito respectu, vt ratio pura practica, id, quod sua interest, sola curare. Hic ipse misericordiae sensus communionisque mollioris, si deliberationem de eo, quid in officio sit, antecedat naturamque induat rationis determinantis hominibus ipsis naturae bonitate praeditis molestiam facessit, deliberatasque regulas eorum perturbat, et desiderium excitat, quo maxime ab iis sese vacuos cupiunt esse solique rationi legislatrici subiectos.

Ex quibus poterit intelligi: quomodo conscientia huiusce facultatis rationis purae practicae per factum (virtutem) possit conscientiam imperii in inclinationes animi, eaque proinde independentiae ab iis, ideoque et anxietatis, eas semper comitantis, et proinde oblectationem in statu suo negatiuam, id est, *animum contentum* gignere, qui proprie in persona sua adquiescit. Libertas ipsa tali modo (scilicet indirecte) capax redditur fruitionis, quae non potest felicitas dici, quoniam ea haud ex accessione pendet cuiuspiam tactus, neque, si adcurate loqui velis, *beatitas*, siquidem ea non totam ab inclinationibus necessitatibusque independentiam continet, quae ad hanc tamen similitudine accedit, quatenus saltem determinatio voluntatis liberam se potest ab earum contagione seruare, ideoque, quoad originem, sufficientiae suae similis atque analogica videtur, quae soli potest enti summo attribui.

Ex hac solutione antinomiae rationis purae practicae sequitur, in principiis practicis naturalem posse ac necessariam conscientiae moralitatis cum exspectatione felicitatis illi aequabilis coniunctionem, vt eius consequens, certe vt

poſſibilem cogitari (nec ſane vero propterea cognoſci ac perſpici): contra, fieri nullo modo poſſe, vt ex decretis felicitatis ambiendae moralitas naſcatur: proinde bono *ſupremo* (vt prima ſummi boni conditione) moralitatem, ſed felicitate alterum quidem illius elementum effici, ita tamen, vt haec tantummodo conſequens moralitatis moraliter hypotheticum ſit, ſed tamen neceſſarium. In hac ſubordinatione ſola *ſummum bonum* tota res eſt rationi purae practicae propoſita, quam ea ſibi neceſſario vt poſſibilem repraeſentare debet, quoniam ea praecipit, vt ad illud efficiendum, quantum in nobis ſit, adlaboremus. Quoniam vero poſſibilitas eiusmodi coniunctionis eius, quod ex conditione pendet, et, vnde pendet, conditionis ad rerum relationem ſupraſenſibilem pertinet atque ex legibus mundi ſenſibilis nullo modo poteſt dari atque proponi, quamquam conſequens practicum huiusce ideae, nimirum actiones, quae id agunt, vt ſummum bonum producatur, ad mundum ſenſibilem pertinent; rationes illius poſſibilitatis primum reſpectu eorum, quae proxime ſunt in poteſtate noſtra, et tum deinde in iis, quae ratio nobis, vt complementum infirmitatis noſtrae ad poſſibilitatem ſummi boni (ex principiis practicis neceſſario) ſuppeditat, nec penes nos ſunt, proponemus.

III.

DE PRIMATV RATIONIS PVRAE PRACTICAE CONIVNCTAE CVM CONTEMPLATIVA.

Primatum in duobus pluribusue rebus per rationem coniunctis principatum dico vnius, quo prima is ratio eſt coniunctionis cum omnibus reliquis determinandae. Senſu anguſtiori practico denotat principatum inuitamenti vnius, quatenus ei (quae nulli alii poteſt poſtponi) inuitamentum reliquorum ſubordinatum videtur. Vnicuique facultati animi *inuitamentum* poteſt attribui, hoc eſt, principium complectens conditionem, ſub qua ſola exercitium illius

promouetur. Ratio, quae facultas est principiorum, inuitamentum omnium animi facultatum, sed suum ipsa determinat. Inuitamentum vsus illius contemplatiui cernitur in *cognitione* rei obiectae vsque ad summum principium ex anticipatione; sed inuitamentum vsus practici in determinatione *voluntatis*, respectu finis vltimi et perfecti. Id, quod ad possibilitatem vsus rationis vniuerse pertinet, scilicet, ne principia adsertionesque sibi inuicem repugnent, nullam partem constituit inuitamenti illius, sed conditio est, qua vniuerse possit ratio haberi; tantummodo amplificatio, non sola secum conuenientia, ad inuitamentum illius numeratur.

Cum ratio practica nihil amplius sumere debeat vtque datum cogitare, quam quod ratio *contemplatiua* per se poterat ei ex intellectu suo suppeditare, tum haec primatum obtinet. Quodsi ea autem per se principia originaria ex anticipatione haberet, quibuscum certae quaedam positiones theoreticae arctissime forent coniunctae, quae tamen sese omni perspicientiae rationis contemplatiuae subtraherent, (quamuis ei quidem nec deberent repugnare,) exorietur quaestio, quodnam inuitamentum superius videatur, (non quod cedere debeat, siquidem alterum alteri haud necessario repugnat;) vtrum ratio contemplatiua, eorum omnium ignara, quae practica ipsi accipienda ministrat, ea pronunciata recipere debeat, et quamuis ipsi transscendentia sint, cum conceptibus eorum, vt possessionem alienam atque ad sese translatam, coniungere, an iure polleat, inuitamenti proprii sui separati obstinate retinendi, et, secundum Epicuri canonicam, vniuersa vt inanem argutationem reiiciendi, quae realitatis suae obiectiuae haud exemplis possint perspicuis in experientiaque proponendis fidem facere, vt maxime ea sint cum inuitamento vsus (puri) practici contexta, per se quoque theoreticae haud repugnaret, solum propterea, quod reapse inuitamento rationis contemplatiuae deroget, quatenus, quos haec sibi ipsa posuit, terminos tollat, eamque omni insaniae errorique phantasiae exponat.

Profecto, quatenus ratio practica vt pathologice conditionibus adſtricta, id eſt, inuitamento inclinationum ſub ſenſitiuo felicitatis principio ſolum fungens, conſtitueretur, hoc non poſſet vllo modo ab ratione contemplatiua poſtulari. Paradiſus *Muhammedis*, aut *theoſophorum myſticorumque* liqueſcens cum deo coniunctio, prout ſuus cuiusque ſenſus fert, portenta ſua rationi obtruderent, et perinde foret nullam omnino habere, quam ſic vniuerſis ſomniis eam exponere. Verum ſi ratio pura per ſe eſſe practica poſſit ac reapſe ſit, vti conſcientia legis moralis teſtatur, tamen ſemper tantummodo vna eademque ratio eſt, quae, ſiue reſpectu theoretico id fiat, ſiue practico, ex principiis ex anticipatione iudicat, tumque manifeſtum eſt, etſi facultas ipſius reſpectu theoretico haud ſuppetat ad certas enunciationes adſerendo ſtatuendas, quae illi fere haud repugnent, has easdem enunciationes, ſimulatque *ad inuitamentum practicum neceſſario* pertineant rationis purae, vt alienum quiddam ſibi oblatum, quod non in ſuo territorio natum ſit, ſed ſatis tamen probatum, ſumere, easque cum vniuerſis, quae penes ſe, vt rationem contemplatiuam, videntur, comparare et coniungere debere; memorem tamen, haud intellectus ſuos, ſed tamen dilatationes vſus ſui vllo quopiam alio reſpectu, videlicet practico, inuitamento ſuo, quod in coercenda peruicacitate contemplatiua verſatur, contrarios eſſe.

Quamobrem ratio pura practica cum pura contemplatiua coniuncta *primatum* obtinet, ſumto ſcilicet hoc, eam coniunctionem haud fere *fortuitam* atque arbitrariam, ſed ex anticipatione in ipſa ratione conſtitutam, proinde *neceſſariam* videri. Etenim ſine hac ſubordinatione pugna rationis cum ſe ipſius exſiſteret; quoniam, ſi ſibi inuicem ſolum coordinatae forent, ratio pura contemplatiua terminos arctius clauderet nihilque de practica in ditionem ſuam reciperet, haec vero terminos ſuos nihilominus ſuper omnia dilataret, atque, vbi neceſſitas poſtularet, illam intra ſuos coerceret. Sed a ratione pura practica nullo modo poſtulari poterit, vt contemplatiuae ſe rationi ſubiiciat, atque

ita ordo conuertatur, propterea quod omne inuitamentum postremo practicum videtur, ipsumque rationis contemplatiuae inuitamentum hypotheticum modo est in vsuque practico solum plenum atque absolutum.

IV.

IMMORTALITAS ANIMAE, VT POSTVLATVM RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

Effectio summi boni in mundo res est necessario subiecta voluntati per legem moralem determinabili. In hac autem *conuenientia* consiliorum cum lege morali *perfecta* suprema est summi boni conditio. Quae quidem proinde pariter vt esse possit, necesse est, atque res sibi subiecta atque obnoxia, eo quod ea praecepto continetur huius promouendi. Sed perfecta voluntatis cum lege morali convenientia *sanctitas* est, cuius quidem laudis nulla natura ratioque mundi sensibilis, in nulla periodo exsistentiae suae, capax videtur. Interim cum ea nihilominus vt practice necessaria postuletur, non potest ea, nisi in *progressu* in *infinitum* tendente ad perfectam conuenientiam deprehendi, et, ex principiis rationis purae practicae, necessarium videtur, vt eiusmodi progressus practicus qua res realis voluntati nostrae proposita sumatur.

Sed progressus is infinitus fieri poterit tantummodo sumta *exsistentia* et personalitate eiusdem naturae rationisque in *infinitum* perdurante (quam immortalitatem animae adpellant). Ergo esse potest summum bonum practice, solum sumta animae immortalitate; proinde haec, vt arctissime coniuncta cum lege morali, *postulatum* est rationis purae practicae (sed postulatum dico enunciationem *theoreticam*, qua talem vero haud euincendam, quatenus legi cuidam *practicae* ex anticipatione absolute valenti necessario adhaeret).

Pronunciatum de destinatione naturae nostrae morali, quod ponit, nos solum in progressu posse in infinitum

tendente ad perfectam cum lege morali conuenientiam pertinere, maximam vtilitatem habet, non solum respectu infirmitatis rationis contemplatiuae in praesens perficiendae, verum quoque ratione religionis. Sine quo quidem aut dignitati legis moralis de *sanctitate* detrahitur, propterea quod ea, vt indulgens, atque ita commoditati nostrae conveniens, corrumpitur, aut etiam munus nostrum simulque exspectatio destinationis inaccessae, nempe speratae plenioris sanctitatis voluntati comparandae, contenditur, et nosmet in delirantia, cognitioni nostri ipsius prorsus repugnantia somnia *theosophica* praecipitamus, quibus conatus indefessus ad praeceptum rationale diligenter ac seuere perpetuoque seruandum, nec vero ideale, sed verum, impeditur. Ab natura rationali; sed finita, solum fieri progressus potest in infinitum, ab inferioribus ad gradus perfectionis moralis altiores. *Infinitus*, cui temporis conditio nulla est, videt, in hac serie nobis infinita, totum conuenientiae cum lege morali, et sanctitas, quam eius praeceptum necessario postulat, vt se iustitiae in parte cuique de summo bono distribuenda conformem ostendat, in vna visione intellectuali exsistentiae naturarum rationalium tota deprehenditur. Quod naturae creatae soli respectu sperandae partis huiusce competere poterit, conscientia erit consiliorum exploratorum, vt, quem adhuc secerit, ex progressu suo priori ad moraliter melius eoque sibi cognitum propositum constans haud interuptae vlterioris continuationis eius, quoad vsque exsistentia sua pertineat, vel vltra hanc ipsam vitam sperandae *), atque ita, numquam

*) *Persuasio firma* de constantia consiliorum suorum in progressu ad bonum, nihilominus rei creatae per se impossibilis videtur. Idcirco doctrina religionis christianae eam facit ab eodem spiritu, qui sanctimoniam efficit, id est, firmum istud et constans propositum, cum eoque conscientiam constantiae in progressu morali, solum oriundam. Sed etiam ex ordine naturae, is, qui sibi conscius est, se multam vitae partem vsque ad eius finem in progressu ad meliora, et quidem rationibus ductum genuinis moralibus, egisse, tamen laetam spem capere poterit, quamuis haud certo, fore, vt quoque in exsistentia vltra hanc vitam continuata, in iisdem principiis maneat, et quam-

quidem hic, aut vllo quopiam futuro exſiſtentiae tempore, ſed modo infinitate (ſoli deo perluſtranda), exſiſtentiae ſuae continuatae voluntati illius (ſine conniuentia aut remiſſione, quae cum iuſtitia haud conſpirant) prorſus reſpondere poteſt.

V.

EXSISTENTIA DEI VT POSTVLATVM RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

Legem moralem, in antegreſſa analyſi vidimus, ad quaeſtionem practicam ducere, quae, nullis omnino elateribus ſenſitiuis accedentibus, ſolum per rationem puram praecipitur, nempe ad perfectionem neceſſariam primae praecipuaeque partis ſummi boni, ad *moralitatem*, et, cum haec ſolum in aeternitate tota queat ſolui, ad poſtulatum *immortalitatis*. Eadem lex etiam ad poſſibilitatem alterius elementi ſummi boni, nempe *felicitatis* moralitati illi conſentaneae, pariter ſine omni ſtudio vtilitatis propriae, atque antea, ex ratione ſola ab omni ſtudio aliena, nimirum ad ſumendam cauſam cauſae huic effecto ideoneae ducat, neceſſe eſt, id eſt, *exſiſtentiam dei*, vt ad poſſibilitatem ſummi boni (quae res voluntati noſtrae ſubiecta cum legislatione morali rationis purae neceſſario coniuncta eſt) neceſſario pertinentem, poſtulet. Quem quidem nexum euidenter proponemus.

Felicitas cernitur in ſtatu naturae rationisque in mundo, cui, omnino quoad exſiſtentiam, *omnia ex animi ſen-*

quam ex ſua ipſius ſententia hic numquam iuſtus ſit, nec vmquam ſe fore ſperari licet, tamen in hoc progreſſu, qui, cuius metam ſpectat in infinitum propoſitam, nihilominus coram deo pro poſſeſſione valet, proſpectum in futurum tempus *beatum* habeat; hoc enim verbum eſt, quo ratio vtitur, vt *ſalutem* ea plenam ab vniuerſis cauſis mundi fortuitis liberam deſignet, quae perinde ac *ſanctitas* in idea verſatur, quae ſolum in progreſſu infinito eiusque vniuerſitate eſſe complexa poteſt, proinde ab natura creata numquam prorſus attingitur.

tentia eueniunt, ideoque in concentu naturae cum vniuerso fine eius scopoque, itemque cum ratione voluntatis determinante essentiali posita videtur. Atque lex moralis, vt lex libertatis, per rationes determinantes, quae ab natura eiusque cum facultate adpetendi (vt elateribus) prorsus esse liberae debent, imperat, nec vero natura ratioque agens in mundo, simul causa mundi est ipsiusque naturae. Ergo in lege morali ne minima quidem ratio inest nexus necessarii inter moralitatem felicitatisque illi aequabilis voluntatis ad mundum vt pars pertinentis, ideoque ex eo pendentis naturae, quae ob eam ipsam causam per voluntatem suam non esse causa huiusce naturae, eumque, quantum ad suam felicitatem attinet, cum principiis suis practicis vi propria haud omnino potest consentaneum reddere. Nihilominus in quaestione practica rationis purae, hoc est, necessario ad summum bonum conatu, eiusmodi nexus vt necessarius postulatur: *debemus* summo bono (quod proinde etiam fieri posse, necesse est) promouendo operam dare Ergo etiam exsistentia causae vniuersae naturae ab natura diuersae, quae rationem huiusce nexus, quippe summi felicitatis cum moralitate concentus, contineat, *postulatur*. Verum haec causa suprema rationem conuenientiae naturae non solum cum lege voluntatis naturarum rationalium, verum cum repraesentatione huius *legis*, quatenus hanc ea sibi pro *summa voluntatis determinandae ratione* statuit, proinde non modo cum moribus quoad formam, sed etiam quoad moralitatem vt momentum earum, id est, cum consilio illorum morali debet continere. Ergo summum bonum tantummodo esse poterit, quatenus natura suprema, quae causalitatem habeat cum consilio morali congruam, sumatur. Atqui natura, actionum capax ex repraesentatione legum, *intelligentia* est (natura ratioque) atque eiusmodi naturae causalitas ex hac legis repraesentatione est *voluntas* illius. Ergo causa naturae suprema, quatenus ad summum bonum sumenda videtur, natura est, quae per *intelligentiam* ac voluntatem causa est (proinde auctor) naturae rerum, hoc est, *deus*. Ergo postulatum possibilitatis *summi boni deriuati* (mundi optimi) simul postulatum erit

exſiſtentiae *ſummi boni originarii*, nimirum exſiſtentiae dei. Atqui nobis in officio eſt, vt ſummum bonum promoueamus, proinde non modo licet, verum etiam per neceſſitatem, qua indigemus, cum officio coniunctam cogimur, vt poſſibilitatem huiusce ſummi boni ſumamus, quod, cum ſolum locum habeat ſub conditione exſiſtentiae dei, ſumtionem illius cum officio arctiſſime coniungit, id eſt, exſiſtentia dei moraliter neceſſario ſumenda videtur.

Hoc loco autem probe notandum eſt, neceſſitatem eam moralem *ſubiectiuam* eſſe, id eſt, indigentiam, non vero *obiectiuam*, hoc eſt, in ipſo officio videri; namque nullum omnino poteſt officium eſſe, exſiſtentiae cuiuspiam rei ſumendae (quoniam id ſolum vſum rationis theoreticum attingit). Iam vero eo intelligi nolumus, ſumtionem exſiſtentiae dei, *vt rationis cauſaeque omnis omnino obligationis*, neceſſariam eſſe (haec enim, vti ſatis euicimus, tantummodo poſita eſt in autonomia rationis ipſius). Hic ad officium ſolum pertinet conatus ſummi boni et producendi in mundo et promouendi, cuius proinde poteſt poſſibilitas poſtulari, quam vero ratio noſtra haud videt cogitari poſſe, niſi poſita intelligentia ſumma, cuius proinde exſiſtentiae ſumtio coniuncta eſt cum conſcientia officii noſtri, quamuis ea ſumtio ipſa rationi theoreticae propria ſit, cuius reſpectu ea ſolum vt ratio explicandi ſpectata, *hypotheſis*, ſed reſpectu rei, quae intelligi poſſet, obiectae nobis tamen per legem moralem propoſitae, (ſummi boni) proinde cuiuspiam indigentiae reſpectu practico, *fides* poterit, eaque pura *fides rationalis* adpellari, quoniam ſolum ratio pura (quoad vſum tum theoreticum tum practicum) fons eſt, vnde ea promanat.

Ex hac *deductione* nunc poterit comprehendi, cur *ſcholae Graecae* numquam potuerint adſequi ſolutionem problematis de poſſibilitate practica ſummi boni; ſiquidem tantummodo ſemper regulam vſus, quem voluntas humana ſeruat libertatis ſuae, pro vna per ſe ſolam idonea eius ratione ſtatuerunt, ita vt, ad id ſe exſiſtentia dei haud

opus habere putarent. Neque in eo quidem peccarunt, quod principium morum libere ab hoc postulato, per se ipsum constituerent ex adfectione rationis solum ad voluntatem, illudque proinde *summam* facerent conditionem practicam summi boni; nec vero illud propterea fuit *tota* conditio possibilitatis illius. *Epicurei* falsum quidem morum principium statuerunt supremum, nempe principium felicitatis, regulamque optionis arbitrariae, ad suam cuiusque inclinationem, pro lege supposuerunt: verum in eo tamen satis *sibi constitere*, quod summum bonum suum, nempe humilitati decreti sui aequabiliter, deminuerent, nullamque felicitatem maiorem, quam quae per prudentiam humanam (quo etiam abstinentia pertinet et temperantia inclinationum) comparari posset, exspectarent, quam satis tenuem nouimus et pro re nata admodum variam, necesse est, videri; vt taceam exceptiones, quas regulae eorum perpetuo concedere deberent, quibusque eae ad leges ineptae redderentur. Contra ea *Stoici* principium suum practicum summum, virtutem nimirum, vt summi boni conditionem rite elegerunt, sed quoniam gradum eius, purae legi virtutis necessarium, vt in hac vita prorsus inaccessum perhibebant, non solum facultatem *hominis* moralem, sub nomine *sapientis*, supra omnes naturae eius carceres intenderunt, et quidpiam, quod vniuersae hominum notitiae repugnat, sumserunt, verum etiam praesertim alterum summi boni *elementum*, scilicet felicitatem nullo modo rem esse subiectam facultati adpetendi humanae agnouerunt, sed *sapientem* suum, instar dei cuiusdam, ab natnra (respectu animi contenti) prorsus liberarunt, propterea quod eum aduersitatibus vitae quidem exponerent, non vero subiicerent (simul quoque vt a malo liberum proponerent) atque ita reapse alterum summi boni elementum, propriam felicitatem, praetermitterent, siquidem illud solum in agendo ponerent atque in adquiescendo in pretio personali, ideoque in conscientia consilii moralis includerent, in quo quidem per vocem suae ipsius naturae satis potuissent refelli.

Doctrina christianismi *), etiamsi non vt doctrina religiosa spectetur, in hac parte summi boni (regni dei) conceptum ministrat, qui solus seuerissimo rationis practicae praecepto faciat satis. Lex moralis sancta est (haud

*) Plerumque praeceptio christiana morum respectu puritatis morali Stoicorum conceptui haud putatur praestare; verum discrimen vtriusque valde manifestum videtur. Systema Stoicum conscientiam animi robusti fecit cardinem, in quo vniuersa consilia moralia verterentur, et, quamuis sectatores illius de officiis loquerentur, eaque et bene determinarent, tamen elaterem propriamque voluntatis determinandae rationem in eleuatione animi supra humiles et solum per imbecillitatem animi potentes sensuum elateres. Igitur virtus ex eorum sententia cernitur in heroismo quodam *sapientis* supra animalem hominis naturam se extollentis, sibi ipsi sufficientis, qui aliis quidem officia proponit, sibi ipse super ea elatus, nullique legis moralis violationi obnoxius videtur. Quae cuncta vero non poterant facere, si eam legem sibi in puritate illa ac seueritate, qua praeceptio euangelii proponit, sibi repraesentassent. Quodsi *ideam* perfectionem dicam, cui nihil quidquam possit consentaneum in experientia dari atque proponi, haud ideo morales ideae quidpiam erunt transscendens, id est, eiusmodi, cuius ne conceptum quidem possimus idonee determinare, aut cui, incertum sit, an omnino res obiecta respondeat, velut ideae rationis contemplantis, sed, vt prototypa perfectionis practicae, pro norma sit necessaria vitae moralis, simulque pro *mensura comparationis.* Si igitur *doctrinam morum christianam* a parte philosophica considerem, ea, cum ideis scholarum Graecarum comparata, sic se ostendet: *Cynicorum*, *Epicureorum*, *Stoicorum* et *Christianorum* ideae sunt: *simplicitas naturae*, *prudentia*, *sapientia* et *sanctitas.* Respectu viae, qua ad eam peruenianius, philosophi Graeci sic sese ab se inuicem distinxere, vt *Cynicis* intelligentia communis, aliis solum *via scientiae*, vtrisque proinde solus tamen *vsus virium naturalium* ad id sufficere videretur. Doctrina morum Christiana, quoniam praecepta sua (vti et esse debet) tam pura instituit, quaeque nullam veniam concedunt, fiduciam homini demit, certe hac in vita, ei prorsus conuenienter agendi, eam tamen rursus eo erigit, vt, si, quantum *vires* permiserint, bene egerimus, sperare possimus, fore, vt, quod haud in nostris viribus sit, alias nobis concedatur, quomodo, sciamus nec ne. *Aristoteles* et *Plato* differebant tantummodo respectu *originis* conceptuum nostrorum moralium.

conniuet) morumque sanctitatem postulat, quamquam vniversa moralis perfectio, ad quam homo poterit adspirare, semper modo in virtute versatur, hoc est, in animi consilio legi conueniente propter legis *obseruantiam*, proinde in conscientia inclinationis continuae ad peccatum, certe impuritatis, id est, multorum spuriorum (haud moralium) momentorum seruandae legis admixtorum, proinde obseruantiam ipsius suae cum modestia coniunctam, ideoque respectu sanctitatis, quam lex christiana postulat, nihil nisi progressum in infinitum naturae creatae reliqui facit, ob eam ipsam causam vero copiam illi potestatemque facit perdurationis sperandae in infinitum progredientis. *Pretium* consilii legi morali aequabile *prorsus* atque conueniens infinitum est; eo quod vniuersa, quae esse possit, felicitas, ex sententia distributoris illius sapientis et omnipotentis, nulla re alia circumscribitur, quam defectu conuenientiae naturarum rationalium cum officio. Verum lex moralis per se nullam felicitatem *pollicetur;* quippe quae ex conceptibus ordinis physici in vniuersum haud necessario est cum obseruatione legis illius coniuncta. Sed doctrina morum christiana hunc defectum supplet (alterius elementi ad summum bonum necessarii) proposito mundo, in quo naturae ratione praeditae legi se morali toto animo consecrant, velut *regni dei*, in quo natura moresque in concentum, vtrique per se ipsi alienum, ponuntur per auctorem sanctum, quo efficitur, vt esse queat summum bonum deriuatum. *Sanctitas* morum iis iam hac in vita pro norma statuitur, salus autem huic aequabilis et consentanea, *beatitas*, quae duntaxat in aeternitate attingi possit, ostenditur; propterea quod *sanctitas* semper debet prototypon vitae eorum in quouis statu esse, ad eamque progressus iam hac in vita et fieri potest, et necessario erit, sed *beatitas* in hoc mundo, felicitas dicta, numquam potest obtineri (quantum in nobis erit) ideoque solum res subiecta spei efficitur. Nihilominus ipsum *doctrinae moralis* principium christianum neutiquam theologicum (nec proinde heteronomia) est, sed autonomia rationis purae practicae per se ipsius, siquidem ea cognitionem dei eiusque volun-

tatis non pro fundamento constituit harum legum, sed modo summi boni adsequendi, cum adiunctione legum earum seruandarum, ipsumque *elaterem* proprium ad eas tenendas haud in desideratis illarum consequentibus ponit, verum in sola officii repraesentatione, in quo quippe diligenter faciendo solum reddi dignus poteris beatitate potiunda.

Ita fit, vt lex moralis per summi boni conceptum, vt rei obiectae finisque rationi purae practicae propositi, ducat ad *religionem*, hoc est, ad *cognitionem officiorum omnium vt praeceptorum diuinorum, non vero vt sanctionum*, id est, vt *praeceptorum arbitrariorum, per se ipsorum fortuitorum, voluntatis alienae*, sed vt *legum* essentialium cuiusque voluntatis liberae per se ipsius, quae tamen considerandae sint vt praecepta naturae summae, quoniam tantummodo a voluntate moraliter perfecta, (sancta et benigna) simulque etiam omnipotente, summum bonum, quod conatui nostro proponendum lex nobis moralis praecipit, et proinde per concentum cum hac voluntate possumus sperare. Atque hic quoque vniuersa sunt a studio nostri commodi remota in soloque officio constituta; ita vt nec metus debeat nec spes vt elateres constitui, qui natura principiorum induti, vniuersum actionum pretium morale peruertunt. Lex moralis imperat, vt, quantum esse possit, summum bonum in mundo vt vltimam rem obiectam vniuersae vitae statuam. Quod vero non possum sperare effici, nisi per conuenientiam voluntatis meae cum voluntate auctoris mundi sancti atque benigni, et, quamquam in conceptu summi boni, vt conceptu cuiuspiam totius, in quo summa felicitas cum summo perfectionis moralis (in creatis rebus possibilis) modo, vt in summa aequabilitate ac proportione coniuncta repraesentatur, *mei ipsius felicitas* simul continetur: tamen haud ea, sed lex moralis (quae potius interminatum illius desiderium in me seuere ad conditiones adstringit atque coercet) ratio est voluntatis determinandae, quae ad promouendum summum bonum proponitur.

Idcirco quoque doctrina morum haud proprie doctrina est, quae nobis ostendat, quomodo nosmet *reddere* felices possimus, sed qua ratione *digni* felicitate euadamus. Tum solum, cum religio accesserit, etiam spes accedit, nos aliquando felicitatis participes fore, pro eo atque curaverimus, ne illa indigna videremur.

Dignus quispiam possessione rei cuiuspiam aut status dicitur, cum, vt in ea possessione sit, cum summo bono congruere videtur. Iam facile poterit intelligi, omnem dignitatem e vita morali pendere, siquidem ea in conceptu summi boni conditio reliquorum (quae ad statum pertinent) nempe partis efficitur felicitatis. Atqui ex his cogitur: doctrinam moralem per se numquam debere vt *felicitatis doctrinam* tractari, hoc est, vt institutionem felicitatis potiundae; ea enim solum in conditione sine qua non felicitatis occupatur, non vero in adiumento illius comparandae. Cum ea vero (quae solum officia praecipit, non desideriis propriam vtilitatem spectantibus normas ministrat) plene fuerit proposita ac pertractata: tum demum, posteaquam, quod in lege quadam innititur, desiderium morale summi boni promouendi (regni diuini ad nos arcessendi), quod ante in nullo poterat animo propriam vtilitatem spectante oriri, excitatum est, in eiusque gratiam facta ad religionem processio, haec morum doctrina etiam poterit doctrina felicitatis vocari, quoniam *spes* eius obtinendae cum religione demum duntaxat incipit.

Ex quo porro quoque poterit perspici: si *vltimum dei finem* in creando mundo quaeras, non *felicitatem* naturarum rationalium in eo debere, sed *summum bonum* dici, quod ad desiderium earum naturarum praeterea conditionem addat, quippe eam, qua digni fiamus felicitate, hoc est, *moralitatem* earumdem naturarum rationalium, quae sola in se mensuram continet modumque, quo solo possint, per potentiam *sapientis* auctoris, fieri participes felicitatis, sperari. Etenim, cum *sapientia*, theoretice spectata *cognitio summi boni* sit, et practice considerata, *conuenientiam* denotet *voluntatis cum summo bono*, sapientiae summae in

ſeſe conſiſtenti non poterit finis attribui, in ſola *benignitate* conſtitutus. Namque huius effectum (reſpectu felicitatis naturarum rationalium) ſolum ſub conditionibus circumſcribentibus poterit conuenientiae cum *ſanctitate* *) voluntatis eius, vt ſummo bono originario congruum, cogitari. Quapropter ii, qui finem creationis in honore dei (poſito, hunc non anthropomorphiſtice, vt inclinationem ad laudem et celebrationem, cogitari) poſuerunt, ſine dubio in optimum vocabulum inciderunt. Nulla enim re magis deus honoratur, quam, quae omnium omnino rerum obſeruantia digniſſima eſt, obſeruantia erga iuſſum illius, obſeruatione ſancti officii, per legem eius nobis iniuncti, ſi praeclarum eius inſtitutum acceſſerit, eiusmodi pulcrum ordinem felicitate aequabili et conſentanea coronandi. Quodſi hoc poſteriori (vt humano more loquar,) amore is dignus reddatur, ſuperiori illo erit res adorationi propoſita. Ipſi homines amorem quidem ſibi beneficiis poſſunt, ſed eis ſolis numquam obſeruantiam comparare, ita vt maxima benignitas iis eo ſolum honori cedat, quod pro dignitate ea collocetur.

Iam vero ſponte conſequitur, in ordine finium, hominem (cum eoque quamque naturam rationemque) *finem per ſe ipſum* eſſe, hoc eſt, numquam ſolum vt adiumentum a quopiam (ne vel ab ipſo deo) niſi vt in eo ſimul finis ſit, vſur-

*) In quo quidem atque vt peculiarem eorum conceptuum naturam diſtinguam, adhuc animaduerto: cum deo variae proprietates tribuantur, quarum qualitatem etiam rebus creatis conſentaneam videmus, ita tamen, vt in deo ad ſummum vsque gradum tollantur, veluti potentiam, ſcientiam, praeſentiam, benignitatem et ſimiles, quas omnipotentiam, omniſcientiam, omnipraeſentiam, ſummamque benignitatem vocamus, tamen eſſe tres, quae praecipue, nec vlla tamen quantitatis ratione adiecta, deo attribuuntur, quaeque vniuerſae morales ſunt. Deus eſt *ſolus ſanctus*, *ſolus beatus*, *ſolus ſapiens*; quoniam iam conceptus in ſe cohibent vacuitatem a carceribus. Ergo ad ordinem earum deus quoque *legislator ſanctus* eſt (et creator) *moderator benignus* (conſeruatorque) et *iuſtus iudex*. Quibus tribus proprietatibus continentur cuncta, quibus efficitur, vt deus res ſit religioni ſubiecta, quibusque conuenienter perfectiones metaphyſicae ſponte ſeſe in ratione adiungunt.

pari posse, proinde *naturam humanam* in persona nostra ipsa nobis esse *sanctam* oportere, quoniam homo *subiectum est legis moralis*, proinde eius, quod in se sanctum est, cuius causa, cuique conuenienter etiam vel quidquam vniverse potest sanctum adpellari. Haec enim lex moralis constituta est in autonomia voluntatis illius, vt voluntatis liberae, quae ex legibus suis vniuersalibus necessario, oportebit, cum eo simul possit *conuenire*, cui sese debeat *subiicere*.

VI.
SVPER POSTVLATIS RATIONIS PVRAE PRACTICAE IN VNIVERSVM.

Haec cuncta ex decreto moralitatis proficiscuntur, quod nullum postulatum, sed lex est, qua proxime ratio voluntatem determinat, quae quidem voluntas eo ipso, quod ita determinata est, vt voluntas pura, conditionem postulat necessariam praeceptionis illius obseruandae. Quae postulata quidem haud sunt dogmata theoretica, sed *sumtiones* respectu necessario practico, proinde ea quidem cognitionem contemplatiuam amplificant, sed ideis rationis contemplatiuae *in vniuersalibus* (per adfectionem earum ad practicum) realitatem obiectiuam impertiunt, iisque copiam faciunt conceptuum, quorum alias ne possibilitatem quidem sibi posset sumere adferendam.

Atque postulata illa *immortalitatis* sunt, et *libertatis*, positiue spectatae (vt caussalitatis naturae, quatenus ad mundum intelligibilem pertinet,) *deique exsistentiae*. Postulatum *immortalitatis* ex conditione promanat practice necessaria conuenientiae durationis cum plena legis moralis obseruatione; postulatum *libertatis* sumtione necessaria independentia a mundo sensibili oritur facultatisque determinandi voluntatem, secundum legem mundi intelligibilis, hoc est, libertatis; postulatum *exsistentiae dei* ex necessitate fluit conditionis mundi eiusmodi intelligibilis, vt summum bonum sit, sumtione summi boni in sese consistentis, id est, exsistentiae dei.

Quamobrem respectus summi boni per obseruantiam erga legem moralem necessarius atque exinde promanans sumtio realitatis illius obiectiuae, per postulata rationis practicae ad conceptus ducit, quos ratio contemplatiua vt quaestiones quidem proponere poterat, nec eas vero solvere. Ergo 1) ad eam, in qua soluenda ratio nil, nisi *paralogismos* poterat committere, (nempe immortalitatis,) quoniam ei notae deerant constantiae, vt conceptus subiecti vltimi psychologicus, qui animae in conscientia sui ipsius necessario attribuitur, ad repraesentationem realem substantiae supplendam, quod ratio practica, per postulatum, efficit, durationis conuenientiae cum lege morali in summo bono, vt integro totoque rationis practicae fine, necessariae. Deinde 2) ducit is ad illud, de quo ratio contemplatiua nihil complectebatur, praeter *antinomiam*, cuius solutionem ea solum in conceptu problematice quidem cogitabili, sed quoad realitatem eius obiectiuam haud euincendo nec determinabili constituere poterat, nimirum ad ideam *cosmologicam* mundi intelligibilis conscientiamque nostrae in illo exsistentiae, per postulatum libertatis, (cuius realitatem per legem moralem ostendit, cum eaque simul legem mundi intelligibilis, quem contemplatiua ratio tantummodo indicare poterat, nec vero conceptum eius determinare.) 3) ei, quem ratio contemplatiua cogitare quidem debebat, neque tamen, vt merum *ideale* transscendentale indeterminatum relinquere cogebatur, conceptui entis originarii *theologico* vim virtutemque impertit, (respectu practico, hoc est, vt conditioni possibilitatis obiectae rei voluntatis per legem determinatae,) vt supremo principio summi boni in mundo intelligibili per legislationem moralem in eo potestate pollentem.

Num autem cognitio nostra hoc modo per rationem puram practicam vere amplificatur, et estne id, quod rationi contemplatiuae *transscendens* fuit, practicae *immanens?* Ita sane, sed *solum respectu practico.* Namque eo quidem neque animae nostrae naturam cognoscimus, neque mundum intelligibilem, nec naturam summam, ita vti ea

per se ipsa sunt, sed conceptus solum de iis coniunximus in *summi boni* conceptu, vt rei voluntati nostrae propositae, pleneque ex anticipatione, per rationem puram, sed tantummodo interuentu legis moralis, etiamque solum ex adfectione ad eam, respectu rei, quam ea imperat. Sed quomodo vel esse libertas queat, et quomodo hoc caussalitatis genus theoretice et positiue cogitari debeat, eo non perspicitur, sed solum, talem esse, per legem moralem in eiusque gratiam postulatur. Sic quoque cum reliquis ideis comparatum videtur, quas quoad possibilitatem nulla vmquam humana intelligentia inuestigando aperiet, verum etiam, eas haud in veris conceptibus versari, nulla persuasionis sophismata, vel hominis ex infima plebe vmquam nobis eripient.

VII.

QVOMODO AMPLIFICATIO RATIONIS PVRAE RESPECTV PRACTICO, ITA VT EO ILLIVS COGNITIO, QVA CONTEMPLATIVAE SIMVL AMPLIFICETVR, FIERI POSSIT, VT COGITETVR.

Ad quam quidem quaestionem, vt ne nimium subtiles euadamus, statim ad caussam praesentem respectu habito respondebimus. Vt cognitio pura quaedam *practice* amplificetur, *finis* quidam sit scopusque ex anticipatione datus atque propositus, hoc est, finis, vt res obiecta (voluntatis), quae, libera ab vniuersis principiis theologicis per imperatiuum voluntatem proxime determinans (categoricum), vt practice necessaria repraesentetur, idque hoc loco *summum bonum* videtur. Hoc vero esse non potest, nisi tres conceptus theoretici sumantur (quibus, quoniam meri sunt conceptus puri rationales, nulla potest visio consentanea, proinde, in via theoretica, nulla realitas obiectiua inueniri): nempe libertas, immortalitas, deusque. Quocirca per legem practicam, quae exsistentiam summi boni imperat in mundo possibilis, possibilitas rerum illarum rationi purae contemplatiuae obnoxiarum, obiectiua realitas, quam iis

haec non poterat cauere, postulatur; quo cognitio rationis purae theoretica sane incrementum accipit, quod vero solum eo continetur, quod conceptus illi alias problematici (solum cogitabiles), nunc adsertorie declarantur tales, quibus reapse res obiectae competant, quoniam ratio practica necessario opus habet exsistentia illarum ad possibilitatem rei suae obiectae, et quidem practice simpliciter necessariae, summi boni, eoque theoreticae potestas fit illius sumendae. Haec amplificatio rationis theoreticae autem non cernitur in amplificanda contemplatione, id est, vt *respectu theoretico* nunc vsus positiuus fiat. Etenim cum nihil quidpiam amplius in eo per rationem practicam effectum est, quam, vt conceptus illi reales videantur, vereque res (possibiles) habeant sibi subiectas, praeterea vero nihil quidquam visionis illarum nobis detur (quod etiam haud poterit postulari,) nulla esse potest enunciatio synthetica per hanc realitatem earum concessam. Ergo haec patefactio nobis respectu contemplatiuo ne minimum quidem proderit, sed sane vero respectu vsus practici rationis purae, ad hanc cognitionem nostram amplificandam. Tres illae superiores ideae rationis contemplatiuae per se nondum cognitiones sunt; tamen *cogitationes* (transscendentes) sunt, in quibus, quod esse nequeant, non potest ostendi. Iam illae per legem apodicticam practicam, vt conditiones necessariae possibilitatis eorum, quae ea lex sibi *proponenda* imperat, realitatem accipiunt obiectiuam, hoc est, nos lege illa edocemur, *iis res subiectas esse*, ita tamen, vt, quomodo earum conceptus ad rem obiectam referatur, non possint declarare, idque etiam nondum cognitio est *rerum earum obiectarum;* eo enim omnino nihil poteris de iis synthetice iudicare, neque vsum earum theoretice determinare, proinde nullum earum vsum rationis theoreticum facere, quippe in quo proprie vniuersa eorum cognitio contemplatiua consistit. Verum tamen cognitionem theoreticam, *non harum rerum obiectarum quidem*, sed rationis omnino, eo vidimus amplificatam, quatenus per postulata practica illis ideis *obiectae res* darentur, propterea quod cogitatio mere problematica eo demum realitatem obiectiuam acciperet. Ergo non

cognitionis *datarum rerum supraſenſibilium*, ſed tamen rationis theoreticae cognitionisque illius amplificatio reſpectu ſupraſenſibilium generatim fuit, quatenus, *eiusmodi res obiectas eſſe*, vt concederet, ea cogeretur, neque eas tamen adcuratius determinaret, nec proinde eam rerum obiectarum cognitionem (nunc illi quidem ex ratione practica, etiamque ad vſum tantummodo practicum datarum) ipſa poſſet amplificare, quam itaque acceſſionem ratio pura theoretica, cui omnes iſtae ideae transſcendentes ſunt, obiectaque re deſtitutae, ſolum facultati purae practicae ſuae fert acceptam. In hac *immanentes* fiunt et *conſtitutiuae*, propterea quod in rationibus verſantur cauſisque poſſibilitatis, rem rationi purae practicae *neceſſario propoſitam* (ſummum bonum) *vt exſtet, efficiendi*, cum, ſine hac, ideae *transſcendentes* ſint et in principiis rationis contemplantis ſolum *regulatiuis* verſentur, quae illi haud praecipiunt, vt rem obiectam nouam vltra experientiam ſumat, ſed ſolum earum vſum in experientia plenitudini propius adducat. Quodſi autem ratio ſemel poſſeſſione gaudeat huiusce acceſſionis, tum ea, qua ratio contemplatiua, (proprie ſolum ad vſum practicum cuſtodiendum) negatiue, hoc eſt, non amplificando, ſed explorando, in illis ideis verſabitur, partim vt *anthropomorphiſmum*, vt fontem *ſuperſtitionis* arceat, vel opinatam conceptuum amplificationem illorum per putatitiam experientiam, partim, vt *fanatiſmum* abigat, qui per viſionem ſupraſenſitiuam vel eiusmodi tactus illi imponit; quae omnia in impedimentis ſunt vſus practici rationis purae quorum proinde amolitio reſpectu practico ſane pertinet ad amplificationem cognitionis noſtrae neque tamen repugnat, vt confiteare, rationem reſpectu contemplatiuo nihil eo quidquam eſſe lucratam.

Ad quemque rationis vſum reſpectu cuiuspiam rei obiectae opus eſt conceptibus puris intellectualibus (*categoriis*), ſine quibus nulla res poteſt obiecta cogitari. Quae quidem tantummodo ad vſum rationis theoreticum poſſunt, id eſt, ad eiusmodi cognitionem ſolum adhiberi, quatenus iis ſimul viſio (quae ſemper ſenſualis eſt) ſupponitur, ideo-

que solum, vt iis res experientiae, quae possit esse, subiecta repraesentetur. Atqui hic *ideae* rationis, quae in nulla prorsus possunt experientia dari atque proponi, id sunt, quod, vt cognoscerem, per categorias foret mihi cogitandum. Verum hoc loco non de cognitione theoretica rerum hisce ideis subiectarum agitur, sed id solum spectatur, vt iis omnino res subiectae videantur. Hanc realitatem ratio pura practica parit, in quo quidem rationis theoreticae nullum aliud munus est, quam vt res illas obiectas solum *cogitet* per categorias, quod, vti alias perspicue ostendimus, effici commode poterit, ita vt haud opus habeamus visione (nec sensuali, nec suprasensuali), propterea quod categoriarum in intelligentia pura libere absoluteque atque ante vniuersam visionem, solum vt in facultate cogitandi sedes atque origo est, eaeque semper modo rem obiectam in vniuersum denotant, *vtcumque ea data nobis atque oblata videatur*. Iam categoriis, quatenus debent ad ideas illas adhiberi, nulla quidem res obiecta dari in visione potest atque proponi; verum tamen *talem vere exstare*, proinde categoriam, vt solam cogitandi formam, hic non inanem esse, sed vim virtutemque habere, iis per rem obiectam, ab ratione practica in conceptu summi boni indubitata suppeditatam, satis illis de *realitate conceptuum*, ad possibilitatem summi boni pertinentium, satis prouisum videtur, quamuis per hanc accessionem ne minima quidem cognitionis ex principiis theoreticis amplificatio efficiatur.

* * *

Si praeterea hae ideae de deo, mundo intelligibili (regno dei) et immortalitate per praedicata determinentur, a propria natura nostra depromta, ea determinatio, neque vt *sensificatio* illarum purarum idearum rationalium (anthropomorphismus,) neque vt cognitio transscendens rerum *suprasensibilium* spectanda erit; haec enim praedicata nulla alia sunt, quam intelligentia et voluntas, et ita quidem in adfectione erga se inuicem considerata, vti in lege morali debent ea cogitari, proinde tantummodo, quatenus eorum vsus fieri poterit purus practicus. Ab omnibus reliquis,

quae hisce conceptibus pſychologice adhaerent; id eſt, quatenus has facultates noſtras *in actione* empirice obſeruamus, (veluti, intelligentiam hominis diſcurſiuam eſſe, eius repraeſentationes proinde in cogitationibus verſari, non vero in viſionibus, haſce in tempore ſibi inuicem ſuccedere, voluntatem eius ſemper eſſe dependentia quadam tranquillitatis ab exſiſtentia rei ſibi ſubiectae adfectam, et ſic porro, quod non poteſt ſic eſſe in natura ſumma) tum noſmet continemus, atque ita ex conceptibus, per quos nobis ens purum intellectuale cogitatione informamus, nihil amplius relinquitur, quam quod ipſum ad poſſibilitatem opus ſit legis moralis cogitandae, proinde cognitio quidem dei, ſed modo reſpectu practico, quo, ſi periculum fecerimus illius ad theoreticam dilatandae, intelligentiam eius accipiemus, quae haud cogitet et moueatur, ſed *videat* atque *intueatur*, voluntatemque res ſpectantem, a quarum exſiſtentia tranquillitas eius minime pendeat (vt taceam praedicata tranſcendentalia, velut quantitatem exſiſtentiae, hoc eſt, durationis, quae haud locum habeat in tempore, vno illo adiumento, quo fieri poteſt, vt exſiſtentiam nobis qua quantitatem repraeſentemus,) quae cuncta in proprietatibus ſunt, de quibus nullam nobis prorſus cogitationem informare poſſumus, ad *cognitionem* obiectae rei idoneam, eoque edocemur, eas numquam poſſe ad *theoriam* naturarum ſupraſenſibilium adhiberi, ideoque ex hac parte iis nullo modo poſſe cognitionem contemplatiuam conſtitui, vſumque eorum duntaxat ad obſeruationem huiusce legis moralis adſtringi.

Quod poſtremo diximus, adeo manifeſtum eſt itaque euidenter poteſt facto euinci, vt audacter queas vniuerſos putatitios iſtos *theologos naturales* (mirabile nomen!) prouocare, vt vnam modo proprietatem nominent, hanc iis rem ſubiectam (praeter praedicata mere ontologica) determinantem, intelligentiae fere, aut voluntatis, in qua manifeſto nequeat probari, cunctis ab ea anthropomorphiſticis ſeparatis, non niſi ſolum verbum relinqui, quocum ne minimus poſſit conceptus coniungi, quo amplificatio cognitionis theoreticae

liceat ſperari. Sed ratione practici ex proprietatibus intelligentiae voluntatisque tamen conceptus nobis relinquitur relationis, cui lex practica (quae hanc ipſam intelligentiae ad voluntatem adfectionem ex anticipatione determinat) realitatem obiectiuam impertit. Quod cum ſemel factum fuerit, tum conceptui rei ſubiectae voluntati moraliter determinatae (conceptui ſummi boni) cum eoque conditionibus poſſibilitatis eius, ideis de deo, libertate atque immortalitate, etiam realitas, ſed ſemper modo reſpectu ſeruandae legis moralis (ad nullum vſum contemplatiuum) tribuitur.

His monitis facile poterunt inueniri, quae ad grauiſſimam quaeſtionem reſpondeantur: *vtrum conceptus de deo ad phyſicam* (proinde quoque ad metaphyſicam, quippe qua ſolum principia pura ex anticipatione phyſices ſenſu generali continentur) *pertineat, an ad philoſophiam moralem. Enodationes* inſtitutorum naturalium, ſi in iis ad deum confugias, vtpote omnium rerum auctorem, nulla certe enodatio phyſica eſt omninoque confeſſio de philoſophia laborante; ſiquidem coactum te ſentias, vt, de quo caeteroquin nullam cogitationem habeas, quidpiam ſumas, vt de poſſibilitate eius, quod ante oculos conſtitutum vides, cogitationem poſſis informare. Sed vt per metaphyſicam ab notitia *huius* mundi ad conceptum de deo, ad argumentumque exiſtentiae illius *per certas indubitatasque ratiocinationes* peruenias, propterea fieri non poteſt, quod hunc mundum, vt perfectiſſimum, quod eſſe poſſit, totum, proinde, ad hoc efficiendum, omnes, qui eſſe poſſint, mundos (vt eos cum hoc comparare queamus) cognoſcere, proinde omniſcios eſſe, oporteret, vt eos fieri ſolum per *deum* (vti hunc conceptum cogimur cogitare) potuiſſe diceremus. Tum demum fieri nullo modo poterit, vt exſiſtentiam huius naturae e ſolis conceptibus cognoſcas, quoniam quaeque enunciatio exſiſtentialis, id eſt, ea, quae naturam, de qua mihi cogitationem informo, enunciat exſtare, pronunciatum ſyntheticum eſt, hoc eſt, eiusmodi, quo conceptum illum transeo et plus de illo dico, quam fuit in conceptu cogitatum: nimirum iſti con-

ceptui in *intelligentia* subiectam rem esse, quae ei respondeat, extra *intelligentiam*, quod, manifestum est, fieri non posse, vt per vllam quampiam ratiocinationem eliciatur. Ergo vnus solum procedendi modus rationi relinquitur, quo ad hanc cognitionem perueniat, cum scilicet, vt ratio pura, a summo vsus puri sui practici principio proficiscens (eo quod hic praeterea solum exsistentiam cuiuspiam spectat, vt consequentis rationis) rem sibi subiectam determinat. Ac tum quidem, non solum in quaestione sua ineuitabili, nempe in voluntate ad summum bonum necessario dirigenda, necessitas emergit, eiusmodi naturae originariae sumendae, respectu possibilitatis huius boni in mundo, sed, quod caput est, aliquid, quod progressui rationis in via naturali prorsus deerat, nempe *conceptus huius naturae originariae adcurate determinatus*. Cum hunc mundum ex parua duntaxat particula norimus, multo eum minus cum vniuersis, qui possunt esse, mundis comparare possimus, poterimus quidem ab ordine illius, conuenientia ac magnitudine ad auctorem eius *sapientem*, *benignum potentemque* concludere, non vero ad *omniscientiam* illius, *omnipotentiam* etc. Facile etiam poterit concedi: hunc defectum ineuitabilem per licitam rationique consentaneam hypothesin commode posse suppleri; nimirum, si in multis illis partibus, quae propius se nobis cognoscendas ostendunt, sapientia, benignitas et id genus alia elucent, in cunctis quoque reliquis ita fore, ideoque rationi consentaneum esse, vt auctori omnes, quae esse possint, perfectiones attribuantur; sed ea non in *ratiociniis* versantur, quibus ne nostra queamus perspicientia superbire, sed modo iura, quae nobis possint concedi, quaeque et alia commendatione indigent, si iis vti velimus. Igitur conceptus dei in via empirica (physices) etiam nunc *conceptus* manet *parum adcurate determinatus* de perfectione entis primi, ita vt non possit conceptu naturae diuinae consentaneus putari (per metaphysicam vero in parte transscendentali nullo modo quidquam efficietur).

Iam si periculum fecero huiusce conceptus cum re rationi practicae subiecta comparandi, eum deprehendo per

principium morale concedi quidem vt possibilem, posito mundi auctore, qui *summa* gaudeat *perfectione*. *Omniscius* sit, necesse est, vt vitam meam vsque ad intestinos animi motus adfectionesque in vniuersis, quae esse possunt, causis atque in omne futurum tempus cognoscat; sit porro *omnipotens*, vt, quae illi conuenienter sequantur, efficiat; sit itidem *vbicumque locorum praesens*, sit *aeternus*, et sic porro. Proinde lex moralis per summi boni conceptum, vt rei rationi purae practicae propositae, determinat conceptum entis originarii, *vt entis summi*, quod iter rationis physicum (atque vlterius continuatum metaphysicum) proinde totum contemplatiuum non potuit efficere. Ergo conceptus dei non est conceptus ad physicam pertinens, hoc est, ad rationem contemplatiuam, sed ad philosophiam moralem, atque hoc ipsum de caeteris quoque conceptibus rationalibus dici poterit, de quibus, vt postulatis rationis in vsu practico, supra disputauimus.

Cur in historia philosophiae Graecae vltra *Anaxagorae* tempora nulla perspicua theologiae purae rationalis vestigia deprehendantur, eius rei causa non est in philosophis vetustioribus quaerenda, quibus intelligentia perspicientiaque deficeret, quo minus per viam contemplationis, sanis certe hypothesibus adiuti, eo sese eueherent; quid facilius esse poterat, quid naturae conuenientius, quam, quae sponte se cuique obiicit, cogitatio, pro indeterminatis gradibus perfectionis diuersarum mundi causarum, vnam ratione praeditam sumendi, cui *omnis* insit *perfectio?* Verum mala in mundo longe iis grauiora obstacula videbantur, quam vt sibi ea hypothesis licita esset. Idcirco in eo ipso intelligentiam perspicientiamque prodidere, quod eas sibi hypotheses haud permitterent, potiusque in causis physicis anquirerent, annon in iis qualitatem ad causam primam necessariam facultatemque inuenirent. Posteaquam autem hic populus acutus tantum in inuestigando indagandoque progressus erat, vt ipsas res morales, de quibus alii populi duntaxat nugati sunt, philosophice tractarent; tum demum nouam offendebant indigentiam, scilicet practicam, quo fieri non

poterat, quin entis originarii conceptum determinate possent ostendere, in quo quidem negotio ratio contemplatiua sese tenuit otiosam, ad summum laudem meruit, conceptum se, in suo haud territorio natum, exornasse, comitatuque confirmationum et inuestigatione naturae, quae nunc demum prodibant, stipare, quo haud sane quidem (quae iam constituta erat) auctoritatem illius, sed potius tantummodo pompam ostentationemque ex opinata perspicientia rationali theoretica promouerent.

* * *

His monitis perceptis atque intellectis lectori critices rationis purae contemplatiuae ad veritatem plane erit persuasum: quam necessaria fuerit, quamque et theologiae et doctrinae morum salutaris operosa illa categoriarum *deductio.* Ea enim sola caueri poterit, ne, si in intelligentia pura ponantur, eas, cum *Platone,* insitas atque innatas putemus, in iisque conatus constituamus transscendentes theoriarum rerum suprasensibilium, quarum nullos fines videmus nec terminos, quibus vero theologia in laternam magicam phantasmatum ingenii conuertitur; quas vero si partas paratasque putaueris, cauebis, ne, cum *Epicuro,* omnem vsum eorum ac singulum, vel ipso respectu practico, solum ad res adstringamus rationesque determinantes sensibus subiectas. Nunc autem, cum critica in deductione illa *primo* probauerit, eis nullam originem empiricam esse, sed sedem earum ex anticipatione fontemque in intelligentia pura versari; *deinde* quoque, cum *ad res obiectas generatim,* a visione libere, referantur, iis quidem ad res *empiricas* adhibendis *cognitionem theoreticam* effici, sed eas tamen quoque, ad rem obiectam adhibitas datam per rationem puram practicam, *determinatae* suprasensibilium *cogitationi* inseruire, verum duntaxat, quatenus haec solum per praedicata determinetur, quae ad *finem* purum *practicum* ex anticipatione datum eiusque possibilitatem pertineant. Contemplatiua rationis purae circumscriptio et practica illius amplificatio eam demum ad illam *aequalitatis rationem* adducit, in qua omnino possit ratio conuenienter vsurpari,

eoque exemplo melius, quam vllo alio, probatur, femitam ad *ſapientiam*, ſi tuta eſſe debeat, neque inuia fieri aut decipiens, per ſcientiam ducere oportere, quo vero ad metam illam nos duci, illa demum abſoluta poterimus certi euadere.

VIII.

DE ADSENSV EX INDIGENTIA QVADAM RATIONIS PVRAE.

Indigentia rationis purae in vſu ſpeculatiuo tantummodo ducit ad *hypotheſes*, ſed indigentia rationis purae practicae ad *poſtulata;* ſiquidem per indigentiam rationis purae a deriuato in ſerie rationem tam alte, *quam lubet*, adſcendo, opusque habeo ratione prima, non quo deriuato illi (veluti colligationi cauſarum in rebus mutationibusque mundi) realitatem obiectiuam impertiam, ſed vt rationem indagantem meam reſpectu illius plene expleam. Sic ordinem conuenientiamque in natura rerum coram video, nec, quo certus ſiam de veritate exſiſtentiaque illius, opus eſt, vt contemplationem adeam, ſed modo, vt, quo eam *euodem, naturam diuinam,* vt eius cauſam, *ſupponam;* vbi tum, quoniam ab effecto ad cauſam determinatam, praeſertim tam adcurate pleneque determinatam, qualis in deo cogitari debet, dubia ratiocinatio atque ambigua eſt, eiusmodi ſumtio non niſi ad gradum poteſt opinionis, nobis hominibus, omnium maxime cum ratione conuenientis *), promoueri. Contra indigentia rationis purae *practicae* in

*) Sed vel hic quoque haud poſſemus indigentiam *rationis* praetendere, niſi conceptus quidam problematicus, ſed tamen ineuitabilis rationi foret ob oculos poſitus, ſcilicet conceptus entis abſolute neceſſarii. Hic conceptus determinandus eſt, idque, ſi adpetitio amplificationis accedit, ratio eſt obiectiua indigentiae rationis contemplatiuae, nempe vt conceptus entis neceſſarii, quod aliorum eſſe ratio prima debet, propius determinetur, et hoc proinde poſterius quapiam re diſtinguatur. Sine eiusmodi problematibus neceſſariis antegreſſis, nullae ſunt *indigentiae*, ſaltem haud *rationis purae;* caeterae ſunt indigentiae *inclinationis*.

officio constituta est, vt quidpiam (summum bonum) voluntati nostrae proponamus, pro viribus promouendum; in quo vero possibilitatem eius, proinde et conditiones, deum libertatem atque immortalitatem ponere cogor, quippe quas per rationem contemplatiuam non euincere possum, quamuis etiam haud refellere. Atque hoc officium in lege constitutum est, sane quidem ab hisce sumtionibus prorsus libera, per se ipsa apodictice certa, nempe in lege morali, neque eatenus vllius vlterioris adiumenti indiget ex opinione theoretica de interna rerum natura, secretoque ordinis mundani scopo, aut moderatoris cuiuspiam, qui illi praesit, ad nos plenissime ad actiones absolute legibus consentaneas obligandos. Verum effectum huius legis subiectiuum, nempe *consilium* animi illi conueniens per eamque necessarium, practici, quoad esse possit, summi boni promouendi, tamen certe supponit, hoc summum bonum possibile esse, cum e contrario practice impossibile foret, vt rem subiectam conceptui sequare, qui omnino vanus atque inanis foret omnique re obiecta destitutus. Iam postulata non nulla physicas modo vel metaphysicas, verbo, quae in rerum natura insunt, conditiones attingunt *possibilitatis* summi boni, non vero in gratiam consilii contemplatiui arbitrarii cuiuspiam, sed finis cuiusdam practice necessarii voluntatis purae rationalis, hic non *optantis*, sed irremissibili rationi iussu *obtemperantis*, cuius fundamentum, *obiectiue*, in natura rerum est, vti eae per rationem puram vniuerse debent diiudicari, nec fere in *propensione* constitutum est, quae in gratiam eorum, quae ex rationibus mere *subiectiuis expetimus*, vt continuo adiumenta eorum vt possibilia sumat, aut rem obiectam fere adeo vt exstantem, nullo modo potestatem habet. Ergo haec *indigentia est respectu absolute necessario*, suique sumtionem defendit non solum vt hypothesin, sed vt postulatum respectu practico; concessoque, lege pura morali, quemque, vt praecepto, (non vero vt regula prudentiae,) maxime obligari, num probo licebit dicere: equidem *volo*, deum esse, meamque in hoc mundo exsistentiam, etiam praeter nexum naturae, exsistentiam in mundo puro intel-

ligibili, tandem quoque durationem meam infinitam, haec mordicus teneo, eamque mihi persuasionem haud patiar eripi; quippe hoc vnum est, in quo, quae mea intersunt, de quibus, non *licet*, vt quidquam remittam, iudicium meum necessario determinatur, argutationibus neglectis, quamuis minime ad eas respondere possim, iisque speciosiores opponere.

* * *

Vt in conceptu tam insitato, qualis fidei conceptus est purae practicae rationalis, adhibendo, euitentur calumniae, liceat mihi scholium his adiungere. — Propemodum videri possit, ac si haec fides rationalis hoc loco ipsa vt *praeceptum* declaretur, nempe vt summum bonum vt possibile sumatur. Sed fides iussa atque praecepta nihil est. Verum in animum reuocetur discussio eorum, quae in summi boni conceptu sumenda postulantur, et manifestum erit, eam possibilitatem accipiendam minime debere imperari, nullaque postulare consilia practica, eius *concedendae*, sed a ratione contemplatiua haud rogata concedi eam oportere; namque nemo poterit contendere, fieri per se non posse, vt digna felicitate conditio naturarum in mundo rationalium, legi morali consentanea, cum fruitione felicitatis coniuncta huic aequabili videatur. Iam respectu vnius elementi summi boni, nimirum moralitatis, lex moralis nobis solum imperat ac praecipit, et, qui de possibilitate illius elementi dubitaret, perinde faceret, ac si ipsam legem moralem in dubium vocaret. Sed alterius quidem elementi, nempe felicitatis perpetuo dignitati illi consentaneae atque aequabilis possibilitas generatim vt concedatur nullius omnino praecepti indiget, neque enim, quod contra dicat, ipsa ratio theoretica quidquam habet; sed in solo *modo*, quo eiusmodi legum naturalium concentum cum legibus libertatis debeamus cogitatione informare, inest quidpiam, cuius respectu nobis *optio* competit, eo quod ratio theoretica de ea re nihil cum certitudine apodictica decernit, et, huius respectu, esse inuitamentum morale potest, ex quo momentum pendeat.

Supra diximus, ſecundum ſolum in mundo curſum naturae, felicitatem dignitati morali adcurate conuenientem atque aequabilem neque exſpectandam eſſe, neque impoſſibilem reputandam, ideoque poſſibilitatem ſummi boni, ab hac parte, poſito ſolum auctore mundi morali, poſſe concedi. De induſtria circumſcriptionem huiusce iudicii, ad conditiones rationis noſtrae *ſubiectiuas* adſtringendi, retinui, vt tum demum ea vterer, cum modus adſenſionis adcuratius determinandus foret. Reapſe impoſſibilitas ſic dicta ſolum *ſubiectiua* eſt, id eſt, ratio videt, per *ſe non poſſe fieri*, vt contextum tam exacte conſentaneum perpetuoque conuenientem finibus, duorum euentorum mundanorum ex legibus tam diuerſis eueníentium, comprehendat; quamuis, vti in vniuerſis caeteroquin in rerum natura ſecundum fines conſtitutis, nec impoſſibilitatem eius ex vniuerſalibus legibus phyſicis euincere poſſit, id eſt, ex rationibus obiectiuis idonee demonſtrare.

Verum nunc alia decidendi ratio accedit, vnde momentum accipiat ratio titubans atque vacillans contemplatiua. Praeceptum, vt ſummum bonum promoueatur, obiectiuum eſt (in ratione practica), eiusque poſſibilitas omnino itidem obiectiue (in ratione theoretica, quae non habet, quod regerat) conſtituta videtur. Sed modus, quo debeamus eam nobis poſſibilitatem repraeſentare, vtrum ex legibus vniuerſalibus phyſicis, ſine auctore, qui naturae praeſit, ſapiente, an modo, eo poſito, ratio non poteſt obiectiue decidere. Hic igitur conditio rationis *ſubiectiua* ſe oſtendit; qua ſola modus continetur theoretice illi poſſibilis, idemque moralitati (*obiectiuae* legi rationis ſubditae) ſolum ſalutaris, pleniſſimum concentum regni naturae cum regno morum, vt conditionem poſſibilitatis ſummi boni cogitandi. Cum igitur illius promotio, ideoque poſſibilitatis eius ſumtio, *obiectiue* (ſed modo ſecundum rationem practicam,) neceſſaria ſit, ſimul vero, quomodo nobis illud vt poſſibile cogitatione informare velimus, ex noſtra optione pendeat, in qua vero inuitamentum liberum rationis purae practicae ſumtionem decernit auctoris mundi

sapientis: principium, quo iudicium nostrum in eo determinat, *subiectiuum* quidem, qua indigentia, sed simul quoque qua adiumentum eius promouendi, quod *obiectiue* (practice) necessarium est, ratio *regulae* adsensionis respectu morali, id est, *fides rationalis pura practica.* Haec igitur non iussa est, verum ex ipso morali consilio exorta, qua spontanea, fini morali (iusso) salutaris, praetereaque cum indigentia rationis theoretica conspirans iudicii nostri determinatio, ad sumendam exsistentiam illam rationisque vsui porro fundamento constituendam; proinde saepenumero ea potest in ipsis ingeniis probis nonnumquam vacillare, numquam vero verti in diffidentiam.

IX.

DE RATIONE FACVLTATVM COGNOSCENDI HOMINIS DESTINATIONI EIVS PRACTICAE SAPIENTER CONVENIENTE.

Quodsi natura humana, vt ad summum bonum tendat, destinata sit, modus quoque humanarum cognoscendi facultatum, praecipue earum in se inuicem ratio, vt huic fini consentanea, sumendus videtur. Atqui critica rationis purae *contemplatiuae* summam illius infirmitatem atque insufficientiam ostendit, vt grauissimas quaestiones ei propositas, scopo conuenienter expediendas, quamquam nutus rationis eiusdem naturales nec negligendos, itemque magnos illos progressus haud ignorat, quos facere possit, vt ad metam illam sibi propositam propius accedat, ita tamen, vt eam numquam, vel maxima cognitione physica adiuta, per se ipsam adsequatur. Ergo natura, instar *nouercae,* hic facultate ad scopum nostrum necessaria nobis prospexisse videtur.

Sed fac, eam, votis nostris in eo obsecutam, illam nobis perspiciendi facultatem, cultumue ingenii et collustrationem dedisse, quam auemus habere, in cuiusue possessione nonnulli *opinantur* videri, quid tum inde probabiliter con-

ſequeretur? Niſi vniuerſa natura noſtra ſimul conuerteretur, *inclinationes*, quae ſemper ſibi praerogatiuum arrogant, ſuam primo exſatiationem, cumque deliberato conſilio coniunctae, quanta eſſe poteſt, maximam longiſſimeque durantem ſatiationem, *felicitatis* nomine notatam, deſiderarent; alter dicendi locus legi morali foret, quo illam carceribus congruis coërceret, adeoque cunctas eas altiori fini, nullius reſpectum inclinationis habenti, ſubiiceret. Verum, loco certaminis quod nunc quidem conſilio morali eſt cum inclinationibus, in quo, acceptis aliquot cladibus, ſenſim tamen morale robur animi acquirendum videtur, *deus* atque *aeternitas*, cum *terribili* vtriusque *maieſtate*, perpetuo *ob oculos* verſarentur, (ſiquidem, quae plene poſſum euincere, reſpectu certitudinis, idem valent, quam quorum fidem nobis adſpectus facit). Sane quidem legem haud migrares, iuſſumque ſeruares; quoniam vero *conſilium animi*, quo fieri actiones debent, nullo poteſt praecepto inſtillari, ſed ſtimulus actiuitatis continuo in promtu eſt atque *extrinſecus*, proinde ratio non demum ſeſe proripere debet, vt vires colligat ex viua excellentiae legis repraeſentatione, quo inclinationibus reſiſtat, pleraeque actiones legibus conſentaneae metu fierent, admodum paucae ex ſpe, nullaeque prorſus propter officium ſuſciperentur, actionum vero pretium morale, vnde tamen ſolum pretium perſonae ac dignitas ipſiusque mundi coram ſapientia ſumma pendet, nullum omnino exſtaret. Itaque vita hominum, donec ita, vti nunc eſt, natura illorum ingeniumque maneret, in ſolum mechaniſmum conuerteretur, vbi, quemadmodum in formis puparum mobilium, omnia probe *geſticularentur*, neque vlla tamen *vita* in figuris deprehenderetur. Iam, cum longe aliter nobiscum comparatum ſit, cum omni neruorum rationis noſtrae contentione proſpectum admodum obſcurum atque ambiguum ſtatus futuri habeamus, gubernator mundi exſiſtentiam ſuam excellentiamque nobis concedat duntaxat coniiciendam diuinandamque, non vero conſpiciendam aut euidenter demonſtrandam. contra, quae in nobis eſt, lex moralis, nulla re nobis promiſſa, nullis minis propoſitis, a nobis obſer-

vantiam postulet, ab omni studio propriae vtilitatis alienam, caeteroquin autem, cum ea obseruantia vim suam exseruit ac dominatur, tum demum et eo solum prospectum in regnum suprasensibilium, sed modo tenuiter, nobis concedat; verum animi consilium morale, legi proxime consecratum, locum habere potest naturaque rationalis digna fieri participatione summi boni, pretio personae suae morali, non solum actionibus suis, consentanei atque aequabilis. Quamobrem dubitari non poterit, id quod alias quoque per studium naturae hominisque satis edocemur, sapientiam haud peruestigabilem, qua fit, vt simus, haud minus veneratione dignam in iis, quae ea nobis recusat, videri, quam in iis, quae nobis concessit.

CRITICES RATIONIS PRACTICAE

PARS POSTERIOR.

METHODOLOGIA

RATIONIS PVRAE PRACTICAE.

Methodologia rationis purae *practicae* non potest de modo (cum in cogitando, tum in disputando) intelligi tractandi ex principiis puris practicis respectu cognitionis eorum *scientificae*, qui alias in *theoreticis* proprie solus via ac methodus vocatur, (namque cognitio popularis *rationis* indiget *modique*, sed scientia *viae* ac *methodi*, id est, tractationis *ex principiis* rationis, quo varia cognitionis solo possunt naturam *systematis* induere). Hanc methodologiam potius modum dicimus, quo legibus rationis purae practicae *aditus* ad animum humanum possit *contagicque* cum regulis subiectiuis parari, hoc est, ratio obiectiue practica etiam *subiectiue* practica effici queat.

Iam quidem manifestum est, eas voluntatis determinandae rationes, quibus solis regulae subiectiuae proprie redduntur morales, iisque pretium morale conciliatur, proximam legis repraesentationem eiusque obseruationem obiectiue necessariam vt officium, tamquam proprios actionum elateres proponi debere; siquidem alias actionum quidem *legalitas*, non vero *moralitas* consiliorum efficeretur. Verum cuique parum manifestum, potiusque prima specie longissime a vero abesse videatur, necesse est, illam descriptionem virtutis pure etiam subiectiue *maiorem vim* in animo humano exserere posse longeque vehementiorem elaterem esse, illius ipsius actionum legalitatis efficiendae, firmioraque consilia producendi, vt lex, ex obseruantia ipsius pura, cuique alii respectui praeferatur, quam omnes illectiones, quae ex voluptate omnibusque omnino iis, quae possint ad felicitatem accenseri, ostensis, queant, minaeque dolorum malorumque vmquam efficere. Nihilominus vere sic res se habet, et nisi sic cum natura humana comparatum foret, nulla legis ostensione per ambages anfractuum commendationumque adiumento vnquam consiliorum moralitas gigneretur. Cuncta in mera simulatione versarentur, lex odio haberetur, aut adeo despicatui, interim tamen propter vtilitatem seruaretur. Litera quidem legis (legalitas) in actionibus nostris emicaret, sed mens

eius atque sententia in consiliis nostris (moralitas) nulla prorsus foret, cumque, vtcumque laboremus, nihilominus tamen in iudicando haud plane possemus ab ratione nos liberare, necessario ex nostra ipsorum sententia nequam naucique homines videremur, etiamsi istam coram iudice interno castigationem eo compensare conaremur, vt voluptatibus nosmet oblectaremus, quas lex quaedam a nobis accepta naturalis siue diuina, ex opinione nostra, cum mechanismo politiae coniunxisset, solum ea, quae aguntur, sequentis, neque momenta curantis, quibus ducti sic agamus.

Non quidem potest negari, ad animum aut nondum adhuc formatum, aut etiam efferatum, in orbitam honesti siue moraliter boni ducendum, opus esse institutionibus quibusdam praeparantibus, quibus is per propriam vtilitatem adliciatur, aut per damnum deterreatur; sed simulatque hic mechanismus vllam quandam vim exseruit, necesse erit, vt momentum purum morale menti admoueatur, quod non eo solum, quod vnum est, quo χαρακτὴρ (animus practicus sibimet constans ex regulis subiectiuis immutabilibus) constituitur, sed etiam idcirco, quia hominem docet sensu sui ipsius dignitatis perfundi, animo vim impertit ipsi inexspectatam, ab omni se contagione sensuum, quatenus ea imperium adfectat, liberandi, atque in independentia naturae suae intelligibilis animique magnitudine, ad quam se factum intelligit, iacturae libenter factae vberrimam compensationem ferendi. Eam igitur proprietatem animi nostri, eam vim recipiendi inuitamenti puri moralis, ideoque vim purae repraesentationis virtutis commouentem, si animo humano rite admoueatur, vt vehementissimum, et, si de duratione diligentiaque agatur in regulis subiectiuis moralibus sequendis, vnum elaterem boni, obseruationibus, quas quisque proponere poterit, euincemus; in quo quidem simul tamen monendum videtur, si hae obseruationes tantummodo exsistentiam eiusmodi tactus, non vero ea re effectam emendationem moralem probauerint, vni hoc viae ac methodo, leges rationis pure obiectiue

practicas per solam puram officii cogitationem subiectiue practicam efficiendi, nihil quidquam derogare, quasi ea in solo phantasiae lusu versetur. Etenim, cum haec via ac ratio adhuc numquam frequentata sit, experientia quoque nondum quidquam de eius euento poterit ostendere, sed tantummodo argumenta pro vi recipiendi eiusmodi elaterum postulari possunt quae nunc quidem breuiter proponam, tumque viam ac methodum constituendorum ex colendorumque animi consiliorum genuinorum moralium, paucis delineabo.

Si iter sermonum in circulis mixtis conspexeris, non solum doctorum et argutatorum, verum etiam hominum negotia tractantium vel muliercularum, animaduertes, praeter narrationes iocosque, aliud sermonum genus in iis frequentari, scilicet opinationem disserendique rationem; propterea quod narratio nouitatem debeat et proinde quoddam inuitamentum ad oblectationem in se cohibere, breui exhauritur, iocusque facile putidus fit. In omni autem opinatione disserendique forma nulla est, quae magis accessionem hominum, quos alioquin cuiusuis argutationis taedium capit, excitet, quam quae pretium morale huius illiusue actionis attingi quo de charactere vllius cuiuspiam hominis statuendum vi tur. Ii, quibus quaeque subtilis ratio atque inuestigans in quaestionibus theoreticis ieiuna videtur ac taediosa, mox accedunt veniuntque in communionem sermonis, si de pretio morali actionis narratae bonae malaeue debeat decerni, adeoque diligentes sunt, adeo rimantur, adeo subtilitati indulgent in vniuersis, quae puritatem consilii, ideoque gradum virtutis in eo minuere, aut modo in suspicionem vocare possint, excogitandis, vt in nulla re alia contemplationi proposita alias queat ab iis exspectari. In eiusmodi iudiciis saepenumero accidit, vt characterem videas ipsorum hominum de aliis iudicantium emicare, propterea quod potestatem censoriam, in primis in mortuos, exercent, ita vt, quae de hac illaue eorum actione narrantur, alii contra omnes reprehensiones impuritatis et vniuersum tandem hominis pretium morale contra

vituperium ſimulationis occultaeque malitiae defendant, alii e contrario incuſationes meditentur et crimina, quibus pretium illud impugnent. Neque his poſterioribus tamen haud ſemper poterit conſilium attribui, virtutis ex omnibus hominum exemplis argutando prorſus tollendae quo ea in nomen inane vertatur, ſed ſaepenumero fit iſtud ex ſeueritate haud improba in determinando pretio morali genuino, ex lege ſeueriſſima, quacum, non vero cum exemplis, comparata arrogantia in rebus moralibus admodum labitur, et modeſtia haud fere modo docetur, verum in ſeueriori ſui ipſius exploratione ab vnoquoque ſenſu percipitur. Nihilominus eorum, qui puritatem conſilii in exemplis propoſitis defendunt, plerumque vultus oſtendit, ſe velle in iis, vbi illi ſuſpicio probitatis patrocinatur, vel minimam ei maculam lubenter abſtergere, ne, ſi omnium exemplorum veritas impugnaretur, omnique humanae virtuti puritas denegaretur, virtus tandem pro ſolo phantaſmate ingenii haberetur, atque ita vniuerſus ad illam adſpirandi conatus, vt vana adfectatio, fallaxque atque decipiens arrogantia contemtui exponeretur.

Neſcio, quare educatores iuuentutis hanc rationis inclinationem haud iam dudum adhibuerint ad ſubtiliſſimam quaeſtionum practicarum propoſitarum examinationem inſtituendam, et cur, catechiſmo ſolum morali conſtituto, non biographias et veterum temporum et recentiorum eo conſilio perſcrutati ſint, vt in promtu haberent propoſitorum officiorum exempla, in quibus, praecipue actionibus ſimilibus ex diuerſis temporibus comparatis, iudicium iuvenum exercerent, in maiori minoriue earum pretio morali animaduertenda, quippe quo matura iuuentus, ad vniverſam contemplationem adhuc immatura, breui ipſis acuta videretur, et praeterea, quoniam ea progreſſum ſentit facultatis iudicandi ſuae, haud parum inuitamento capti, ſed, quod caput eſt, certo poſſet ſperari, exercitatione crebriore in virtute in omni puritate ſua cognoſcenda, eique adſentiendo, contra vel minima ab ea aberratione cum dolore contemtuque animaduertenda, quamuis vsque eo tantum-

modo lusu facultatis iudicandi, in quo pueri inuicem decertari possent, tamen vestigium obseruantiae ab vna parte, auersionisque ab altera relinqueretur indelebile, quae ex sola consuetudine eiusmodi actiones adsensu vel reprehensione dignas spectandi formam, probitatis in futura vita constitutionem efficeret. Velim tamen ne pueri exemplis onerentur actionum, quae vocantur, *nobilium* (supererogationis), quas scripta nostra sensus profundioris crepare tantopere videmus, potiusque omnia solum ad officium referant pretiumque, quod homo sibi ex sua ipsius sententia per conscientiam et potest statuere et debet, quoniam, quae vota inania spectant ac desideria perfectionis inaccessae, iis non nisi heroes nascuntur in fabulis romanensibus frequentes, qui, dum sensum iactant ingentis, liberant se ab officio communi quotidianoque faciendo, quod iis tum instar minutiarum videtur *).

Quodsi autem interroges: quidnam proprie moralitas *pura* videatur, ad quam, velut ad obrussam, cuiusque actionis possit pretium morale explorari, fateri cogor, solum posse per philosophos explicationem quaestionis huiusce dubiam reddi; namque in ratione hominum communi, non formulis quidem separatis abstractisque et vniversalibus, verum tamen ex vsu consueto, quasi vt, quod manum inter dextram est laeuamque, discrimen, diu explicata est et constituta. Igitur primo notam virtutis purae exploratoriam in quodam exemplo ostendemus, dumque

*) Actiones, e quibus magna, a propria vtilitate aliena, in communionemque venientia animi consilia atque humanitas elucent, laudari, conducit. Sed in ea re non tam *elatio animi*, quae fugit ac praeterit, quam potius *submissio animi* subter *officium* debet attendi, cuius vestigia diutius duratura exspectari possunt, quoniam ea principia (illa vero solum ebullitiones) in se cohibet. Breui opus meditatione erit, quo possis culpam in te aperire, vlla vspiam re respectu generis humani contracti, (si vel in eo modo ea cernatur, quod, per hominum inaequalitatem in constitutione ciuili, commodi gaudeas, ob quas aliis eo pluribus carendum videatur,) vt ne opinione *meriti* arrogante cogitatio *officii* expellatur.

cogitamus, eam fere puero decem annorum ad diiudicandum proponi, videbimus, num is etiam fponte, ab nullo vmquam doctore inftitutus, neceffario ita debeat iudicare. Hiftoriam narres hominis probi, quem adducere volunt, vt obtrectatoribus hominis innocentis, verum caeteroquin haud locupletis (vti fere Annae Boleniae ab Henrico VIII. rege Brittanniae accufatae) fefe adiungat. Lucra oftenduntur, id eft, permagna munera, fummiue honores. Sed ea recufat. Id quod in mente auditoris folum adfenfionem adprobationemque excitabit, propterea quod lucrum videtur. Iam comminationes adhibentur iacturae. In obtrectatoribus iftis amici funt, intima cum eo familiaritate coniuncti, qui nunc vinculum amicitiae cum eo disfoluunt, cognatique propinqui, eum (qui inops eft,) minitantes exhaeredari, potentes, qui quouis eum loco ac tempore perfequi poffunt et cruciare, princeps, libertatis iacturam illi, ipfiusque vitae minans. Vt autem aduerfitatum modus plenus fiat, isque dolor ab eo fentiatur, quem folum poteft animus moraliter bonus intime perfentifcere, familiam illi oftendas fuam fummis anguftiis maximaque inopia exfpectantem, quae eum *vt concedat roget*, ipfumque, quamuis probum, proponas, tamen haud fenfu obtufo, nec commiferationis, nec propriae calamitatis, in temporis articulo quo cupit illum diem haud vidiffe, qui fe tam immenfo dolori exponeret, nihilo fecius tamen in probitatis propofito conftantem, dubiisque immotum: puer gradatim, a fola adprobatione ad admirationem, inde ad ftuporem, tandem vsque ad fummam venerationem, viuumque defiderium euehetur, vt ipfe aliquando talis vir euadere poffit, (quamquam haud quaquam in eodem illius ftatu); et nihilominus hic virtus folum propterea tanti colitur, quoniam tam care parta eft, non quia aliquam adferat vtilitatem. Vniuerfa admiratio ipfeque conatus ad fimilitudinem huiusce characteris adfequendam, hic omnino pofita eft in puritate principii moralis, quae eo folum in oculos incurrens poterit proponi, vt vniuerfa, quae homines poffint ad felicitatem accenfere, ab elateribus actionis removeantur. Ergo eo maior vis moralitatis in animo humano

erit, quo ea purior proponitur. Ex quo proinde sequitur, si legi morum imaginique sanctitatis virtutisque vlla omnino esse debeat cum animo nostro contagio, eam tantummodo illi esse posse, quatenus pura, atque a consiliis salutis nostrae vacua, vt elater, animo admoueatur, propterea quod ea sese in calamitatibus excellentissimam ostendat. Id vero, cuius remotione effectum vis motricis corroboratur atque augetur, impedimentum fuerit, necesse erit. Ergo omnis admixtio elaterum, ab felicitate propria desumtorum, impedimentum est, quod contagioni officit legis moralis cum animo humano. — Iam vero contendo, in illa ipsa actione admiratione accepta, si, vnde exsisteret, momentum, in obseruantia officii poneretur, tum hanc eamdem legis obseruantiam, haud fere ius quoddam in opinionem internam animi magni et generosi beneque promerentis, ipsam in animo spectatoris maximam vim exserere, proinde officium, non vero bene meritum oportere, non solum certissimam et maxime determinatam definitamque, sed, si iusto lumine sanctitatis suae proponatur, etiam vehementissimam in animo vim exserere.

Nostris temporibus, cum liquescentibus magis mollibusque tactibus, vel elatis inflatisque animumque potius flaccum marcidumque, quam fortem ac robustum efficientibus arrogantiae generibus homines sperant animum cogi posse, quam officii descriptione ieiuna et seria imperfectioni humanae progressionique in bono rectoque conuenientiori, magis, quam vllo vmquam tempore necessaria est huiusce viae ac methodi commendatio. Ab omni demum consilio prudentiaque prorsus videtur abhorrere, si paruulis actiones vt generosae, magnanimae et bene promerentes exemplo proponantur, ea mente, vt eorum animi ardore quodam atque impetu (enthusiasmo) illarum concitati abripiantur. Cum enim in faciendo vel vulgarissimo officio, ipsoque in eo diiudicando tam infirmi sint, ea re nihil aliud efficietur, quam vt illi mature somniatores reddantur. Verum quoque in cultiori peritiorique parte hominum opinatus iste elater, nisi noxiam, certe nullam genuinam mo-

ralem effectionem in animo habet, quam eo tamen voluerunt efficere.

Vniuersi *tactus*, ii in primis, quibus effici studium insolens debeat, eo temporis articulo, quum vehementes sunt, et priusquam fugiunt, vim suam debebunt exserere, caeteroquin iis nihil quidquam efficietur; propterea quod animus ad naturalem motum vitalem suum temperatum solet reuerti, atque ita in languorem incidit, antea sibi proprium; quoniam ei quidem, quod adliceret, nihil vero, quod corroboraret, admotum fuit. *Principia* debent in conceptibus constitui, ex vniuersis aliis constitutionibus tantummodo celeres motus ac praetereuntes possunt enasci, quibus personae nullum morale pretium poterit, ne fiducia sui quidem impertiri, sine quibus conscientia moralis animi talisque characteris, summum bonum in homine, nullo pacto possunt locum inuenire. Hi igitur conceptus, si fieri subiectiue practici debeant, non debent in legibus obiectiuis moralitatis consistere, vt eas admiremur, respectuque humanae naturae magni faciamus, sed repraesentationem earum, cum homine eiusque singulo atque indiuiduo comparatorum, considerare; vbi tum lex illa in forma adparet, summa quidem obseruantia digna, non vero adeo placente, quam si ea ad elementum pertineret, cui per naturam suam adsuetus est, sed vti eum cogit, vt saepenumero id, haud siue abnegatione sui, relinquat, altiusque quoddam petat, in quo se, perpetuo relapsum metuens, multo solum labore se possit tueri. Verbo, lex moralis postulat obedientiam propter officium, non per praedilectionem, quae nullo modo poterit supponi nec debebit.

Nunc, age, exemplis cognoscamus, vtrum in repraesentatione actionis cuiuspiam, vt generosae actionis et fortis maior vis subiectiue mouens elateris insint, quam, si ea solum vt officium respectu legis seuerae moralis cogitetur. Actio illa, qua quis, cum summo vitae discrimine, homines e naufragio seruare laborat, si ipse vitam postremo perdat, partim quidem in eius officiis ponimus, partim vero,

et maxime quoque vt bene meritum laudamus, verum obseruantia illius admodum per cogitationem *de officio erga se ipsum*, cui hic quidpiam detrahi videtur, minuitur. Maiorem vim habet magnanima vitae deuotio pro conseruanda patria, et tamen quodammodo in dubio relinquitur, an etiam perfectum officium sit, sponte et iniussum huic se consilio deuouere, actioque haud omnem vim in se cohibet exempli stimulique ad imitandum. Quodsi autem necessario in officio sit, quo migrato lex moralis per se, non habita ratione salutis humanae, violetur, cuiusque quasi pedibus sanctitas conteratur, (cuiusmodi officia solent officia erga deum vocari, quoniam in eo sanctitatis ideale in substantia cogitamus,) sequitur, vt obseruationi eius, vniversis, quae intimae inclinationum nostrarum vt cumque esse cara atque in pretio poterunt, neglectis, obseruantiam perfectissimam omnibusque numeris absolutam consecremus, nostrumque animum tali exemplo confirmatum sentiemus atque elatam, in quo si nobis possimus persuadere, naturam humanam capacem esse tantae elationis super vniversis, quae natura vmquam queat elaterum stimulorumque ad contrarium conquirere. Eiusmodi exemplum *Iuuenalis* proponit in gradatione quadam, qua lector possit vim elateris, quae in lege inest pura officii, vt officii, admodum persentiscere:

> **Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem,**
> **Integer; ambiguae si quando citabere testis**
> **Incertaeque rei, Phalaris licet imperet, vt sis**
> **Falsus, et admoto dictet periuria tauro,**
> **Summum crede nefas animam praeferre pudori,**
> **Et propter vitam viuendi perdere causas.**

Cum vllum quidpiam quod nos meriti opinione demulceat actioni nostrae possumus inferere, tum elater iam aliquantum concretus est mixtusque philautia, proinde opus est adiumento quodam ex parte facultatis sensitiuae. Sed sanctitati officii soli cuncta postponere, tibique conscium fieri, te illud *posse*, siquidem nostra ipsorum ratio illud vt praeceptum suum agnoscit pronunciatque, nos illud facere *debere*, est quasi se ipsum supra mundum sensibilem prorsus

euehere, in eademque conſcientia legis etiam vt elater facultatis *vim ſenſitiuam dominantis* arctiſſime, etſi haud ſemper cum efficacitate, coniunctum eſt, qua tamen ex frequentiori exercitatione, vſuque illius initio quidem tenuiter tentato, ſperari licet maior effectio, qua paullatim in nobis, inuitamentum purum morale naſcatur.

Igitur viae ac methodi tale iter videtur. *Primo* ſolum id agitur, vt ad diiudicationem ex legibus moralibus nosmet ita adſueſcamus, vt ea vniuerſam obſeruationem noſtram, cum noſtrarum actionum liberarum, tum alienarum comitetur, eamque exacuamus, dum primo quaeritur, an actio obiectiue *morali legi*, et cui, *conſentanea* ſit; in quo tum attentionem ad eam legem, quae ſolam *rationem* obligationis ſuppeditat, ab ea discernimus, quae reapſe obligat, velut legem eius, quod *indigentia* hominum a me poſtulat, cui contraria eſt ea, quod *ius* eorum deſiderat, (quae quidem poſterior officia eſſentialia praeſcribit, ſed ſuperior officia extraeſſentialia praeſcribit) et ſic varia officia, quae in actione conueniunt, discernere docet. Alterum deinde caput, quo dirigenda attentio videtur, quaeſtione continetur: an etiam actio (ſubiectiue) *propter legem moralem* facta ſit, eaque proinde non modo puritatem moralem, vt actio, habeat, verum etiam, vt animi conſilium, pretium morale, quoad regulam ſubiectiuam. Atqui dubium non eſt, ea exercitatione, conſcientiaque inde naſcentis culturae rationis noſtrae ſolum de actione iudicantis, certum quoddam inuitamentum ipſius legis, proinde actionum honeſtarum et moraliter bonarum produci oportere. Namque ea tandem cara habemus, quorum contemplatione fit, vt ampliorum virium cognoſcendi noſtrarum vſum perſentiſcamus, qui praeſertim iis promouetur, in quibus puritatem moralem deprehendimus; quoniam ſolum poterit ratio talem rerum ordinem facultatibus ſuis comprehendere, ex anticipatione determinandi ex principiis, quae fieri debeant. Nonne perſcrutatori naturae carae res fiunt, in quas initio ſenſus eius offenderunt, cum ingentem illam conuenientiam organiſationis in iis aperit, atque

ita rationem suam iis contemplandis pascit? nonne Leibnitius, quod per microscopium diligenter contemplatus esset, insectum clementer in folium reposuit, quoniam eius adspectu se sensit edoctum, ab eoque quoddam quasi beneficium accepit.

Verum hoc facultatis iudicandi negotium, quo fit, vt nostras proprias cognoscendi vires persentiscamus, nondum ipsum est inuitamentum actionum earumque moralitatis. Eo solum efficitur, vt libenter in eiusmodi diiudicatione versentur, virtutique siue animi ingenio morali, formam impertit pulcritudinis, quae admiratione quidem accipitur et laudatur, sed propterea nondum expetitur, potiusque alget; quemadmodum cuncta, quorum contemplatione subiectiue conscientia efficitur concentus nostrarum repraesentationum, et qua vniuersam nostram cognoscendi facultatem (intelligentiam et phantasiam) videmus corroboratam, oblectatio efficitur, quae cum aliis quoque possit communicari, in qua nihilominus exsistentia rei nihil nostra intersit, propterea quod ea tantummodo vt occasio spectatur dotis in nobis indolisque supra animalem naturam excellentis aperiendae. Iam vero et *altera* exercitatio accedit, nempe vt in viua repraesentatione consilii moralis in exemplis, puritas voluntatis declaretur, primo quidem solum vt perfectio illius negatiua, quatenus nulla actionis propter officium susceptae cum elateribus inclinationum vt rationibus determinantibus contagio videtur; quo tironis ad conscientiam *libertatis* attentio acuitur; et quamquam ea abdicatione initio sensus doloris excitatur, tamen eo, quod tironem illum ipsi necessitatum verarum coactioni eripit, illi simul liberationem a vario taedio isto pollicetur, quod ex hisce necessitatibus cunctis capit, animumque parat, ad sensum tranquillitatis percipiendum. Animus quippe onere leuatur, quo semper occulte premitur, cum homini in consiliis puris moralibus, quorum exempla proponuntur, interna quaedam, ei alioquin ipsi ne satis quidem cognita facultas, *libertas interna*, aperitur, ab importuno inclinationum impetu ita sese liberandi, vt nullius, ne vel carissi-

mae quidem, cum consilio, ad quod nos nunc adhibere rationem debeamus, contagio videatur. In causa, cum *egomet solus modo* scio, me in culpa versari, et quamuis ingenua confessio illius, promissioque satisfactionis vanitatem, studiumque vtilitatis propriae, ipsamque haud iniustam iram erga eum, quem laeseram, tantopere offendat, tamen eas omnes potero dubitationes negligere, nihilominus conscientia vacuitatis inest inclinationum fortunarumque, possibilitatisque sibi ipsi satis se iudicandi, continetur, quae omnino mihi etiam alio respectu salutaris videatur. Iam fit, vt lex officii, per pretium positiuum, quod ex faciendo illo persentiscimus, eo faciliorem aditum inueniat per *obseruantiam nostri ipsius* in conscientia libertatis nostrae. Atque in hac, si bene constituta sit, si homo nihil vehementius auersetur, quam si in explorando se intus ex sua ipsius sententia se reprobandum intelligat, quodque bonum poterit consilium morale propagari; quoniam ea optima, quid? quod vna custodia videtur, qua stimuli turpes noxiique ab animo possint arceri.

Quibus quidem regulam maxime generalem methodologiae formationis exercitationisque moralis volui indicare. Cum varietas officiorum peculiares cuiusque eorum generis determinationes postulasset, prolixumque laborem iniunxisset, satis me excusatum iri confido, si in eiusmodi libello, qui solum in prolusione versatur, in hac delineatione consistam.

CONCLVSIO.

Res sunt duae, quae animum implent admiratione et reuerentia perpetuo noua et augescente, quo saepius atque diutius cogitatio in iis occupetur: *caelum stellatum supra me, et lex moralis in memet.* Vtrumque neque tamquam obscuritatibus inuolutum, aut in transscendenti, extra orbem cognitionis meum, anquirendum ac solum suspicandum videtur; coram me video proximeque cum conscientia exsistentiae meae coniungo. Illud caelum stellatum a loco incipit, quem in mundo sensibili externo occupo, coniunctionemque, in qua collocatus sum, amplificat in

infinite magnum mundis super mundis et systematibus super systematibus, praeterea quoque in tempora infinita motus eorum periodici, eiusque initium ac durationem. Haec lex moralis a memet ipso nullius adspectui subiecto instituit, a personalitate mea, et memet in mundo proponit, qui veram infinitatem habet, sed intelligentiae solum peruestigabilis videtur, atque in quo memet (eoque etiam simul cum vniuersis illis, qui sub adspectum cadunt, mundis), non vti illic, fortuito, sed vniuerse necessarioque coniunctum intelligo. Ille adspectus mundorum innumerabilium delet quasi dignitatem meam, vt *naturae animalis*, quam, vnde enata est, materia, planetae (soli puncto in rerum vniuersitate) reddere debet, posteaquam per breue tempus (quomodo? nescias) vi vitali praedita fuit. Sed alter auget adspectus pretium meum dignitatemque, vt *intelligentiae*, admodum, per personalitatem, in qua lex moralis vitam mihi patefacit, ab animali natura ipsoque mundo sensibili vniuerse liberam vacuamque, certe quantum ex determinatione conueniente exsistentiae meae per eam legem, non ad determinationes terminosque huius vitae adstrictae, sed in infinitum tendentis, potest diiudicari.

Verum admiratio obseruantiaque ad inuestigationem quidem incitare possunt atque adlicere, non vero defectum illius resarcire. Quid igitur faciendum erit, vt hanc vtiliter queamus reique excellentia digne instituere? Exempla in eo et monitioni esse possunt, et quoque imitationi. Contemplatio mundi profecta est ab adspectu praestantissimo, quem vmquam possunt humani sensus proponere, et intelligentia nostra, quam late pateant, persequi, et finiit tandem in interpretatione astrorum. Philosophia moralis in excellentissima humanae naturae virtute initium cepit, cuius explicatio et cultura infinitam vtilitatem prospectat, finiitque in fanatismo, aut superstitione. Tale fatum est periculorum omnium adhuc rudium, in quibus maxima negotii pars ex vsu pendet rationis, qui haud, vti vsus pedum, exercitatione crebra, sponte venit, praesertim si proprietates attingat, quae non possunt ita proxime in experientia vulgari proponi. Posteaquam vero, quamquam serius,

regula subiectiua illa frequentata erat, vt omnes gradus ante probe perpenderentur, quod natura factura est, et non nisi in orbita viae methodique prius bene perpensae iter facere concedatur, diiudicatio systematis mundi longe aliter directa est, cum eaque simul exitum perquam felicissimum inuenit. Casus lapidis, motus fundae, in elementa viresque in eo se exserentes solutus, mathematiceque elaboratus perspicientiam huius rerum vniuersitatis claram posteritatique cunctae immutabilem effecit, quae, continuata obseruatione, sperare possit, vt, sese perpetuo amplificaturam, numquam vero retrogressuram, metuendum videatur.

Hanc igitur viam in tractandis naturae nostrae initiis dotibusque moralibus vt nos quoque ingrediamur, exemplo illo possumus adduci spemque de simili euentu bono concipere. In promtu sunt exempla rationis moraliter iudicantis. Quibus in conceptus suos elementares resolutis, deficiente *mathesi* vero, vt tractatio *chemiae* similis, empiricorum ab rationalibus *separandorum*, repetitis periculis in intelligentia communi instituatur, vtrumque *purum*, et, quod quisque per se solus possit praestare, certo ostendere, atque ita, partim errori *rudis* adhuc atque inexercitatae diiudicationis, partim (quod longe magis necessarium est) *extrauagationibus ingenii* occurrere, quibus, vt ab adeptis lapidem philosophorum fieri solet, sine vlla inuestigatione ab ratione instituta, naturaeque cognitione, somniati thesauri promittuntur, verique perduntur. Verbo, scientia (critice quaesita methodiceque instituta) est porta illa angusta, quae ad *sapientiae doctrinam* ducit, si haec non solum dicatur, quid *facere* debeas, verum etiam *doctoribus* esse debeat pro norma, vt via ad sapientiam, quam quisque debet ingredi, bene distincteque muniatur, aliisque erroribus caueatur; cuius quidem scientiae custos semper, necesse est, philosophia maneat, cuius subtilem indagationem populus non curat, sed tamen *doctrinas* curare debet, quas, facta eiusmodi tractatione, demum dilucide poterit perspicere.

IMMANVELIS KANTII

CRITICE FACVLTATIS IVDICANDI.



PRAEFATIO.

Facultas cognoſcendi ex principiis praeconceptis dici poterit *ratio pura* ac genuina, inueſtigatioque poſſibilitatis ac terminorum illius generatim critice rationis purae ac ſimplicis: quamquam vocabulo huiusce facultatis ſolum rationem in vſu eius theoretico intelligimus, quod etiam eo nomine factum eſt in opere primo, facultate illius, vt ratione practica, ex peculiaribus iſtius principiis nondum ſub inueſtigationem vocata. Illa tum facultatem noſtram ſpectat, res ex anticipatione cognoſcendi; et proinde tantummodo in *facultate cognoſcendi* occupatur, ſeclufis et ſenſu voluptatis taediique, et facultate adpetendi; et in facultatibus cognoſcendi verſatur ea in *intelligentia* ex principiis illius anteceptis, excluſa *iudicandi facultate* ac *ratione* (vtpote facultatibus ad theoreticam cognitionem itidem neceſſariis), quoniam in progreſſu inueniemus, nullam aliam cognoſcendi facultatem, praeterquam intelligentiam, principia cognoſcendi conſtitutiua poſſe ex anticipatione ſuppeditare. Quamobrem critica, quae cunctas, pro ea, quam quaeque cognitionis verae poſſeſſae ex propria quaſi radice habere dixerit, partes cernit atque examinat, nihil quidquam reliqui facit, praeterquam quod, vt legem naturae, quippe complexui phaenomenorum, (quorum forma pariter ex anticipatione data eſt atque oblata) intelligentia praecipit ex anticipatione; omnes autem conceptus puros alios amandat ad ideas, noſtrae cognoſcendi facultati theoreticae transſcendentes, neque tamen fere inutiles aut ſuperuaca-

neas, ſed principiis inſeruientes regulatiuis: partim vt metuendae vſurpationes depellantur intelligentiae, quaſi ea propterea ex anticipatione poteſt conditiones poſſibilitatis rerum omnium, quas cognoſcere poteſt, indicare, eo quoque poſſibilitatem omnium omnino rerum hisce terminis incluſerit, partim vt ea ipſa in contemplanda natura ex principio perfectionis, quamuis eam numquam adſequi queat, ducatur, eoque finis vltimus vniuerſae cognitionis promoueatur.

Igitur proprie *intelligentia* ſua ditione gaudet et quidem in *facultate cognoſcendi*, quatenus illa conſtitutiua in ſe continet cognoſcendi principia ex anticipatione, quae quidem per criticam generatim ſic dictam rationis purae contra omnes reliquos competitores in poſſeſſione poni tuta debuit, ſed aliqua. Pariter *rationi* quoque, quae nuspiam niſi ſolum reſpectu *facultatis adpetendi* principia in ſe conſtitutiua ex anticipatione cohibet, in critica rationis practicae poſſeſſio attributa videtur.

An vero *facultatis iudicandi*, quae in ordine facultatum cognoſcendi noſtrarum inter intelligentiam rationemque media eſt, itidem principia ſint ex anticipatione; an haec conſtitutiua vel ſolum regulatiua videantur (et proinde nullam ditionem propriam euincunt) an ea denique ſenſui voluptatis taediique, medio quippe inter facultatem cognoſcendi vimque adpetendi, (perinde atque intelligentia priori, ſed poſteriori leges ex anticipatione praecipit) ex anticipatione regulam praeſcribat; id vero eſt, in quo haec critica facultatis iudicandi occupatur.

Critica rationis purae et genuinae, hoc eſt, facultatis noſtrae ex principiis iudicandi praeſumtis atque anteceptis, minus plena foret, niſi critica facultatis iudicandi, quae per ſe vt facultas cognoſcendi eodem iure vtitur, vt peculiaris pars illius pertractaretur; quamquam non eſt, cur principia illius in ſyſtemate philoſophiae purae partem peculiarem inter theoreticam practicamque conſtituant, ſed pro re nata cuique vtriusque per occaſionem queant adiungi. Etenim, ſi quando eiusmodi ſyſtema nomine generali metaphyſices perfici debeat atque abſolui (quod ſane fieri poterit vt efficiatur plene, ad vſumque rationis omni reſpectu longe grauiſſimum eſt); critica, fundum huiusce aedificii, oportebit, antea tam profunde, atque primum fundamentum facultatis principiorum ab experientia liberorum, ſitum eſt, perſcrutata ſit, ne in vlla parte quadam illud nutet, id quod ruinam totius neceſſario efficeret.

Ex natura autem facultatis iudicandi (cuius rectus vſus tam neceſſarius atque vniuerſe vtilis eſt, vt proinde nomine intelligentiae communis nulla alia, praeter hanc eamdem facultatem intelligatur) facile poteſt intelligi, inventionem principii illius proprii (vllum enim quodpiam, neceſſe eſt, ex anticipatione complectatur, quoniam alioquin qua peculiaris cognoſcendi facultas, vel vulgariſſimae criticae expoſita foret) multis difficultatibus obſitam eſſe, quod nihilominus haud oportebit ductum eſſe a conceptibus ex anticipatione; quippe qui ad intelligentiam pertinent, et facultas iudicandi ſolum illius vſum attingit.

Itaque ipſa conceptum indicare debebit, per quem proprie nulla res cognoſcitur, ſed qui modo illi ipſi pro regula ſit, ſed non pro obiectiua, cui ſuum queat iudicium aptare, quoniam ad id rurſus alia iudicandi facultate opus foret, vt, locumne hic regula habeat an minus, poſſit diſcerni.

Haec difficultas de principio (ſiue ſubiectiuum illud quidem ſit, ſiue obiectiuum) obuia potiſſimum in iis diiudicationibus eſt, quas aeſtheticas dicimus, quae pulcrum et ſublime, naturae artisue, attingunt. Et tamen diſquiſitio critica principii facultatis iudicandi in iis caput eſt critices huiusce facultatis. Etſi enim per ſe ſolae nihil quidquam conferunt ad res cognoſcendas, tamen ad ſolam pertinent cognoſcendi facultatem, adfectionemque proximam huiusce facultatis ad ſenſum voluptatis taediique ex vllo quopiam principio anticipato teſtantur, neque eam cum eo, quod eſſe ratio poteſt determinandae facultatis adpetendi confundunt, propterea quod huius principia praeſumta in notionibus inſunt rationis. — Verum in natura quidem logice diiudicanda, vbi experientia legalitatem proponit in rebus, ad quas intelligendas enodandasue vniuerſalis conceptus intelligentiae de ſenſibili haud amplius ſuppetit, et iudicandi facultas ex ſe ipſa poteſt principium relationis rei naturalis ad ſupraſenſibile haud cognoſcendum promere, illudque etiam duntaxat ſui ipſius reſpectu ad cognoſcendam naturam adhibere debet, eiusmodi principium anteceptum ad *cognitionem* naturarum mundanarum et poteſt adhiberi, et debet, ſimulque

prospectus illud aperit rationi practicae vtile: verum nulla illius ad sensum voluptatis taediique proxima adfectio est, quae ipsa est obscuritas in principio facultatis iudicandi, qua fit, vt peculiaris descriptio in critica huiusce facultatis necessaria videatur, cum diiudicatio logica ex conceptibus (ex quibus numquam consequentia proxima ad sensum voluptatis dolorisque poterit effici) parti fere theoreticae philosophiae, vna cum circumscriptione eorum critica, potuisset adiungi.

Cum inuestigatio facultatis gustus, vt facultatis iudicandi aestheticae, hoc loco non ad formandum poliendumque gustum (haec enim sine omni tali inuestigatione, vt huc vsque, ita et porro quoque, iter suum faciet), sed solum respectu transscendentali instituatur; ratione imperfectionis finis illius cum conniuentia, spero, ea diiudicabitur. Sed respectu posterioris finis seuerissimum examen illi exspectandum videtur. Verum ibi quoque magna difficultas soluendi problematis, ab natura tantopere intricati, excusationi esse, opinor, potest, obscuritatis cuiusdam in explicando illo haud prorsus euitandae, si modo satis manifesto demonstrauerimus, principium rite declaratum videri; vt modus phaenomeni iudicandi facultatis inde deriuandi haud omni polleat perspicuitate, quam alibi, nempe in cognitione ex conceptibus, iure possis desiderare, quam equidem quoque altera huiusce operis parte mihi videor consecutus esse.

Quo quidem vniuerso meo negotio critico finem impono. Sine vlla haesitatione ad rationem nunc doctrina-

lem progrediar, vt, ſi fieri poſſit, ſenectutis aggraueſcentis meae quodammodo opportunum tempus lucrer. Per ſe intelligitur, facultatis iudicandi nullam in eo partem peculiarem eſſe, quoniam reſpectu illius critica locum theoriae occupat; verum, diuiſa philoſophia in theoreticam et practicam, puraque in easdem partes, metaphyſicam naturae morumque negotium illud effecturam fore.

INSTITVTIO.

I.

DE PHILOSOPHIAE PARTITIONE.

Recte quidem faciunt, qui, quod fieri folet, philofophiam, quatenus principia cognitionis rerum rationalis (non folum, vti logica, principia formae cogitandi in genere, nullo rerum adhibito discrimine) ex conceptibus continet, in *theoreticam* et *practicam* diuidunt. Tum vero conceptus quoque, principiis huiusce cognitionis rationalis rem fibi fubiectam indicantes, in fpecie differant, neceffe eft, quoniam alias nullam poteftatem facerent diuifionis, qua femper principiorum ponitur oppofitio cognitionis rationalis ad diuerfas fcientiae partes pertinentis.

Eft autem duplex genus conceptuum, totidem diuerfa poffibilitatis rerum illis fubiectarum principia admittentium: nimirum *conceptus naturae*, et *conceptus libertatis*. Cum autem illis (conceptibus naturae) fit, vt poffit effe cognitio *theoretica* ex principiis praefumtis, alter autem (conceptus libertatis) refpectu illius tantummodo principium negatiuum (folius oppofitionis) iam in conceptu fuo contineat, contra ea vero determinandae voluntatis decreta dilatantia, quae propterea practica dicuntur, ftabiliat: philofophia in duas partes, quoad principia prorfus diuerfas iure diuiditur, fcilicet in *philofophiam naturalem*, et practicam vt *philofophiam moralem* (fic enim legislatio rationis practica ex conceptu libertatis vocatur.) Verum permagnus huc vsque horum verborum abufus in diuidendis principiis variis, cum iisque in philofophia quoque, obtinuit: propterea quod quae practica ex conceptibus naturae cum iis, quae ex conceptu libertatis practica funt, eadem putarentur, atque ita, iisdem vocabulis philofophiae theoreticae et practicae, efficeretur diuifio, qua (cum vtrique parti eadem effe principia poffent) nihil omnino quidquam diuifum videretur.

Scilicet voluntas, vt facultas adpetendi vna est variarum in mundo causarum naturalium, quippe ea, quae agit ex conceptibus; omniaque, quae vt per voluntatem possibilia (aut necessaria) cogitantur, practice possibilia (vel necessaria) dicuntur, ad possibilitatem necessitatemue effecti physicam distinguendam, cuius causa haud per conceptus (sed, vti in materia inanimata, per mechanismum, in bestiisque, per impetum) ad causalitatem determinatur. — Hoc loco respectu practici indefinitum relinquitur, vtrum conceptus, qui causalitati voluntatis regulam praecipit conceptus naturae sit, an conceptus libertatis.

Hoc vero discrimen posterius essentiale videtur. Quodsi enim conceptus causalitatem effectionemque determinans conceptus naturae sit, principia *technice practica* erunt; sin autem conceptus sit libertatis, ea principia *moraliter practica* videntur: quoniamque in partienda scientia rationali tantummodo de diuersitate agitur rerum illi subiectarum, quarum cognitio variorum principiorum indiget, priores ad partem philosophiae theoreticam (vt physicam) pertinebunt, reliquis autem solis altera pars (vt doctrina morum) philosophia practica efficietur.

Vniuersae regulae technice practicae (id est, artis dexteritatisque generatim, vel etiam prudentiae, vt dexteritatis hominum eorumque voluntatis adficiendorum), quatenus earum principia posita sunt in conceptibus, duntaxat vt corollaria sunt ad philosophiam theoreticam referendae. Eae namque solum spectant possibilitatem rerum ex conceptibus naturae, quo non solum adiumenta pertinent, quae in natura deprehenduntur, verum voluntas ipsa (vt facultas adpetendi, proinde vt facultas naturalis) quatenus ea per elateres naturae potest, regulis illis conuenienter determinari. Verum tamen eiusmodi regulae practicae non leges (vt fere physicae) dicuntur, sed solum praescriptiones: et idcirco quidem, quoniam voluntas non solum conceptui naturae subest, verum etiam conceptui libertatis, cuius quidem respectu principia illius leges vocantur, et, cum consequentibus suis, alteram philosophiae partem, nimirum practicam, sola constituunt.

Quam minus ſolutio problematum geometriae purae ad peculiarem illius partem pertinet, aut geometria nomine omnino digna eſt geometriae practicae, quo a pura discernatur, vt altera pars geometriae: tam minus, quin multo minus ars mechanica aut chemica experimentorum obſeruationumque phyſices pars practica putanda erit, oeconomia denique, agricultura, politia, ars hominibus vtendi, praeceptio diaetetices, nec vel ipſa felicitatis doctrina vniuerſalis, adeoque ne domatio quidem coercitioque inclinationum animique motuum, ad philoſophiam practicam adnumeranda eſt, nec his altera philoſophiae pars generatim conſtituenda; ſiquidem cunctae duntaxat regulas continent dexteritatis, quae proinde tantummodo technice practicae videntur, ad edendum effectum, quod ex conceptibus naturae cauſarum et effectorum fieri poteſt, quae, cum ad philoſophiam theoreticam pertineant, praeceptionibus illis, vt meris ex ea (phyſica) corollariis ſubiectae ſunt, nec proinde in philoſophia peculiari, practica dicta, locum poſſunt exſpectare. Contra praeceptis moraliter practicis, quae ſolum conceptu libertatis, rationibus determinandae voluntatis ex natura prorſus ſecluſis, nituntur, peculiaris quaedam praeceptorum ratio efficitur: quae itidem, vti, quibus natura paret, regulae, ſimpliciter leges vocantur, non vero, vti hae, in conditionibus ſenſitiuis, verum in principio ſupraſenſibili poſitae, pone partem philoſophiae theoreticam, per ſe ſolae aliam partem poſtulant, quae philoſophia practica adpellatur.

Ex quo intelligitur, complexu praeceptorum practicorum, quae philoſophia proponit, haud peculiarem quamdam, theoreticae adiunctam, illius partem effici, propterea quod practica ſint; id enim eſſe poſſent, etiamſi principia illorum prorſus forent e cognitione naturae theoretica (vt regulae technice practicae) deprompta; verum idcirco, quia et cum principium illorum minime a conceptu naturae, qui ſemper ſenſitiue hypotheticus eſt, deſumtum eſt, proinde in ſupraſenſibili, quod ſolius libertatis conceptus per leges formales diſtinguit, poſitum, eaque proinde moraliter practica, id eſt, haud ſolum praecepta ac regulae

hoc illoue respectu, sed nulla relatione ad fines atque consilia antegressa, leges videntur.

II.

DE DITIONE PHILOSOPHIAE IN GENERE.

Quam late vsus patet conceptuum praesumtorum, tam late quoque patet facultatis nostrae cognoscendi ex principiis, et simul etiam philosophia.

Sed complexus vniuersarum obiectarum rerum, ad quas conceptus illi referuntur, vt, si fieri queat, cognitio earum perficiatur, pro diuersa firmitate vel imbecillitate facultatum nostrarum ad hunc finem, potest diuidi.

Conceptus, quatenus ad res referuntur obiectas, nulla ratione habita, an cognitio earum esse possit nec ne, *campum* habent, qui solum ex adfectione rei illis subiectae ad nostram cognoscendi facultatem in vniuersum, determinatur. — Ea pars huiusce campi, in qua nobis esse cognitio poterit, *territorium* est horum conceptuum facultatisque cognoscendi ad id necessariae. Ea vero pars territorii, in quo isti conceptus legislatorii videntur, *ditio* est istorum conceptuum, eorumque facultatum cognoscendi. Ergo conceptibus experientiae territorium quidem est in natura, vt complexu rerum, quae sub sensus cadunt, omnium, nulla vero ditio, sed modo *domicilium;* propterea quod legibus quidem conuenienter gignuntur, non vero legislatorii sunt, sed regulae in iis constitutae empiricae, proinde fortuitae videntur.

Vniuersae facultatis cognoscendi nostrae duplex ditio est, et conceptuum naturae, et conceptus libertatis; per vtramque enim ea ex anticipatione legislatoria est. Cui quidem congruenter philosophia quoque in theoreticam et practicam dispescitur. Verum, in quo ditio illius instituitur legislatioque *exercetur*, territorium nihilominus tamen continetur complexu rerum vniuersae, quae potest esse, experientiae obnoxiarum, quatenus eae non nisi vt mera phaenomena accipiuntur; alias namque nulla intelligentiae legislatio posset respectu illarum cogitari.

Legislatio per conceptus naturae per intelligentiam efficitur, eaque theoretica eſt. Sed legislatio per conceptum libertatis fit per rationem, et ſolum practica videtur. Duntaxat in iis, quae actionem ſpectant ratio poteſt legislatoria eſſe; reſpectu cognitionis theoreticae (naturae) ea ſolum (vt legum perita, interuentu intelligentiae) ex legibus datis per concluſiones poteſt conſequentia elicere, quae ſemper tamen ſolummodo in natura conſiſtunt. Contra, vbi regulae practicae ſunt, ratio haud idcirco erit continuo legislatoria, ſiquidem illae poſſunt etiam technice practicae eſſe.

Quamobrem intelligentiae rationisque duae legislationes diuerſae ſunt in vno eodemque territorio experientiae, neutra alteri quidpiam derogante. Quam parum enim conceptui naturae cum legislatione per libertatis conceptum contagionis eſt, tam parum hic quoque legislationem perturbat naturae. — Poſſibilitas, conſiſtentiam vtriusque legislationis facultatumque ei propriarum in eodem ſubiecto certe ſine repugnantia cogitandi, critica rationis purae vicit, propterea quod, quibus occurreretur, dubia illuſione dialectica in iis aperienda tolleret.

Quod vero hae ditiones duae diuerſae, quae non quidem in legislatione ſua, verum tamen in effectis ſuis in mundo ſenſibili perpetuo ſe circumſcribunt, haud *vnam* efficiunt, cauſa eſt, quod conceptus naturae res ſibi ſubiectas in viſione quidem, ſed non vt res per ſe ipſas, verum vt ſola phaenomena, contra libertatis conceptus in re ſibi obnoxia rem per ſe ipſam quidem, ſed non in viſione proponere, proinde neutri cognitionem theoreticam rei ſibi ſubiectae (et vel ipſius ſubiecti cogitantis) vt rei per ſe ipſius ſuppeditare poteſt; id quod ſupraſenſibile foret, cuius quidem idea poſſibilitati omnium illarum rerum experientiae obnoxiarum ſubſternenda eſt, ea ipſa vero numquam poteſt cognitio fieri nec amplificari.

Igitur indefinitus campus eſt, ſed quoque inacceſſus vniuerſae facultatis cognoſcendi noſtrae, nimirum campus

ſupraſenſibilium, cuius nobis nullum territorium videmus, proinde in eo conceptibus neque intellectualibus nec rationalibus ditionem habere cognitionis theoreticae poſſumus; quem campum quidem in gratiam vſus rationis cum theoretici, tum practici, ideis conſerere debemus, quibus vero reſpectu legum ex conceptu libertatis, nullam aliam poſſumus realitatem, quam practicam impertire, quibus proinde cognitio theoretica noſtra minime ad ſupraſenſibilia dilatatur.

Quamquam immenſo quidem hiatu ditio conceptus naturae, vt ſenſibilis diſtet a ditione conceptus libertatis, vt ſupraſenſibilis, ita vt ab illa ad hanc (proinde per vſum rationis theoreticum) nulla fieri transitio queat, quaſi totidem mundi forent diuerſi, quorum prioris cum poſteriori nulla eſſe poſſit contagio: haec tamen *debet* in illam vim exſerere, nimirum conceptus libertatis finem per leges ſuas propoſitum in mundo ſenſibili dare effectum debet; naturaque proinde quoque ſic cogitetur neceſſe eſt, vt conuenientia formae illius certe cum poſſibilitate finium in ea efficiendorum ex legibus libertatis conſpiret. — Ergo ratio ſit *vnitatis* ſupraſenſibilium, oportebit, quae naturae fundamento ſunt, cum iis, quae conceptus libertatis practice complectitur, quorum conceptu, etſi nec theoretice, nec practice ad cognitionem illorum peruenit, proinde nulla propria ditione gaudet, tamen efficitur, vt fieri transitio queat a cogitandi modo ex principiis vnius, ad cogitandi modum ex principiis alterius.

III.

DE CRITICA FACVLTATIS IVDICANDI, VT ADIVMENTO DVARVM PHILOSOPHIAE PARTIVM IN TOTO QVODAM CONIVNGENDARVM.

Critices facultatum cognoſcendi reſpectu eorum, quae poſſunt ex anticipatione praeſtare, proprie nulla eſt ditio ratione rerum obiectarum; ſiquidem ea nulla doctrina eſt, ſed tantummodo anquirit ea inueſtigatque, an et quomodo, pro ratione facultatum noſtrarum, doctrina fieri per eas

poſſit. Campus illius ad omnes earum petitiones extenditur, vt eas terminis legitimis coerceat. Quod autem non poteſt in diuiſionem philoſophiae ingredi, illud tamen poterit, vt pars primaria, ingredi criticam facultatis cognoſcendi purae in vniuerſum, ſi ſcilicet principia contineat, per ſe nec ad vſum theoreticum, nec ad practicum idonea.

Conceptus naturae, qui fundamentum complectuntur vniuerſae cognitionis theoreticae ex anticipatione, niti vidimus intelligentiae legislatione; ſed conceptum libertatis, fundamentum continens omnium ſenſitiue abſolutorum practicorum praeceptorum ex anticipatione poſitum vidimus in legislatione rationis. Ambarum igitur facultatum, praeterquam quod quoad formam logicam ad principia, vnde illa cumque orta fuerint, queant adhiberi, ſua cuiusque propria, quoad materiam, legislatio eſt, qua nulla eſt alia (ex anticipatione) ſuperior, quaque proinde philoſophiae in theoreticam et practicam diuiſio confirmatur.

Verum in familia facultatum cognoſcendi ſuperiorum tamen adhuc quoddam membrum medium eſt intelligentiam inter et rationem. Idque in *facultate* cernitur *iudicandi*, quam eſt cur ad rationem ſimilium ſuſpiceris pariter, vt haud propriam legislationem, tamen principium quoddam proprium, certe ſolum ſubiectiuum ex anticipatione in ſeſe continere: cui, etſi nullus campus foret rerum obiectarum vt ditio illius, tamen vllum quodpiam eſſe territorium poterit, et quaedam illius conditio, ad quam ipſam ſolum hocce poſſet principium valere.

Huc vero accedit (vt ex ſimilium ratione iudicemus) noua praeterea ratio facultatis iudicandi cum alio quodam virium repraeſentatiuarum noſtrarum ordine copulandae, quae copulatio quidem maioris eſſe momenti videtur, quam ratio adfinitatis cum familia facultatum cognoſcendi. Namque omnes animi vires, vel facultates, ad hac tres poſſunt reuocari, quae haud vlterius queant ex communi

fundamento deriuari, quae quidem sunt: *facultas cognoscendi, sensus voluptatis taediique*, et *facultas adpetendi* *). Facultati cognoscendi sola intelligentia est legis-

*) Vtile erit, conceptuum, quibus pro principiis empiricis vtimur, si est cur suspiceris, eos facultati cognoscendi purae ex anticipatione adfines esse, huius relationis causa, definitionem experiri transscendentalem, scilicet per categorias puras, quatenus his solis iam discrimen conceptus praesentis ab aliis satis indicant ac declarant. In quo quidem exemplum sequimur mathematici, data problematis sui empirica indefinita relinquentis, solamque in synthesi illarum pura relationem conceptibus arithmetices purae sub icientis, quo efficitur vt eorum solutio latius pateat. — Similem mihi rationem (crit. rat. pract. pag. 10. Vol. III. praefat.) vitio mihi nonnulli verterunt, et definitionem facultatis adpetendi, vt *facultatis qua per suas repraesentationes causa fiat exsistentiae rerum repraesentationibus istis subiectarum*, reprehenderunt: propterea quod mea *optata* etiam adpetitiones essent, quibus quisque concedat solis non posse rem illis subiectam effici atque produci. — Verum hoc nihil amplius probat; quam adpetitiones quoque in homine esse, quibus secum ipse homo pugnare videatur: propterea quod per repraesentationem suam *solam* operam dat obiectae rei producendae, quam támen haud poterit exspectare, quoniam sibi conscius est, vires suas mechanicas (si ita dici liceat, quae haud psychologicae sunt), quae per repraesentationem illam deberent determinari, ad rem obiectam (proinde eum interuentu) efficiendam aut idoneae sunt nec sufficiunt, aut adeo aliquid spectant, quod fieri non potest, velut vt factum infectum reddatur (o mihi praeteritos etc.), aut impatienter exspectando interuallum posse, vsque ad momentum exoptatum in nihilum verti. Quamvis in eiusmodi adpetitionibus insanis imbecillitatis (atque etiam inutilitatis) repraesentationum nostrarum rerum iis subiectarum efficiendarum conscii simus; tamen relatio illarum, vt causa, proinde cogitatio *causalitatis* earum, in quouis *optato* continetur, in primisque tum conspicitur, cum optatum istud in motu animi cernitur et perturbatione, nimirum in *desiderio*. Namque eiusmodi motus animi eo, quod cor expandunt et flaccidum reddunt, atque ita vires exhauriunt, declarant, vires per repraesentationes repetitis viribus contendi, sed animum respectu impossibilitatis perpetuo rursum sinere in delassationem recidere. Ipsis precibus de auertendis magnis, et quantum intelligi licet, necessariis malis, multisque adiumentis superstitiosis ad fines per naturam rerum impossibiles consequendos,

latoria, cum illa (vti quoque fieri debet, si per se, haud confusa cum facultate adpetendi consideretur) vt facultas *cognitionis theoreticae* ad naturam refertur, cuius respectu solo (vt phaenomeni,) fieri potest, vt per conceptus naturae praesumtos, qui proprie conceptus sunt intellectuales puri, leges condamus. — Facultati adpetendi, vt facultati superiori ex libertatis conceptu, solum ratio (in qua sola hic conceptus locum habet) legislatoria est ex anticipatione. — Atqui inter facultatem cognoscendi et adpetendi medius voluptatis sensus, vti intelligentiam inter et rationem iudicandi vis media continetur. Ergo certe in antecessum suspicandum videtur, facultatem iudicandi pariter per se principium quoddam ex anticipatione continere, cumque cum facultate adpetendi voluptas taediumue necessario coniuncta sit (siue, vti in facultate adpetendi inferiori, principium illius antecedat, siue, velut in superiori, solum ex determinatione eius per legem moralem consequatur), pariter a facultate cognoscendi pura, id est, a ditione conceptuum naturae ad ditionem conceptus libertatis transitus effecturam fore, atque per eam efficitur, vt in vsu logico fieri ab intelligentia transitio possit ad rationem.

Quamquam igitur philosophia in partes duas potest, in theoreticam et practicam diuidi; quamquam, quae de principiis propriis facultatis iudicandi dicere possimus, cuncta in ea ad partem theoreticam, hoc est, ad cognitio-

relatio causalis demonstratur repraesentationum ad res iis subiectas, quae adeo non potest per conscientiam imbecillitatis ad efficiendum a nisu conatuque retineri. — Quid autem causae sit, quare in naturam nostram inclinatio ad adpetitiones cum conscientia vacuas atque inanes, indita fuerit, quaestio est anthropologica teleologica. Videtur si haud prius ad adhibendas vires determinaremur, quam certi fuerimus de firmitate facultatis nostrae ad quampiam obiectam rem efficiendam, vires maximam partem mansuras fore haud vsurpatas. Fit enim plerumque vt eo demum vires nostras cognoscamus, quod eas experimur. Ergo haec illusio in votis inanibus duntaxat consequens est benignae cuiusdam institutionis in nostra natura.

nem rationalem ex conceptibus naturae, accenſeri deberent; tamen critica rationis purae, quae vniuerſa haec, antequam illud ſyſtema ſuſcipiat, in gratiam poſſibilitatis illius, conficere debet, tribus partibus conſtat: et critica intelligentiae purae, et facultatis iudicandi purae, et rationis purae, quae quidem facultates propterea purae dicuntur, quod legislatoriae ſunt ex anticipatione.

IV.

DE FACVLTATE IVDICANDI, VT FACVLTATE LEGISLATORIA EX ANTICIPATIONE.

Facultas iudicandi in genere cernitur in facultate ſpeciale vt complexum generali cogitandi. Quodſi generale (regula, principium, lex) datum ſit, facultas iudicandi, quae ad illud ſpeciale adſumit, (etiam, cum vt facultas iudicandi transſcendentalis, ex anticipatione conditiones indicat, quibus conuenienter ſolum poteſt ad generale illud adſumi) *determinans* eſt. Cum autem ſpeciale datum eſt, ad quod generale illi inueniendum eſt, tum facultas iudicandi eſt *reflectens*.

Facultas iudicandi determinans ſub vniuerſalibus legibus transſcendentalibus, ab intelligentia dictatis, duntaxat adſumens eſt; lex ei ex anticipatione praeſcripta eſt, nec ea proinde opus habet, vt per ſe ipſa de lege cogitet, vt ſpeciale in natura rerum ſubordinare vniuerſali queat. — Verum tam variae naturae formae ſunt, tam multae quaſi mutationes vniuerſalium conceptuum naturae transſcendentalium, qui per leges illas, quas intelligentia pura dictat ex anticipatione, quoniam illae ſolum poſſibilitatem ſpectant naturae (vt rei ſenſibus obnoxiae) generatim, indeterminati relinquuntur, vt eorum quoque leges ſint, neceſſe videatur, quae quidem, vt empiricae, ex *noſtro* quidem intellectu fortuitae fuerint, quae tamen, ſi dici leges debeant, (vti quoque conceptus naturae poſtulat) ex principio quodam vnitatis variorum, quamuis nobis ignoto, vt neceſſariae ſpectandae videntur. — Facultas iudicandi reflectens, cui, vt a ſpeciali in rerum natura ad vniuerſale

adſcendat, in officio eſt, indiget principii cuiusdam, quod non poteſt ab experientia depromi, quoniam illud eam ipſam vnitatem omnium principiorum empiricorum ſub principiis debet itidem empiricis ſed altioribus conſtituere. Eiusmodi principium transſcendentale igitur facultas iudicandi reflectens ſibi duntaxat ipſa poteſt legem ferre, haud aliunde petere (quoniam ea alias iudicandi vis determinans foret), neque naturae praecipere; quoniam de naturae legibus reflexio ad naturam ſeſe, nec haec ſe ad conditiones adcommodat, ex quibus reſpectu huius conceptum illius prorſus fortuitum nobismet cupimus comparare.

Iam principium illud nullum poteſt aliud eſſe, quam: vt, cum legum naturae vniuerſalium fundamentum in noſtra intelligentia ſit, natura eas (quamuis ſolum ex conceptu illius vt naturae vniuerſali) praecipiente, ſingulares leges empiricae reſpectu eorum, quae in iis per illas indeterminata manſere, ad eiusmodi vnitatem conſiderari debeant, quaſi itidem intelligentia quaedam (licet haud noſtra) eas in gratiam facultatis cognoſcendi noſtrae dediſſet, quo fieri ſyſtema experientiae poſſet ex legibus peculiaribus naturae. Non. vt ſi hoc modo reapſe eiusmodi intelligentia ſumenda foret (ſolum enim facultati iudicandi reflectenti haec idea principio eſt reflexionis, non vero determinationis); verum haec facultas eo ſibi ipſa legem fert, non naturae.

Quoniam vero conceptus obiectae rei, quatenus is ſimul rationem continet exſiſtentiae huiusce rei obiectae, *finis* dicitur, concentusque cuiuspiam rei cum ea rerum qualitate, quae ſolum poteſt ex finibus fieri, *conuenientia* formae earum vocatur: ſequitur, vt principium facultatis iudicandi ratione formae rerum naturalium ſub legibus empiricis vniuerſe, *conuenientia naturae* in eius varietate efficiatur; ſcilicet natura per hunc conceptum repraeſentatur, quaſi intelligentia quaedam rationem vnitatis variorum in legibus eius empiricis contineat.

Ergo conuenientia naturae cernitur in peculiari conceptu praeſumto, cuius origo ſolum ſit in iudicandi facul-

tate reflectente. Neque enim effectis naturae eiusmodi quidpiam, vti adfectio naturae in iis ad fines, potest attribui, sed conceptus iste tantummodo poterit adhiberi, vt de ea respectu coniunctionis phaenomenorum in ea, ex legibus empiricis data, reflectamus. Iam hic conceptus abhorret totus a conuenientia practica (artis humanae vel morum quoque), quamquam ex similitudine illius quadam cogitatur.

V.

PRINCIPIVM CONVENIENTIAE FORMALIS NATVRAE PRINCIPIVM EST TRANSSCENDENTALE FACVLTATIS IVDICANDI.

Principium transscendentale illud dico, per quod conditio vniuersalis ex anticipatione repraesentatur, qua sola fit, vt res vniuerse possint cognitioni nostrae subiectae esse. Contra principium metaphysicum vocatur, quod conditionem ex anticipatione repraesentat, qua sola efficitur, vt res obiectae, quarum conceptus datus esse empirice debet, ex anticipatione queant vlterius determinari. Veluti principium cognoscendorum corporum, vt substantiarum vtque mutabilium substantiarum, transscendentale est, cum eo enunciatur, eorum mutationem habere caussam oportere; sed metaphysicum erit, cum eo pronunciatur, eorum mutationem fieri per caussam *externam* oportere: quoniam in illo corpus duntaxat per praedicata ontologica (conceptus intelligentiae puros), exempli gratia, vt substantia, cogitari poterit, vt enunciatum ex anticipatione cognoscatur; in hoc altero autem conceptus corporis empiricus (vt rei in spatio mobilis) huic pronunciato constituendus est, tum vero, corpori hoc praedicatum posterius (motus solum per caussam externam) competere, prorsus poterit ex anticipatione perspici. — Sic, vti mox ostendam, principium conuenientiae naturae (in varietate legum illius empiricarum) principium transscendentale est. Etenim conceptus rerum obiectarum, quatenus vt huic principio subiectae cogitantur, tantummodo conceptus purus est rerum,

quae poteſt eſſe, cognitioni experientiae ſubiectarum vniverſe, neque quidquam continet empirici. Contra ſi principium conuenientiae practicae, quae in idea *determinandae voluntatis* liberae cogitanda eſt, principium metaphyſicum foret; propterea quod conceptus facultatis adpetendi vt voluntatis tamen empirice detur, neceſſe eſt (non ad praedicata transſcendentalia pertinet). Ambo tamen principia haud empirica ſunt, ſed principia praeconcepta: quoniam ad praedicatum cum conceptu empirico ſubiecti iudiciorum illorum copulandum nulla opus eſt experientia vlteriori, ſed copulatio ea ex anticipatione poterit perſpici.

Conceptum conuenientiae naturae ad principia transſcendentalia pertinere, ſatis poteſt ex normis intelligi facultatis iudicandi, quae inueſtigationi naturae ex anticipatione conſtituuntur, quaeque tamen nihil quidquam ſpectant, niſi poſſibilitatem experientiae, proinde cognitionis naturae, non vero ſolum vt naturae vniuerſe, ſed vt naturae per varietatem legum peculiarium determinatae. — Vt ſententiae ſapientiae metaphyſicae, occaſione multarum regularum, cuius non poteſt neceſſitas ex conceptibus euinci, in progreſſu huius ſcientiae, ſatis frequenter, ſed ſparſim, occurrunt. „Natura iter breuiſſimum inſtituit „(lex parſimoniae); nihilominus nullum ea ſaltum facit, „nec in ſucceſſione mutationum ſuarum, nec compoſitione „formarum ex ſpecie diuerſarum (lex continui in natura); „magna illius varietas in legibus empiricis nihilominus in „vnitate verſatur ſub paucis principiis (principia praeter „neceſſitatem non ſunt multiplicanda): et caetera generis „eiusdem.“

Quodſi vero principiorum cogites originem monſtrare, illudque in via tendes pſychologica, prorſus contra ſenſum eorum ages. Neque ea enim, quae fiant atque eueniant, enunciant, hoc eſt, ex qua regula vires cognoſcendi noſtrae reapſe luſum ſuum agant, et quomodo iudicetur, ſed potius, quomodo debeat iudicari; et tum haec neceſſitas logica obiectiua neutiquam efficitur, cum principia ſolummodo empirica videntur. Ergo conue-

nientia naturae nostris cognoscendi facultatibus earumque vsui, qui manifesto ex iis elucet, principium est iudiciorum transscendentale, et proinde quoque opus habet deductione transscendentali, cuius ope ratio sic iudicandi in fontibus cognitionis est ex anticipatione anquirenda.

Nimirum in rationibus possibilitatis experientiae primo sane quidpiam necessarium inuenimus, nempe leges vniuersales, sine quibus natura vniuerse (vt res sub sensus subiecta) non potest cogitari; et eae positae sunt in categoriis, ad conditiones adhibitis formales vniuersae, quae nobis esse potest, visionis, quatenus ea quoque ex anticipatione data est atque oblata. Inter eas leges igitur iudicandi facultas determinans est: neque illi nihil quidquam agendum est aliud, quam vt ad leges datas adsumat. Velut intelligentia dicit: cuiusque mutationis quaedam causa est (lex naturae vniuersalis); nullum nunc aliud facultatis iudicandi transscendentalis negotium est, quam vt conditionem adsumtionis ad conceptum intelligentiae propositum ex anticipatione indicet: eaque est successio determinationum vnius eiusdemque rei. Naturae igitur vniuerse (vt rei, quae possit esse, experientiae obnoxiae) lex illa vt absolute necessaria agnoscitur. — Iam vero res cognitioni empiricae subiectae, praeter conditionem illam temporis formalem, vario praeterea modo determinatae sunt, aut, quantum ex anticipatione potest iudicari, determinabiles, ita vt naturae specie diuersae, praeterquam quae iis sunt, vt ad naturam vniuerse pertinentibus, communia, modis adhuc infinite variis esse causae possunt; et quisque modorum istorum (ex conceptu causae generatim) regulam, necesse est, habeat, quae lex sit, proinde necessitatem in sese cohibeat: quamquam per naturam et carceres nostrarum cognoscendi facultatum, nullo pacto possumus necessitatem eam perspicere. Ergo necesse est, vt in natura, respectu legum illius mere empiricarum, possibilitatem cogitemus legum empiricarum infinite variarum, quae tamen sint nostrae perspicientiae fortuitae (non possint ex anticipatione cognosci); earumque respectu vnitatem naturae ex

legibus empiricis diiudicamus et possibilitatem vnitatis experientiae (vt systematis ex legibus empiricis), vt fortuitam. Quoniam autem eiusmodi vnitas tamen necessario ponenda est ac sumenda, cum alioquin nullus perpetuus cognitionum empiricarum in toto experientiae quodam locum contextus haberet, eo quod leges naturae vniuersales eiusmodi contextum quidem rerum quoad earum speciem, vt res naturae in vniuersum, sed non speciatim, vt tales essentiae naturae peculiares, suppeditant; sequitur, vt facultas iudicandi in vsum suum proprium pro principio ex anticipatione sumat, id, quod perspicientiae humanae fortuitum videtur, in peculiaribus (empiricis) naturae legibus nihilominus vnitatem continere legalem in coniunctione variorum in experientia per se possibili, nobis quidem haud peruestigandam, sed tamen cogitabilem. Ergo, quoniam vnitas legalis in coniunctione, quam fini cuidam necessario, necessitati cuidam, conuenienter intelligentiae, sed simul tamen vt per se fortuitam cognoscimus, vt conuenientia obiectarum rerum (hoc loco naturae) proponitur; sequitur, vt facultas iudicandi, quae ratione rerum sub possibilibus (adhuc aperiendis) legibus, solum reflectens est, naturam harum respectu ex *principio conuenientiae* cogitet nostrae facultati cognoscendi, id quod in superioribus facultatis iudicandi normis enunciatur. Hic autem conceptus transscendentalis conuenientiae naturae aut naturae conceptus est, aut conceptus libertatis, quoniam nihil quidquam rei is obiectae (naturae) tribuit, sed vnum duntaxat modum repraesentat, quo in reflexione super rebus naturae subiectis respectu experientiae perpetuo cohaerentis nosmet componere debeamus, proinde principium subiectivum (normam) facultatis iudicandi; hinc fit, vt, quasi de casu quodam fortunato ad scopum nostrum consiliumque prospero, laetati (proprie ab indigentia quadam liberati) sumus, cum eiusmodi vnitatem systematicam in legibus mere empiricis deprehendimus: quamquam necessario nos sumere oportebat, eiusmodi vnitatem esse, quam tamen nec perspicere possemus, nec probare.

Vt de veritate huius deductionis conceptus praesentis, ac de necessitate sumendi illum pro principio cognoscendi transscendentali, tibi persuadeatur, cogita magnitudinem problematis: ex perceptionibus datis naturae varietatem omnino infinitam legum empiricarum continentis experientiam cohaerentem efficere atque continuam, quod quidem problema ex anticipatione in nostra inest intelligentia. Sunt quidem intelligentiae ex anticipatione leges naturae vniuersales, sine quibus ea nulla prorsus posset res esse experientiae obnoxia: verum ea praeterea indiget quoque certo quodam naturae ordine, in regulis illius peculiaribus, quae illae cumque possunt empirice sibi innotescere, quaeque respectu sui fortuitae videntur. Quae quidem regulae, sine quibus nullus ab analogia vniuersali experientiae possibilis generatim ad specialem progressus locum haberet, ei vt leges cogitandae sunt (h. e. necessario): quoniam iis alias nullus naturae ordo efficeretur, quamquam neutiquam necessitatem earum ea cognoscit, aut vnquam non posset perspicere. Etsi igitur respectu illarum (rerum obiectarum) nihil ea quidquam potest ex anticipatione determinare ac decernere, tamen, ad has leges, quas dicunt, empiricas indagandas, principium, oportebit, anteceptum, ex iis scilicet fieri posse ordinem naturae cognoscibilem, vniuersae de iis reflexioni fundamento constituat, cuiusmodi principium his modis enunciatur: in natura subordinationem esse generum et formarum nobis comprehensibilem; illa (genera) rursus inuicem principia cuidam communi adpropinquare, vt fieri transitio queat ab vno ad alterum eoque ad genus altius; cum diuersitatis specialis effectorum naturalium totidem formas esse causalitatis sumendas, initio intelligentiae nostrae haud posse vitari videatur, ea tamen tenui principiorum numero subesse posse, in quibus conquirendis nobis versandum sit, et caetera generis eiusdem. Hic naturae cum nostra cognoscendi facultate concentus a vi iudicandi, in gratiam suae de ea reflexionis, ex legibus illius empiricis, ex anticipatione supponitur; siquidem intelligentia illam simul obiectiue vt fortuitam agnoscit, solumque facultas iudicandi naturae illam vt conuenientiam

transſcendentalem (reſpectu facultatis cognoſcendi ſubiecti) attribuit: quoniam, niſi haec ſupponatur, nullus naturae ordo ex legibus empiricis, proinde nullum filum Ariadneum experientiae inueſtigationisque illius cum his quoad vniuerſam eius varietatem inſtituendae haberemus.

Namque cogitari poteſt, quantacumque ſit rerum naturalium cum legibus vniuerſalibus conformitas, ſine quibus forma cognitionis experientiae generatim nullo modo locum haberet, ſpecialem empiricarum naturae legum diuerſitatem, vna cum effectis earum, tamen eſſe tantam poſſe, vt per intelligentiam noſtram fieri nequeat, vt ordo aperiatur perſpicuus effectorum illius in genera et ſpecies diuidendorum, vt principia enodationis intellectusque vnius ad enodationem intellectumque alterius adhibeantur, atque ex materia nobis adeo confuſa (proprie duntaxat infinite varia, facultati comprehendendi noſtrae minus congrua) experientia cohaerens atque continua efficiatur.

Itaque facultati iudicandi itidem principium ineſt poſſibilitatis naturae praeſumtum, ſed modo reſpectu ſubiectiuo, quo, haud naturae quidem (vt autonomia), verum ſibi ipſa (vt heteronomia) legem praecipit de illa reflectendi, quae *lex* poſſet *ſpecificationis naturae* vocari reſpectu legum illius empiricarum, quam ex anticipatione in ea haud cognoſcit, ſed in gratiam ordinis illius intelligentiae noſtrae cognoſcibilis in legibus illius vniuerſalibus ſumit diuidendis, cum his varietatem vult ſpecialium ſubordinare. Quodſi ergo dicatur: natura leges vniuerſales ſuas ex principio convenientiae facultati cognoſcendi noſtrae proponit id eſt, ad congruentiam cum intelligentia humana in negotio ſuo neceſſario: ad ſpeciale, quod ei perceptio miniſtrat, vniverſale, ad diuerſumque (cuique formae vniuerſale quidem) viciſſim coniunctionem in vnitate principii inueniendi; eo quidem neque naturae lex praecipitur, nec quidquam ab ea obſeruando diſcitur (quamquam hac poterit principium illud confirmari). Neque enim principium eſt facultatis iudicandi determinantis, ſed modo reflectentis; tantummodo ſententia eſt, oportere neceſſario, vtcumque ad leges

vniuerſales ſuas compoſita ſit, ex illo principio normisque in eo conſtitutis leges ſuas empiricas indagare, quoniam, tantummodo quatenus illud locum habet, intelligentia noſtra vtenda progredi in experientia poſſumus, cognitionemque acquirere.

VI.

DE SENSV VOLVPTATIS CVM CONCEPTV CONVENIENTIAE NATVRAE CONIVNGENDO.

Cuius quidem mentionem fecimus, concentus naturae in varietate legum illius ſpecialium cum indigentia noſtra, vniuerſalitatem inueniendi principiorum illius, quantum equidem intelligo, vt fortuitus, diiudicandus eſt, nihilominus tamen, pro indigentia intelligentiae noſtrae, vt neceſſarius, proinde vt conuenientia, qua natura cum noſtro, ſed ſolum cognitionem ſpectante, fine conſilioque conſpirat. — Vniuerſales leges intelligentiae, eaedemque leges naturae, illi perinde neceſſariae ſunt (quamquam ex ſpontaneitate ortae), ac leges motus materiae; earumque geneſi nullus finis ſupponitur facultatis cognoſcendi noſtrae, quoniam iis tantummodo illius, quod cognitio rerum (naturae) eſt, primo conceptum haurimus, eaeque neceſſario naturae competunt, vt res cognitioni noſtrae vniuerſe ſubiectae. Verum, ordinem naturae ſecundum leges ſpeciales eius in varietate ac disſimilitudine omnem vim comprehendendi noſtram ſuperante certe poſſibili, tamen huic vere conſentaneum eſſe, quantum nos quidem intelligere poſſumus, fortuitum videtur; eiusque inuentio opus eſt intelligentiae, quod cum reſpectu ad finem illius neceſſarium, quippe vt vnitas principiorum illi inferatur, tractatur: quem finem quidem tum tribuere naturae debet facultas iudicandi, quoniam ea de re nullam legem poteſt intelligentia praecipere.

Cuiusque finis conſecutio cum ſenſu coniuncta eſt voluptatis, et, ſi conditio conſequendi finis cernitur in repraeſentatione praeconcepta, vti hoc loco in principio facultatis iudicandi reflectentis vniuerſe, etiam ſenſus voluptatis

per rationem quamdam ex anticipatione determinatus est, atque ita vt ad quemque pertineat: et quidem solum obiecta re ad facultatem cognoscendi transferenda, et sic quidem vt conuenientiae conceptus hoc loco nullo modo respiciat adpetendi facultatem, ideoque ab omni naturae conuenientia practica distinguatur.

Ac profecto quidem, cum congruentiae perceptionum cum legibus ex conceptibus naturae vniuersalibus (categoriis) ne minimam quidem effectionem in sensum voluptatis in nobis deprehendamus, nec deprehendere possimus, quoniam intelligentia haud ex consilio ea in re, sed per naturam suam necessario agit; fit, vt ex altera parte duarum pluriumue legum naturae empiricarum heterogenearum ratio in vno quodam principio vtramque complectente conciliandarum causa sit voluptatis cuiusdam perquam insignis, saepenumero adeo admirationis, vel eiusmodi, quae haud cessat, quamuis iam satis nobis res illi subiecta cognita videatur. Ex natura quidem facili comprehensu, eiusque vnitate in diuidendo ad genera et species, quo solo fit, vt esse possint conceptus empirici, quibus eam ex legibus peculiaribus cognoscamus, nullam fere voluptatem percipimus: verum ea profecto suo tempore percepta fuit, et solum idcirco, quoniam non posset absque illa experientia vulgarissima exstare, paullatim ea cum sola cognitione confusa est, neque amplius separatim animaduersa. — Igitur quidpiam, quo mentis acies in diiudicanda natura ad conuenientiam illius pro intelligentia nostra dirigitur, nimirum studium opus est, leges illius heterogeneas, si fieri possit, altioribus, quamquam semper etiamnum empiricis, subiiciendi, vt, si successerit, in hoc concentu earum ad facultatem cognoscendi nostram, quam solum vt fortuitam consideramus, voluptatem persentiscamus. Contra repraesentatio naturae prorsus, nobis displicitura foret, qua nobis praediceretur, in minima nos inuestigatione vltra vulgarissimam experientiam, dissimilitudinem illius legum offensuros fore, qua efficeretur, vt fieri per intelligentiam nostram non posset coniunctio legum

ſpecialium illius in empiricis vniuerſalibus; ſiquidem iſtud principio cum ſpecificationis in generibus eius ſubiectiue conuenientis, tum facultati iudicandi reflectenti noſtrae reſpectu huiusce ſpecificationis repugnat.

Haec ſuppoſitio facultatis iudicandi nihilominus adeo parum determinat, quam longe debeat conuenientia naturae idealis illa pro noſtra cognoſcendi facultate extendi, vt, ſi nobis dicatur, profundiori ampliorique naturae cognitione per obſeruationem offendi demum varietatem legum oportere, quas nulla queat humana intelligentia ad vnum principium reuocare, etiam contenti ſimus, quamuis audiamus libentius, aliis nobis ſpem excitari, quo magis interiora naturae cognituri ſimus, aut cum membris externis nobis in praeſentia ignotis comparare poſſemus, eo illam in principiis ſimpliciorem, atque in opinata legum empiricarum disſimilitudine conformiorem eam nos fore deprehenſuros, quo longius experientia noſtra progrederetur. Etenim iuſſum eſt facultatis iudicandi noſtrae, vt ex principio congruentiae naturae cum facultate noſtra cognoſcendi agamus, quo vsque ea ſuppetat, nec vero (quoniam ea non in iudicandi facultate determinante verſatur, quae eam nobis regulam praecipit) an illius vspiam termini ſint, nec ne, decernamus; propterea quod reſpectu quidem vſus rationalis facultatum cognoſcendi noſtrarum poſſumus fines ac terminos ſtatuere, nulla vero in campo empirico terminorum poteſt conſtitutio fieri.

VII.

DE REPRAESENTATIONE AESTHETICA CONVENIENTIAE NATVRAE.

Id quod in repraeſentatione cuiusdam rei obiectae ſolum ſubiectiuum eſt, hoc eſt, relationem illius efficit ad ſubiectum, non vero ad rem obiectam, qualitas illius aeſthetica videtur; quod vero in ea ad rem obiectam (ad cognitionem) determinandam facit, vel adhiberi poteſt, eo quidem illius valor logicus efficitur. In cognitione rei ſenſibus ſubiectae vtraque relatio occurrit. In repraeſentatione

ſenſitiua rerum extra me poſitarum, qualitate ſpatii, in quo eas videmus et intuemur, ſolum ſubiectiuum meae illarum repraeſentationis (quo, quid vt res per ſe ſint, in medio relinquitur) efficitur, cuius quidem relationis cauſa res obiecta quoque eo tantummodo vt phaenomenon cogitatur; ſpatium autem, quamuis qualitate gaudeat mere ſubiectiua, nihilominus tamen pars eſt cognitionis rerum qua phaenomenorum. *Senſatione* (hoc loco externa) pariter mere ſubiectiua ratio noſtrarum repraeſentationum rerum extra nos poſitarum, exprimitur, ſed proprie materiale (reale) earum (quod quidpiam exſtans in rerumque veritate adparens datur), ac ſpatio ſola forma ex anticipatione poſſibilitatis illarum viſionum; et nihilominus illa quoque ad cognoſcendas res obiectas extra nos poſitas vtimur.

Ea vero repraeſentationis ſubiectiua ratio *quae nullo modo pars poteſt cognitionis fieri*, cernitur in *voluptate taedioue* cum ea coniuncta; per eam enim nihil quidquam in re repraeſentationi ſubiecta cognoſco, quamquam ea quidem cerni in effecto poteſt vllius cuiuspiam cognitionis. Atqui conuenientia cuiuspiam rei, quatenus in perceptione repraeſentatur, nulla quoque qualitas eſt obiectae rei ipſius (quippe quae percipi non poteſt), quamuis ex rerum cognitione quadam queat concludi. Conuenientia proinde, quae cognitionem rei cuiusdam obiectae antecedit, atque adeo, etſi repraeſentatione illius ad cognitionem vti nolis, nihilominus cum ea proxime coniungitur, cernitur in ratione illius ſubiectiua, quae nulla prorſus pars cognitionis fieri poteſt. Ergo res obiecta tum ſolum propterea conueniens dicitur, quoniam eius repraeſentatio proxime cum ſenſu voluptatis coniuncta videtur; eaque repraeſentatio ipſa eſt aeſthetica repraeſentatio conuenientiae. — Quaeritur modo, an omnino ſit eiusmodi conuenientiae repraeſentatio.

Quodſi cum ſola formae rei cuiuspiam viſioni obnoxiae adprehenſione, ſine relatione illius ad conceptus cognitionis cuiusdam determinatae, voluptas coniuncta eſt; repraeſentatio eo haud ad rem obiectam, ſed ſolum ad

fubiectum refertur; et voluptate nihil aliud poterit exprimi, quam conuenientia illius cum facultatibus cognofcendi, quae in vi iudicandi reflectenti mouentur, et quatenus eae mouentur, ergo folum conuenientia rei obiectae fubiectiua formalis. Illa enim formarum in phantafia adprehenfio numquam fieri poteft, nifi facultas iudicandi reflectens, etiam fine confilio, eas cum vi fua, vifionum ad conceptus referendarum, comparet. Quodfi ergo in hac comparatione phantafia (vt facultas vifionum ex anticipatione) ad intelligentiam, vt facultatem conceptuum, repraefentatione data haud confulto in concentum ponatur, eoque fenfus quidam excitetur voluptatis, tum res obiecta vt conueniens facultati iudicandi reflectenti confideranda videtur. Eiusmodi iudicium eft iudicium aefthetícum de conuenientia rei obiectae, quod nullo praefenti rei obiectae conceptu nititur, nullumque illius conceptum fubminiftrat. Cuius obiectae rei forma (non materiale repraefentationis eius, vt fenfatio) in fola de illa reflexione (nullo refpectu habito conceptus de ea comparandi) vt ratio et caufa voluptatis ex repraefentatione eiusmodi rei obiectae diiudicatur; cum eius repraefentatione hanc voluptatem quoque vt neceffario coniunctam iudicamus, proinde vt haud folum fubiecto, hanc formam adprehendenti, verum cuique omnino iudicanti. Res obiecta tum pulcra adpellatur; et facultas, per eiusmodi voluptatem (ergo et vniuerfaliter) iudicandi, guftus vocatur. Namque cum ratio voluptatis ponatur folum in forma rei obiectae in gratiam reflexionis generatim, proinde in nulla obiectae rei fenfatione; et quoque fine relatione ad conceptum, qui vllum quempiam finem contineret; fola erit legalitas in facultate iudicandi empirice vtenda vniuerfe, (vnitas phantafiae et intelligentiae) in fubiecto, quacum repraefentatio rei obiectae in reflexione, cuius conditiones ex anticipatione valent, confpirat; cumque ea confpiratio concentusque obiectae rei cum facultate fubiecti fortuita fit, fit, vt per eam repraefentatio conuenientiae illius refpectu facultatum cognofcendi fubiecti efficiatur.

Hic igitur voluptas eſt, quae, vti omnis voluptas taediumue, quae haud per conceptum libertatis (id eſt, per antegreſſam facultatis ſuperioris adpetendi ex ratione pura determinationem) efficitur, numquam poteſt ex conceptibus, vt cum repraeſentatione obiectae rei neceſſario coniuncta, perſpici, ſed ſemper duntaxat per perceptionem reflexam vt cum hac coniuncta, oportebit, cognoſcatur, ergo, quemadmodum cuncta iudicia empirica, nullam neceſſitatem obiectiuam indicare poteſt, neque ex anticipatione valere. Verum, iudicium guſtus, arrogat ſibi, vt quodque aliud iudicium empiricum, valorem vniuerſalem, quod, quamuis fortuita ratio illius interna ſit, fieri tamen poteſt. Mirabilis atque inſolens ratio ineſt modo in eo, quod non conceptus empiricus eſt, ſed ſenſus voluptatis (proinde nullus omnino conceptus), quod tamen per iudicium guſtus, quaſi praedicatum foret cum cognitione rei obiectae coniunctum a quouis homine poſtulari debet et cum repraeſentatione illius copulari.

Iudicium experientiae ſingulum, velut ab eo, qui in cryſtallo montano mobilem guttam aquae percipit, iure poſtulat, vt quemque alium pariter ſic percipere neceſſe ſit, quoniam hocce iudicium, ex conditionibus facultatis iudicandi determinantis, ſub legibus experientiae poſſibilis vniuerſe tulit. Pariter is, qui in ſola reflexione de forma cuiuſpiam obiectae rei, nullo habito conceptus cuiuſpiam reſpectu, voluptatem percipit, quamuis hocce iudicium empiricum ſit et ſingulum, iure cuiusque adſenſum poſtulat; quoniam cauſa ratioque huiusce voluptatis in conditione vniuerſali, quamquam ſubiectiua iudiciorum reflectentium deprehenditur, nempe in conuenientia rei cuiusdam obiectae (ſiue ea in effectu naturae cernatur, ſiue artis) cum ratione facultatum cognoſcendi erga ſe inuicem, quae ad quamque cognitionem empiricam deſideratur (ad phantaſiam intelligentiamque). Voluptas proinde in iudicio guſtus ab repraeſentatione quidem empirica pendet, nec cum vllo poteſt conceptu ex anticipatione coniungi (neque enim ex anticipatione decerni poterit, quae res ad guſtum

adcommodata futura sit, sed ea experienda est); verum ea tamen ratio est iudicii determinandi eo solum, quod eam conscii sumus tantummodo reflexione niti conditionibusque vniuersalibus, quamquam subiectiuis modo, conuenientiae illius cum cognitione obiectarum rerum vniuerse, quibus forma conuenit obiectae rei.

Id quod in causa est, quare iudicia aesthetica quoad possibilitatem, quoniam haec principium supponit ex anticipatione, quoque sint criticae subiecta, quamquam principium istud neque in principio cognoscendi in gratiam intelligentiae, neque in practico versatur voluntati adcommodato, ideoque ex anticipatione nullo modo determinans videatur.

Verum receptiuitate voluptatis ex reflexione de rerum (cum naturae tum artis) formis non solum conuenientia rerum obiectarum denotatur respectu facultatis iudicandi reflectentis, conceptui naturae in subiecto conuenienter, sed etiam vice versa subiecti ratione rerum obiectarum formae illius, conceptui libertatis consequenter; eoque fit, vt iudicium aestheticum, non solum qua iudicium gustus, ad pulcrum, verum etiam, vt ex sensu quodam animi ortum, ad *sublime* referatur, atque ita critica illa facultatis iudicandi aestheticae in partes duas his congruas dispescatur.

VIII.

DE REPRAESENTATIONE LOGICA CONVENIENTIAE NATVRAE.

In re obiecta per experientiam data ac oblata conuenientia potest proponi, vel ex ratione mere subiectiua, vt concentu formae eius, in *adprehensione* illius ante omnem conceptum, cum facultate cognoscendi, ad visionem cum conceptibus in vna cognitione vniuerse coniungendam; vel ex ratione obiectiua, vt conuenientia formae illius cum ipsa rei possibilitate, ex conceptu eius praecedente causamque formae huius complectente. Vidimus, repraesenta-

tionem conuenientiae generis superioris positam esse in voluptate proxima ex forma obiectae rei in sola repraesentatione de ea; igitur repraesentatio conuenientiae generis posterioris, cum formam obiectae rei haud ad facultates cognoscendi referat subiecti in ea adprehendenda, sed ad cognitionem rei obiectae determinatam sub dato quodam conceptu, neutiquam sensum voluptatis ex rebus percipiendae attingit, verum intelligentiam in iis diiudicandis. Cum conceptus alicuius rei obiectae datus est, tum negotium facultatis iudicandi versatur in illo ad cognitionem in *exhibitione* vtendum, hoc est, in eo, vt conceptui visio consentanea adponatur: siue istud per propriam phantasiam nostram fiat, vt in architectura, cum conceptum ante formatum cuiusdam obiectae rei, qui nobis pro fine est, effectum damus; siue per naturam in technica illius (vt in corporibus organicis), cum ei conceptum nostrum finis ad effectum eius diiudicandum subiicimus; vbi tum non solum *conuenientia* naturae in forma rei, verum hoc illius effectum vt *finis naturae* repraesentatur. — Quamquam noster conuenientiae subiectiuae naturae cum formis eius ex legibus empiricis conceptus, nullus omnino conceptus sit rei obiectae, sed modo principium iudicandi in hac eius varietate nimia conceptus comparandi; tamen illi eo quasi respectum quemdam tribuimus ad nostram cognoscendi facultatem ex analogia finis; atque ita *pulcritudinem naturae* vt *exhibitionem* conceptus formalis (solius subiectiui) spectare possumus, *finesque naturae* vt exhibitionem conceptus conuenientiae realis (obiectiuae) quarum vnam per gustum (aesthetice, interueniente voluptatis sensu) alteram per intelligentiam rationemque (logice, ex conceptibus) diiudicamus.

In quo quidem nititur diuisio critices facultatis iudicandi in *aestheticam* et *teleologicam*; siquidem *aestheticam* dicimus facultatem diiudicandae conuenientiae formalis (quae alias et subiectiua vocatur) per sensum voluptatis taediique; sed *teleologicam* in facultate ponimus conuenientiae realis (obiectiuae) naturae per intelligentiam rationemque diiudicandae.

Criticae facultatis iudicandi pars, facultatem iudicandi aeſtheticam complectens, eſſentialiter propria eſt, quoniam haec ſola principium continet, quod iudicandi vis prorſus ex anticipatione reflexioni ſuae de natura fundamento conſtituit, nempe principium conuenientiae formalis naturae ex legibus peculiaribus (empiricis) noſtrae cognoſcendi facultati, ſine quibus parum poteſt intelligentia in indaganda illa proficere: cum nulla prorſus ratio adferri queat ex anticipatione, nequidem poſſibilitas eius e conceptu naturae, vt rei ſub experientiam ſubiectae cum vniuerſe, tum ſpeciatim, patet, fines eſſe naturae obiectivos, hoc eſt, res tantummodo vt fines naturae poſſibiles, oportere; ſed ſolum facultate iudicandi quamuis ea nullum principium ex anticipatione in ſeſe cohibeat, in cauſis obuiis (certorum quorumdam effectorum) regulam contineri, ad conceptum finium in gratiam rationis ad vſum transferendum, poſteaquam principium iſtud transſcendentale ad conceptum finis (ſaltem quoad formam) ad naturam adhibendum intelligentiam praeparauit.

Verum decretum transſcendentale, conuenientiam naturae in ſubiectiua ad noſtram cognoſcendi facultatem relatione in forma rei cuiuſpiam vt principium diiudicandae illius ſibi repraeſentandi, prorſus in medio relinquit, vbi et quibus in cauſis diiudicationem, vt effecti cuiuſpiam ex principio conuenientiae debeam, nec potius ſolum ex legibus naturae vniuerſalibus inſtituere, iudicandique facultati *aeſtheticae* relinquit, in guſtu conuenientiam illius (formae) cum noſtris viribus cognoſcendi (quatenus ea haud per concentum cum conceptibus decernit, verum per ſenſum) conficiendam. Contra iudicandi facultas teleologica conditiones adcurate indicat, quibus fiat, vt quidpiam (velut corpus organicum) ex idea finis naturae debeat diiudicari; verum non poteſt decretum adferre iuris ex conceptu naturae, vt rei experientiae obnoxiae, quo illi adfectionem liceat ad fines ex anticipatione attribui, vel etiam duntaxat indeterminate de experientia vera in eiusmodi effectis ſumi: cuius quidem rei cauſa eſt, quod multae experientiae pecu-

liares instituendae et sub vnitate earum principii contemplandae sunt, vt in quadam re obiecta conuenientia obiectiua possit vel modo empirice cognosci. — Ergo vis iudicandi aesthetica peculiaris quaedam facultas est, rerum ex regula quadam, non vero ex conceptibus diiudicandarum. At teleologica non cernitur in facultate quadam peculiari, sed solum facultas iudicandi reflectens generatim, quatenus ea, vti vbique in cognitione theoretica, ex conceptibus, verum respectum certarum rerum naturae subiectarum, ex peculiaribus principiis, nimirum facultatis iudicandi solum reflectentis non vero obiectas res determinantis, agit, proinde quoad vsum ad partem philosophiae theoreticam pertinet, et propter peculiaria principia, quae neutiquam, vti debet in doctrina esse, determinantia sunt, etiam specialem critices partem efficiat, oportebit; cum facultas iudicandi aesthetica nihil quidquam conferat ad res sibi subiectas cognoscendas, ideoque *duntaxat* ad criticam subiecti iudicantis facultatumque cognoscendi illius, quatenus principiorum sunt ex anticipatione capaces, cuiuscumque modi caeteroquin vsus earum (theoreticus an practicus) fuerit, accensenda sit, in qua vniuersae philosophiae propaedeutica versatur.

IX.

DE LEGISLATIONIBVS INTELLIGENTIAE RATIONISQVE PER FACVLTATEM IVDICANDI CONIVNGENDIS.

Intelligentia naturae vt rei sensibus obnoxiae ex anticipatione legislatoria est, ad cognitionem illius theoreticam in experientia possibili. Ratio ex anticipatione legislatoria est in gratiam libertatis propriaeque causalitatis suae, vt suprasensibilis in subiecto, ad cognitionem absolute practicam. Ditio conceptus naturae, sub vna, ditioque conceptus libertatis sub altera legislatione, contra omnem contagionem mutuam, quae per se (ad sua cuique decreta) esse iis inuicem posset, per magnum hiatum illum, quo suprasensibilia diuelluntur a phaenomenis, prorsus separa-

tae seiunctaeque videntur. Conceptus libertatis ratione cognitionis naturae theoreticae nihil quidquam determinat; neque conceptus naturae respectu legum libertatis practicarum; neque eatenus fieri potest, vt ab vna ditione pontem ad alteram exstruamus. — Verum, etiamsi rationes determinantes causalitatis ex conceptu libertatis (regulaeque, quam is continet, practicae) haud sitae sint in natura, et sensibili nequeat suprasensibile in subiecto determinari; tamen fieri hoc retro potest (non quidem respectu cognitionis naturae, sed tamen ratione consequentium e priori ad posteriorem), iamque in conceptu causalitatis per libertatem complexum est, cuius *effectio* fieri his legibus suis formalibus conuenienter in mundo debet, quamquam vocabulum *causae*, de suprasensibili vsurpatum, tantummodo *rationem* denotat determinandae causalitatis rerum naturae ad efficiendum legibus illius propriis conuenienter, simul autem principio legum rationalium conformiter, cuius quidem haud perspici possibilitas potest, verum dubitatio de repugnantia opinata, quae in eo insit, satis confutari *).

Effectio ex conceptu libertatis finis est, qui (cuiusue phaenomenon in mundo sensibili) debet exstare, cuius possibilitatis conditio in natura (subiecti vt naturae sensibilis, nempe vt hominis) supponitur. Id, quod hanc ex anticipatione, nullaque habita ratione practici, supponit,

*) Diuersarum pugnarum opinatarum in tota hac distinctione causalitatis naturae et libertatis vna haec est, cum ei obiicitur: si de *impedimentis* loquar, quae natura causalitati ex legibus libertatis (moralibus) struit, aut de *promotione* illius per eas, tamen illi *vim* memet in hanc posteriorem concedere. Verum, si, quae dicta sunt, modo intelligere velis, facile poterit calumnia euitari. Renisus promotioue non est naturam inter et libertatem, verum inter naturam qua phaenomenon et inter *effecta* libertatis vt phaenomena in mundo sensibili; ipsaque libertatis causalitas (rationis purae et practicae) cernitur in causalitate causae naturalis (subiecti, qua hominis, proinde vt phaenomenon considerati) illi subordinatae, cuius quidem *determinandae* intelligibile, quod in libertate cogitatur, modo caeteroquin (velut idem, quo substratum naturae suprasensibile efficitur) inenodabili, rationem in se continet.

nimirum facultas iudicandi conceptui in conceptibus naturae libertatisque conceptu medio, quo fit, vt esse transitio possit a pura theoretica ad puram practicam, a conuenientia ex superiori ad finem ex posteriori, in conceptu *conuenientiae* naturae subministrat; eo enim possibilitas finis cognoscitur, qui solum in natura potest cumque concentu legum illius effici.

Intelligentia, per possibilitatem legum suarum ex anticipatione naturae praeceptarum, argumento est, hanc a nobis tantummodo vt phaenomenon cognosci, proinde simul iudicio est supraſensibilis cuiusdam illius substrati; quod vero prorsus indefinitum relinquit. Facultas iudicandi per principium anteceptum naturae diiudicandae, ex possibilibus legibus peculiaribus, substrato supraſensibili (cum in nobis tum extra nos) *determinabilitatem* impertit *per facultatem intellectualem*. Ratio vero eidem per legem suam practicam ex anticipatione largitur *determinationem;* atque ita fit, vt per facultatem iudicandi effici transitio queat a ditione conceptus naturae ad conceptum libertatis.

Respectu facultatum animi in genere, quatenus vt superiores, id est, vt tales spectantur, in quibus insit autonomia, *cognoscendi facultati* (theoreticae naturae) intelligentia principia praesumta continet *constitutiua;* sensui *voluptatis taediique* facultas iudicandi est, a conceptibus et sensationibus libera, quae ad determinandam adpetendi facultatem referri possent eoque proxime practicae videri; *vi animi in adpetitu positae* ratio est, quae, nulla quapiam voluptate interueniente, vnde illa cumque exsistat, practica videtur, eique, vt facultas superior, finem determinat, qui simul adprobationem puram intellectualem obiectae rei in se cohibet. — Conceptus facultatis iudicandi de conuenientia naturae pertinet adhuc ad conceptus naturae, sed solum vt principium facultatis cognoscendi regulatiuum; quamquam iudicium aestheticum de certis quibusdam rebus obiectis (naturae artisue), quod ansam praebet, respectu sensus voluptatis taediiue principium constitutiuum videtur. Spontaneitate in lusu facultatum cognoscendi, in quarum concentu ratio inest huiusce voluptatis, conceptus

ille ad coniungendas ditiones conceptus naturae et libertatis in consequentibus illorum idoneus redditur, propterea quod haec simul receptiuitatem promouet animi ratione sensus moralis. — Sequenti tabula perlustratio omnium facultatum superiorum quoad vnitatem earum systematicam reddi poterit facilior *).

*) Mirum nonnullis visum est, diuisiones meas in philosophia pura semper fere tripartitas esse. Hoc vero positum in natura rei videtur. Namque diuisió, si ex anticipatione debet fieri, aut *analytica* erit ex decreto repugnantiae, tumque semper bipartita videbitur (quodlibet ens est aut A aut non A); aut *synthetica*, vbi si ex conceptibus ex anticipatione (non vero, vti in mathesi, ex visione ex anticipatione conceptui consentanea) fieri debeat, necesse est, vt, pro iis, quae ad vnitatem synthericam generatim requiruntur, nimirum 1) conditione, 2) ad conditionem adstricto, 3) conceptuque ex coniungendo eo, quod ad conditionem adstrictum est, cum conditione sua experiente, diuisio per trichotomiam efficiatur.

Cunctae facultates animi	*Facultates cognoscendi*	*Principia ex anticipatione*	*Vsus*
Facultas cognóscendi	Intelligentia	Legalitas	Natura
Sensus voluptatis taediique	Facultas iudicandi	Conuenientia	Ars
Facultas adpetendi.	Ratio.	Finis vltimus.	Libertas.

207

CRITICES FACVLTATIS IVDICANDI

PARS PRIOR.

CRITICE FACVLTATIS

IVDICANDI AESTHETICAE.

SECTIO PRIOR.

ANALYTICE FACVLTATIS
IVDICANDI AESTHETICAE.

LIBER PRIMVS.

ANALYTICE PVLCRI.

MOMENTVM PRIMVM

IVDICII GVSTVS *) QVOAD QVALITATEM.

§. 1.

Iudicium guſtus aeſtheticum eſt.

Vt, pulcrum quidpiam ſit nec ne, diſcernamus, repraeſentationem haud per intelligentiam ad rem cognitioni ſubiectam, ſed per phantaſiam (fortaſſe cum intelligentia coniunctam) ad ſubiectum eiusque ſenſum voluptatis taediiue referimus. Ergo iudicium guſtus nullum eſt iudicium cognitionis, proinde haud logicum, verum aeſtheticum, quod

*) Definitio guſtus, hoc loco fundamento poſita, haec eſt: guſtum in facultate cerni pulcri diiudicandi. Quae autem opus ſint, vt res obiecta quaedam dici pulcra queat, analyſis aperiet iudiciorum guſtus. Momenta, quae in conſiderando reflectendoque haec iudicandi facultas ſpectat, ductu functionum iudicandi logicarum, conquiſiui (namque in iudicio guſtus ſemper adhuc relatio ad intelligentiam continetur). Momenta qualitatis prima ſub rationem vocaui, quoniam iudicium aeſtheticum, de pulcro haec primo reſpicit.

illud vocamus, cuius determinandi ratio *non* poteſt *niſi ſubiectiua* eſſe. Omnis autem repraeſentationum, vel ipſa ſenſationum relatio eſſe obiectiua poteſt (tumque ea reale denotat in repraeſentatione empirica); ſi ab ea discesseris, quae ad tactum ſit ſenſumue voluptatis ac taedii, qua nullum quidpiam in re obiecta deſignatur, ſed in qua ſubiectum, pro eo atque per repraeſentationem mouetur atque adficitur, ſe ipſum ſentit.

Aedificium, cuius partes inter ſe omnes concinunt, facultate cognoſcendi (ſiue diſtincta ſiue confuſa cogitatione) comprehendere, longe quiddam aliud eſt, quam huiusce repraeſentationis cum ſenſatione oblectationis ſibi conſcium eſſe. Hic repraeſentatio tota ad ſubiectum refertur, et quidem ad ſenſum vitae illius, quem ſenſum voluptatis dicimus vel taedii: quo quidem peculiaris quaedam diſcernendi diiudicandique facultas conſtituitur, quae nihil confert ad cognitionem, ſed modo repraeſentationem datam in ſubiecto comparat cum facultate repraeſentationum, cuius ſibi animus conſcius ſit ſtatum ſuum ſentiens. Repraeſentationes datae in iudicio quodam poſſunt empiricae (proinde aeſtheticae) eſſe; ſed iudicium, quod iis ſit, logicum erit, cum illae tantum in iudicio ad rem obiectam referuntur. Sed vice verſa, cum repraeſentationes datae adeo forent rationales, ſed in iudicio quodam ſolummodo ad ſubiectum (ad ſenſum illius) referrentur, tum ſemper erunt aeſtheticae.

§. 2.

Oblectatio, qua iudicium guſtus determinatur, omni omnino inuitamento caret.

Inuitamentum dicitur oblectatio, quam cum repraeſentatione exſiſtentiae cuiusdam rei obiectae copulamus. Quod proinde ſemper ſimul quodam modo adfectum eſt ad vim animi in adpetitu poſitam, aut vt ratio eius determinandae, aut certe vt ratione illius determinandae neceſſario coniunctum. Iam vero, ſi quaeritur, an quidpiam pul-

erum ſit, haud ſcire cupimus, vtrum noſtra, an vllius cuiuspiam exſiſtentia rei interſit, aut modo intereſſe poſſit; verum, quomodo eam in ſola contemplatione (viſione aut reflexione) diiudicemus. Si quis me interroget, an, quod coram video, palatium inueniam pulcrum; dixerim equidem, eiusmodi rebus ſolum ad ſtupendum factis haud memet delectari, aut, vt *Sachemus* ille Iroqueſius, ſibi Lutetiis Pariſiorum nihil magis arridere, quam popinas; praeterea potero cum *Ruſſauio* vanitatem principum increpare, ſudorem populi in res inutiles impendentium; potero denique facile mihi perſuadere, ſi in inſula deſerta, omni ſpe deſtitutus ad homines vmquam perueniendi, verſarer, ſoloque voto poſſem eiusmodi palatium creare, tamen memet id neutiquam fore curaturum, ſi iam caſa foret, apta mihi ſatis et commoda. Haec omnia concedi mihi poterunt atque probari; verum nunc non ſermo de eo videtur. Scire tantummodo auemus, an ſola rei obiectae repraeſentatio in me ſit cum oblectatione coniuncta, quantumuis nihil ad me interſit exſiſtentia rei huic repraeſentationi ſubiectae. Facile intelligitur, de eo agi, quid ex hac repraeſentatione in me ipſe faciam, neutiquam de eo, in quo ab exſiſtentia rei obiectae pendeam, vt eam dicere *pulcram* queam, atque euincere, guſtu memet gaudere. Quisque fateatur neceſſe eſt, illud iudicium, cui minimum ſeſe inuitamentum immiſcet, admodum iniquum nullumque purum guſtus iudicium videri. Ne minimo quidem, oportebit, ſtudio exſiſtentiae rei teneare, prorſusque hoc reſpectu aequus ſis, vt perſonam iudicis ſuſtinere queas in rebus, quae ſpectare guſtum videntur.

Neque vero hanc ſententiam, quae praecipui momenti eſt, haud melius illuſtrare poſſumus, quam ſi oblectationi purae nulloque inuitamento captae *) in iudicio

*) **Iudicium de re oblectationi propoſita ſane quidem in nullo prorſus inuitamento eſſe conſtitutum poteſt, ſed inuitamentum gignit; cuiusmodi omnia ſunt iudicia pura moralia. Verum iudiciis guſtus per ſe nullum omnino inuitamentum conſtituitur. Duntaxat inter ſocios illud inuitamentum paritur, ſi guſtu vtaris, cuius quidem cauſa ratioque in poſterum indicabitur.**

gustus, eam, quae cum inuitamento coniuncta est, opponamus: praesertim si simul esse certi possimus, non plura inuitamenti genera esse, quam quae mox indicabimus.

§. 3.

Oblectatio ex iucundo percepta cum inuitamento est coniuncta.

Iucundum est id, quod sensibus placet in sensatione. Hoc quidem loco sese nobis ansa praebet continuo confusionem maxime frequentatam duplicis significationis illius, quae esse subiecta potest vocabulo sensationis, reprehendendi. Quaeque oblectatio (sic dicunt vel cogitant) ipsa in sensatione (voluptatis cuiusdam) versatur. Proinde quidquid placet, eo ipso, quod placet, iucundum est (et pro variis gradibus vel etiam relationibus ad alias sensationes iucundas, *amoenum*, *suaue*, *delectans*, *laetabile* et sic porro). Quo vero concesso, impressiones sensuum, quibus inclinatio, aut decreta rationis, quibus voluntas, aut solae formae visionum reflexae, quibus vis iudicandi determinatur, quod vim attinet effectionemque in sensu voluptatis, prorsus eaedem videntur. Haec enim iucunditas foret in sentiendo statu, cumque tamen vniuersa tandem nostrarum facultatum tractatio actionem spectet rationemue practicam in eaque sese tamquam in suo quodam scopo debeat coniungere, nulla ab iis alia rerum earumque pretii obseruantia postulari posset, quam quae in voluptate constat, quam pollicentur. Modus, quo eo perueniunt, nil quidquam ad rem facit, cumque eligendis adiumentis solum in eo effici discrimen queat, homines sese inuicem stultitiae imprudentiaeque incusare possent, numquam autem in crimen animi humilis abiectique ac malitiae vocare: siquidem omnes possent, suo quisque modo res videndi, vnam metam cursu expetere, in qua cuiusque inest voluptas.

Cum determinatio sensus voluptatis taediiue sensatio dicitur, tum hoc verbum longe aliud quid denotat, quam cum repraesentationem cuiuspiam rei (per sensus, vt quam-

dam, quae ad facultatem cognoſcendi pertinet, receptiuitatem) ſenſationem adpello. Namque in hac poſteriori cauſa repraeſentatio refertur ad rem obiectam, in illa ſuperiori autem ad ſubiectum, nulloque modo quidquam ad cognitionem facit, ne ad eam quidem, qua ſe ipſum ſubiectum *cognoſcit*.

Sed in definitione illa verbi ſenſationis repraeſentationem intelligimus ſenſuum obiectiuam; et, ne ſemper metuendum ſit, ne calumniam experiamur, id, quod ſemper ſolum manere ſubiectiuum oportet, neque vllam prorſus poteſt repraeſentationem cuiuspiam efficere, nomine alias vſitato ſenſus tactusque notabimus. Color pratorum viridis ad ſenſationem *obiectiuam* pertinet, vt perceptio rei ſenſibus ſubiectae; ſed iucunditas illius ſenſationem ſpectat *ſubiectiuam*, qua nulla res repraeſentatur; hoc eſt, ad ſenſum, quo res vt oblectationi obnoxia (quae non cernitur in eius cognitione) conſideratur.

Iudicio meo vero de re quadam obiecta, quo eam declaro iucundam, inuitamentum quoddam in ea enunciari, inde iam planum eſt, quod per ſenſationem illud cupiditatem eiusmodi rerum excitat, proinde oblectatio non ſolum iudicium de illa ſupponit, ſed relationem exſiſtentiae illius ad ſtatum meum, quatenus per talem rem adficitur ac mouetur. Idcirco iucundum non ſolum dicitur *placere*, ſed etiam *delectare*. Non eſt ſolus adſenſus, quem illi praebeo, ſed ea gignitur inclinatio; tantumque abeſt, vt ad id, quod maxime iucundum ſit, vllum quoddam de qualitate obiectae rei iudicium opus ſit, vt ii potius, qui ſemper ſolum ſibi propoſitam fruitionem habent, (hoc enim vocabulo intima delectatio deſignatur), omni omnino lubenter iudicio ſuperſedeant.

§. 4.

Oblectatio ex bono percepta coniuncta eſt cum inuitamento.

Bonum eſt id, quod interuentu rationis placet, per ſolum conceptum. Nonnulla *rei cuipiam bona* (vtilia)

vocamus, quae placent duntaxat vt adiumentum; aliud autem *per ſe bonum* dicimus, quod per ſe ipſum placet. In vtroque boni genere ſemper ineſt conceptus finis cuiuspiam, proinde adfectio rationis ad (certe poſſibilem) volitionem, ergo oblectatio per *exſiſtentiam* cuiuspiam rei obiectae actionisue, hoc eſt, vllum aliquod inuitamentum.

Vt aliquid bonum iudicem, ſemper ſciam neceſſe eſt, qualis res obiecta videatur, hoc eſt, illius conceptum habeam. Verum hoc non opus eſt ad pulcritudinem in aliqua re deprehendendam. Flores, liberae delineationes, ductus inconſulto in ſe inuicem complicati, quos opus frondiculatum vocamus, nihil quidquam denotant ab nulloque pendent conceptu, et tamen placent. Oblectatio ex pulcro ex conſideratione reflexioneue cuiusdam obiectae rei, ad vllum quempiam conceptum (ad quem liberum erit) pendeat, oportebit; eoque etiam diſtinguitur ab iucundo, quod totum poſitum eſt in ſenſatione.

Saepenumero quidem iucundum idem eſſe cum bono videtur. Sic plerumque dicemus: omnis (in primis durabilis) voluptas per ſe ipſa bona eſt; quod fere hanc vim habet, durabile iucundum eſſe et bonum eſſe, eadem videri. Sed facile intelligitur, hoc ſolum in vitioſa verborum permutatione verſari, cum, qui vocibus iſtis proprie adhaerent, nullo modo conceptus poſſint inuicem permutari. Iucundum, quod, qua tale, obiectam rem tantummodo relatam ad ſenſum repraeſentat, per conceptum cuiuspiam finis principiis rationis demum ſubiiciendum eſt, vt, qua voluntati obnoxium, bonum queat nominari. Quod vero tum in relatione longe alia ad oblectationem verſari, cum, quod delectat, ſimul *bonum* dico, inde poterit intelligi, quod in bono ſemper quaeritur, ſolumne cum interuentu ſit an proxime bonum (vtile an per ſe bonum); cum e contrario in iucundo de eo nullo modo quaeri poſſit, propterea quod hoc verbo ſemper, quod proxime placet, denotetur. (Eademque ratio illius eſt, quod pulcrum vocamus).

Conſuetudine ſermonis vel maxime communi vulgarique iucundum a bono diſtinguitur. Cibum ex condimen-

tis aliisque additamentis ſaporem augentem haud haeſitabundi gratum dicimus ac iucundum, ſimulque, haud bonum eſſe, fatemur; quoniam is proxime quidem ſenſibus *arridet*, cum interuentu vero, hoc eſt, per rationem, quae conſequentia ſpectat, conſideratus, diſplicet. In ipſa valitudinis diiudicatione hoc diſcrimen animaduerti poteſt. Cuique eam tenenti proxime grata eſt atque accepta (certe negatiue, id eſt, vt vacatio ab omni corporis dolore). Verum vt ea dici bona queat, ſimul quoque per rationem ad fines regenda eſt, eam nimirum in ſtatu verſari, qui nos ad negotia noſtra omnia promtos reddat atque alacres. Ac felicitatis quidem reſpectu ſummam tandem maximam (cum quoad copiam, tum quoad durationem) iucunditatum vitae quisque poſſe putat verum, atque etiam ſummum bonum vocari. Verum et iſti quoque ſententiae ratio reluctatur. Iucunditas cernitur in fruitione. Quam ſi ſolam ſpectes, ſtultum foret, anxium eſſe reſpectu adiumentorum, quibus ea poſſit comparari, vtrum patiendo pariatur per munificentiam naturae aut agendo ex propria noſtra effectione. Numquam vero perſuaderi ſibi ratio patietur, exſiſtentiam hominis per ſe pretium habere, ſolum *ad perfruendum* viuentis, vel ſi aliis praeterea, qui cuncti pariter ſolum fruitionem expetunt, vt adiumentum illius maxime conduceret, et propterea quidem, quoniam per conuenientiam coniunctionemque naturae (συμπάθειαν) vniuerſa voluptate ſimul frueretur. Id ſolum, quod, nullo habito fruitionis reſpectu, facit, ex libertate plena vacuusque ab iis vniuerſis, quae natura ſibi perpetiendo quoque poſſet conciliare, exſiſtentiae ſuae, vt exſiſtentiae perſonae pretium impertit abſolutum; nec felicitas cum vniuerſa iucunditatum copia, permultum abeſt vt in bono abſoluto verſetur *).

*) Obligatio ad fruendum manifeſta abſurditas eſt. Eadem ergo quoque opinata ad vniuerſas actiones obligatio erit, quibus ſola fruitio propoſita eſt: vtcumque ea ſpiritualis ſit (diſtinctaue) excogitata, et ſi fruitio ſit vel myſtica quaedam, dicique ſolita caeleſtis.

Verum, vt maxime diuerſum ſit ab iucundo bonum, ambo tamen in eo conueniunt, quod ſemper ſunt cum quodam inuitamento ex re ſibi ſubiecta coniunctum, non ſolum iucundum §. 3, remoteque bonum (vtile), quod vt adiumentum ad vllam quampiam iucunditatem placet, verum etiam abſolute omnique reſpectu bonum, nimirum morale, quod ſummum in ſe inuitamentum cohibet. Namque bonum in re verſatur propoſita voluntati (hoc eſt, facultati adpetendi per rationem determinatae). Sed aliquid velle, et ex eius exſiſtentia capere oblectationem, hoc eſt, quoddam inuitamentum, idem eſt.

§. 5.

Comparatio trium oblectationis generum ſpecie diuerſarum.

Vtriusque, et iucundi, et boni, certa quaedam adfectio eſt ad facultatem adpetendi, atque eatenus oblectationem in ſe continet, nimirum illud pathologice hypotheticam (per ſtimulos), hoc vero puram practicam, quae non ſolum per repraeſentationem rei obiectae, ſed ſimul per coniunctionem ſubiecti cum illius exſiſtentia repraeſentatam determinatur. Non ſolum res obiecta placet, ſed etiam eius exſiſtentia. Quapropter iudicium guſtus ſolum eſt *contemplatiuum*, id eſt, iudicium, quod, reſpectu exſiſtentiae cuiuspiam rei obiectae medium, ſolum qualitatem eius comparat cum ſenſu voluptatis taediique. Nec vero haec ipſa contemplatio conceptus ſpectat; namque iudicium guſtus nullum eſt iudicium cognitionis (neque theoreticum, neque practicum), nec proinde quoque in conceptibus *conſtitutum*, neque *pertinet ad* eos.

Igitur iucundo, pulcro, bono tres repraeſentationum diuerſae ad ſenſum voluptatis taediique adfectiones deſignantur, quarum reſpectu res obiectas, modosue repraeſentandi inter ſe inuicem diſtinguimus. Neque porro vocabula cuique conuenientia, quibus in iis complacentia denotatur, haud eadem videntur. *Iucundum* cuique dicitur,

quod *delectat; pulcrum*, quod solum *placet; bonum*, quod *aestimatur, probaturque*, hoc est, in quo pretium collocatur obiectiuum. Iam vero ad animalia bruta quoque iucunditas valet; sed pulcrum solum ad homines; hoc est, naturas animales, sed tamen ratione instructas, verum quoque non modo qua tales (exempli gratia, spiritus) sed simul qua animales; bonum autem omnino ad quamque naturam rationemque. Quae quidem sententia in sequentibus plenius confirmari poterit et explicari. Dici potest: in vniuersis tribus hisce oblectationis generibus, id, quod in gustu pulcri versatur, vnum soluinque in oblectatione cerni vacua ab inuitamento *liberaque;* nullum enim, nec sensuum, nec rationis, inuitamentum adsensionem extorquet. Idcirco oblectationem dicere posses in tribus causis illis referri vel ad *inclinationem*, vel ad *fauorem*, vel *obseruantiam*. Fauor enim vna libera oblectatio est. Res inclinationi obnoxia, et res, quae per legem rationis nobis adpetenda proponitur, nullam nobis libertatem relinquunt, nobis ipsis ex vlla re quapiam rem voluptati subiectam reddendi. Omne inuitamentum supponit indigentiam, aut parit aliquam; et, qua ratio determinandi adsensus, haud permittit iudicium de re obiecta amplius liberum esse.

Ac respectu quidem inuitamenti inclinationis in iucundo, quisque dicit, famem optimum coquum esse, et cuncta, quibus vesci possis, hominibus sapiunt, recto sanoque adpetitu praeditis; proinde eiusmodi oblectatione nullam ex gustu optionem euincit. Expleta demum indigentia, tum solum distingui poterit, qui ex multis gustum habeat nec ne. Pariter mores sunt sine virtute, comitas sine beneuolentia, decorum sine honesto et sic porro. Vbi enim lex moralis loquitur, ibi, obiectiue, ratione eorum, quae facienda sunt, nulla amplius libera optio relinquitur; gustumque in moribus (aut in aliorum moribus diiudicandis) prodere, longe aliud quid est, quam mentem animi moralem ostendere: haec enim praeceptum continet indigentiamque parit, cum contra gustus moralis in rebus oblectationi subiectis modo ludat, neque vni cuidam adhaereat.

DEFINITIO PVLCRI E MOMENTO PRIMO CONCLVSA.

Gustus cernitur in facultate rei cuiuspiam obiectae modiue repraesentandi diiudicandae per complacentiam vel disci, *absque omni inuitamento.* Res eiusmodi complacentiae subiecta, vocatur *pulcra.*

MOMENTVM SECVNDVM

IVDICII GVSTVS, NEMPE SECVNDVM QVANTITATEM.

§. 6.

Pulcrum est id, quod, sine conceptu, vt res complacentiae vniuersalis repraesentatur.

Haec pulcri definitio ex superiori eius definitione, vt rei complacentiae sine omni inuitamento subiectae, potest concludi. Id enim, cuius quis sibi conscius est complacentiam in se ipso sine omni inuitamento esse, id is non potest nisi sic iudicare, vt rationem statuat in sese complacentiae continere cuique debere. Cum enim non in vlla quapiam subiecti inclinatione (neque in vllo quodam deliberato inuitamento) constitutum sit, sed iudicans ratione complacentiae, quam obiectae rei tribuit, prorsus sese *liberum* sentiat; nullas poterit conditiones priuatas vt rationes complacentiae inuenire, quibus solis subiectum suum adhaereat, ideoque illam vt in eo fundatam spectet, necesse est quod quoque in quouis potest supponere; ergo causam putet habere, oportebit, a quoque similem complacentiam postulandi. Igitur ita de pulcro loquetur, vt si pulcritudo cernatur in qualitate rei obiectae, iudiciumque logicum (per conceptus rei obiectae cognitionem eius efficiat) videatur; quamquam solum illud aestheticum est, et duntaxat relationem rei obiectae continet ad subiectum: propterea, quod similitudinem habet logici, quatenus illius valor potest cuique in eo supponi. Nec vero ex con-

ceptibus ea vniuerſalitas poterit exſiſtere. Nulla namque a conceptibus tranſitio eſt ad ſenſum voluptatis taediiue (ſi a legibus puris practicis diſceſſeris, quibus vero nullum inuitamentum ineſt; cuiusmodi cum iudicio guſtus puro haud coniunctum eſt). Ergo iudicio guſtus, cum conſcientia ſeparationis in eo ab omni inuitamento, ius adhaereat, neceſſe eſt, valoris ad quemque, hoc eſt, cum eo ius, oportebit, coniunctum ſit, vniuerſalitatis ſubiectiuae.

§. 7.

Comparatio pulcri cum iucundo bonoque per notam ſuperiorem.

Ratione *iucundi* quisque concedit, iudicium ſuum, quod in ſenſu quodam priuato conſtituit, et quo rem obiectam dicit ſibi placere, ſolum ad perſonam ſuam adſtringi. Idcirco libenter concedit, vt, cum dicit, vinum Canarienſe iucundum eſt, alius vocabulum corrigat moneatque, dici debere: *mihi* iucundum eſt; atque ita non ſolum in guſtu linguae, palatique ac gulae, verum etiam in iis quae oculis poſſunt auribusque cuiusuis iucunda accidere. Vni color violaceus mitis eſt et gratus, alteri ingratus et mortuus. Alter cantum amat tibiarum, alter fidium. Stultum foret, propterea litigari, vt iudicium aliorum a noſtro diuerſum, quaſi illud huic logice contrarium foret, falſum vituperetur; ergo reſpectu iucundi locum habet hocce decretum: *ſuo quisque guſtu* (ſenſuum) *proprio gaudet.*

Longe alia pulcri ratio videtur. Ridiculum contra foret, ſi quis, qui de guſtu ſuo ſuperbiret, eo ſeſe putaret defendere: haec res (hoc aedificium, quod videmus, haec veſtis, quam ille gerit, haec muſicorum, quam audimus, concertatio, hoc carmen ad diiudicandum propoſitum) *mihi* pulcra eſt. Neque enim, quae ipſi ſolum placent, vocare *pulcra* debet. Multa illum ſollicitare poſſunt et iucunditate demulcere, hoc nemo curat; ſi vero aliquid declarat pulcrum, ab aliis complacentiam poſtulat: non ſolum ſuo nomine iudicat, ſed cuiusque nomine, tumque

de pulcritudine loquitur, quasi in qualitate rerum verſetur. Idcirco dicit: *res* pulcra eſt; neque aliorum conſenſus cum ſuo complacentiae iudicio rationem habet, quoniam ſaepius eam cum ſua conſpirantem expertus eſt, ſed *poſtulat* iſtud ab iis. Vituperat eos, ſi ſecus iudicant, iisque guſtum denegat, quem tamen habere eos debere cupit; atque eatenus dici non poteſt: ſuo quisque peculiari guſtu gaudet. Hoc enim idem foret, ac: nullus omnino guſtus eſt, hoc eſt, nullum iudicium aeſtheticum, quod cuiusque iure poſſit adſenſionem poſtulare.

Nihilominus tamen inuenimus, in diiudicando iucundo concentum poſſe in hominibus deprehendi, cuius reſpectu tamen nonnullis guſtus denegatur, aliis conceditur, et haud quidem vt ſenſus organicus, verum vt facultas iudicandi ratione iucundi generatim. Sic eum, qui conviuas iucunditatibus (fruitionis per omnes ſenſus) ita nouit fouere, vt cunctis iis placeat, dicimus guſtum habere. Verum hic vniuerſalitas tantummodo comparatiue ſumitur, tumque regulae duntaxat *generales* (vt cunctae ſunt empiricae) videntur, non vero *vniuerſales*, quippe iudicium guſtus de pulcro enunciat. Iudicium eſt reſpectu ſocialitatis, quatenus regulis ea empiricis nititur. Ratione boni quidem quoque valorem petunt, qui ad quemque pertineat; ſed bonum tantummodo *per conceptum quemdam* vt res complacentiae vniuerſali ſubiecta repraeſentatur, id quod neque in iucundo accidit, neque in pulcro.

§. 8.

Vniuerſalitas complacentiae in iudicio guſtus ſolum vt ſubiectiua repraeſentatur.

Haec peculiaris vniuerſalitatis iudicii aeſthetici determinatio, in iudicio guſtus conſpicua, res eſt notatu digna, non homini quidem logico, ſed ſane philoſopho transſcendentali, quae ad aperiendam eius originem, haud exiguum illius laborem poſtulat, ſed contra quoque proprietatem manifeſtat noſtrae cognoſcendi facultatis, quae, hac analyſi omiſſa, ignota manſiſſet.

Ac primo quidem prorſus tibi perſuadeas, te iudicio guſtus (de pulcro) complacentiam rei obiectae cuiuspiam in *vnoquoque* ponere, neque tamen quodam conceptu niti (tum enim haud pulcrum foret, ſed bonum); praeterea hanc valoris vniuerſalis rationem tam neceſſario ad iudicium pertinere, quo quidpiam nos *pulcrum* declaramus, vt, niſi ille in eo cogitetur, nemini in mentem venturum ſit, hoc verbo vti, ſed cuncta, quae ſine conceptu placent, ad iucunda referrentur, in quo quidem ſuum quemque ſequi ingenium patimur, nullusque alterius cum ſuo guſtus iudicio conuenientiam poſtulat, quod tamen in iudicio guſtus de pulcro ſemper fieri videmus. Illum priorem guſtum ſenſuum poſſum, hunc alterum guſtum reflexionis vocare: quatenus ille prior ſolum iudicia priuata fert, hic alter vero iudicia opinata vniuerſalia (publica), vterque autem aeſthetica (haud practica), de re obiecta, tantummodo reſpectu relationis repraeſentationum ſuarum ad ſenſum voluptatis et taedii. Iam vero, cum non ſolum experientia doceat, iudicium guſtus ſenſuum (voluptatis taediiue ex vlla re quapiam) non vniuerſe valere, ſed etiam quisque ſponte ſibi temperet, ne iſtam conuenientiam ab aliis poſtulet (quamquam reapſe ſaepius eiusmodi conſpiratio in his quoque iudiciis inuenitur), mirum videtur, guſtum reflexionis, qui tamen quoque ſatis frequenter cum iure ſuo in vniuerſalem iudicii ſui valorem (de pulcro) ad quemque, teſte eadem experientia, repudiatur, tamen exiſtimare, fieri poſſe, vt (quod is etiam reuera facit) ſibi iudicia repraeſentet, quae conſpirationem iſtam vniuerſe poſſent poſtulare, eamque reapſe a quoque cuiusque hominis iudicio guſtus poſcere, quamuis nulla iudicantium controuerſia ſit de eiusmodi petitionis poſſibilitate, ſed modo in cauſis ſingularibus de recto huiusce facultatis vſu nequeant conuenire.

Hoc igitur loco primum notandum eſt, vniuerſalitatem, haud in conceptibus obiectae rei (etſi tantummodo empiricis) poſitam, nullo modo logicam eſſe, verum aeſtheticam, id eſt, nullam iudicii quantitatem obiectiuam,

ſed modo ſubiectiuam continere, pro qua et vocabulo vtor *valoris communis*, qui valor eſt relationis cuiuspiam repraeſentationis ad facultatem cognoſcendi, ſed ad ſenſum voluptatis taediique cuique ſubiecto. (Poteris etiam eodem vti vocabulo pro logica quantitate iudicii, ſi modo addatur vniuerſalitas *obiectiua*, ad diſtinguendam eam ab ſola ſubiectiua, quae ſemper aeſthetica eſt.)

Iam iudicium *obiectiue vniuerſale* ſemper quoque ſubiectiuum eſt, hoc eſt, ſi iudicium ad vniuerſa valet, quae dato quodam conceptu continentur, valet etiam ad quemque, qui rem obiectam aliquam eo ſibi conceptu repraeſentat. Verum ab *vniuerſalitate ſubiectiua*, hoc eſt, aeſthetica, quae in nullo poſita conceptu eſt, non poteſt ad logicam concludi; quoniam illud iudiciorum genus nullo modo rem obiectam ſpectat. Propter id ipſum autem vniverſalitas aeſthetica, quae iudicio tribuitur, neceſſe eſt, vt peculiaris generis videatur, eo quod praedicatum pulcritudinis cum conceptu *rei obiectae*, in logica illius ſphaera conſideratae, haud ſe coniungit, et tamen eamdem ſuper vniuerſam *iudicantium* ſphaeram extendit.

Reſpectu quantitatis logicae vniuerſa guſtus iudicia ſunt iudicia *ſingula*. Etenim quoniam rem obiectam proxime debeo cum ſenſu meo voluptatis taediique comparare, neque tamen per conceptus, non poterit ei quantitas ineſſe iudicii obiectiue communiter valentis; quamuis, repraeſentatione rei iudicio guſtus ſubiectae ex conditionibus, quae hoc determinant, per comparationem in conceptum mutata, iudicium inde queat logice vniuerſale fieri: veluti, quam conſpicio, roſam per iudicium guſtus pulcram declaro. Contra iudicium, quod ex comparatione exſiſtit multorum ſingularium: roſae generatim pulcrae ſunt, nunc non ſolum vt aeſtheticum, ſed vt iudicium logicum in aeſthetico quodam conſtitutum, enunciatum videtur. Iam iudicium: roſa (in vſu) iucunda eſt, quidem etiam aeſtheticum et ſingulare eſt, ſed non iudicium guſtus, verum iudicium ſenſus. Ab illo enim ſuperiori diſtinguitur eo, quod iudicium guſtus *quantitatem* vniuerſalitatis *aeſtheticam*, hoc eſt,

valorem ad quemque hominem in se cohibet, qui non potest in iudicio de iucundo deprehendi. Sola iudicia de bono, etiamsi quoque complacentiam obiectae rei determinent, vniuersalitate logica pollent, non solum aesthetica; valent enim de re obiecta, vt cognitiones illius, atque idcirco ad quemque hominem.

In rebus obiectis solum ex conceptibus considerandis, omnis pulcritudinis repraesentatio perit. Ergo nulla quoque potest regula esse, qua quis cogatur ad aliquid pulcrum agnoscendum. Num vestis, domus, flos, pulcra sit, vt iudicium feras, nullis rationibus decretisue adduceris. Volumus rem nostris propriis oculis subiicere, quasi complacentia eius a sensatione pendeat; et tamen, si rem tum pulcram vocamus, suffragium existimamus vniuersale nosmet sequi, quod quisque sequi debeat, cum e contrario quaeque sensatio priuata tantummodo in gratiam solius sui suaeque complacentiae decretura foret.

Hic videmus, in iudicio gustus nihil quidquam postulari, nisi eiusmodi *suffragium vniuersale*, respectu complacentiae haud interuenientibus conceptibus; proinde possibilitas iudicii aesthetici, quod simul quoque possit vt ad quemque valens considerari. Ipsum gustus iudicium non postulat consensum cuiusque (id enim solum logice vniuersale poterit, quoniam adferre rationes potest); tantummodo cuique istum consensum *adfingit*, vt casum regulae, cuius respectu confirmationem non a conceptibus exspectat, sed ab aliorum accessu. Ergo suffragium vniuersale duntaxat idea est (quo ea nitatur, hoc loco nondum inuestigatur). Illum, qui iudicium ferre gustus existimat, reapse huic ideae conuenienter iudicare potest dubium videri; verum tamen se illud ad eam referre, proinde iudicium esse gustus debere, vocabulo pulcritudinis declarat. Per se ipse vero per solam conscientiam separationis eorum omnium, quae pertinent ad iucundum bonumque, a complacentia, quae sibi etiamnum relinquitur, certus reddi potest; quod quidem est, cuius consensum a quouis exspectat; cuius quidem iuris sub his conditionibus potesta-

tem haberet, nisi contra illud saepius peccaret, eoque iudicium gustus erroneum ferret.

§. 9.

Disquisitio quaestionis: vtrum in iudicio gustus sensus voluptatis rem diiudicandam, an haec illam antecedat?

Solutione huiusce problematis clauis continetur critices gustus, quae propterea digna est omni attentione.

Quodsi voluptas ex obiecta re data antecederet, solumque vniuersalis communicabilitas illius deberet in iudicio gustus repraesentationi obiectae rei adiudicari, tum eiusmodi ratio secum ipsa pugnaret. Talis enim voluptas nulla foret alia, quam sola iucunditas in motu sensus, ideoque secundum naturam suam tantummodo posset valorem priuatum habere, quoniam ea ex repraesentatione, qua res *datur* atque offertur, proxime penderet.

Ergo communicabilitas vniuersalis status animi in data repraesentatione erit, quae vt subiectiua iudicii gustus conditio ei fundamento esse debet, quamque, necesse est, voluptas ex re obiecta sequatur. Sed nihil potest quidquam vniuerse communicari, quam cognitio, et repraesentatio, quatenus ea ad cognitionem pertinet. Eatenus enim haec posterior tantummodo sola subiectiua est, atque eo tantum respicienda est, quatenus vis repraesentandi omnium illi conuenire cogitur. Si igitur ratio determinandi iudicii de hac vniuersali communicabilitate repraesentationis solum subiectiue debeat, nempe sine conceptu obiectae rei cogitari, ea nulla esse alia poterit, quam status animi, qui in relatione virium repraesentatiuarum ad se inuicem deprehenditur, quatenus iis repraesentatio data ad *cognitionem generatim* refertur.

Quae hac repraesentatione excitantur, vires cognoscendi in eo libere mouentur, si quidem nullo conceptu determinato ad peculiarem quamdam cognitionis regulam

adſtringuntur. Ergo ſtatum animi in hac repraeſentatione, neceſſe eſt, in ſtatu verſari cuiusdam ſenſus luſus liberi virium repraeſentatiuarum in repraeſentatione quadam ad cognitionem quandam generatim data. Iam ad repraeſentationem, qua res quaedam datur atque offertur, vt omnino inde cognitio exſiſtat, et *phantaſia* pertinet ad varia viſionis componenda, et *intelligentia* ad vnitatem conceptus repraeſentationes coniungentis. Hic ſtatus *luſus liberi* facultatum cognoſcendi, in repraeſentatione qua res quaedam datur ac proponitur, neceſſe eſt, vt vniuerſe queat communicari: ſiquidem cognitio, vt determinatio rei obiectae, qua repraeſentationes datae (in quocumque ſubiecto) debent convenire, vna repraeſentandi ratio eſt, quae ad quemque hominem valet.

Subiectiua illa vniuerſalis communicabilitas rationis repraeſentandi in iudicio guſtus, cum, nullo poſito conceptu determinato, locum habere debeat, nihil poteſt aliud eſſe, quam ſtatus animi in luſu libero phantaſiae atque intelligentiae (quatenus eae ſecum inuicem, vti ad *cognitionem in vniuerſum* neceſſe eſt, conueniunt), propterea quod nobis conſcii ſumus, relationem hanc ſubiectiuam cognitioni generatim conſentanea pariter debere ad quemquam valere, ideoque vniuerſe communicabilem eſſe, quam quamque cognitionem determinatam, quae tamen ſemper in relatione illa nititur, vt conditione ſubiectiua.

Haec ſolum ſubiectiua (aeſthetica) diiudicatio rei obiectae, vel, qua ea datur, repraeſentationis igitur voluptatem ex ea percipiendam antecedit, et ratio eſt huiusce voluptatis et concentus virium cognoſcendi; in illa vero vniuerſalitate conditionum ſubiectiuarum rerum obiectarum diiudicandarum ſola conſtitutus hic vniuerſalis ſubiectiuus valor complacentiae, quam cum repraeſentatione copulamus obiectae rei, quam pulcram vocamus.

In ſtatu animi, vel ipſo facultatum cognoſcendi reſpectu, communicando, voluptatem ineſſe, facile poſſet ex naturali hominis ad ſocietatem inclinatione (empirice et

psychologice) euinci.* Verum hoc ad nostrum propositum haud sufficere videtur. Voluptatem, quam nosmet persentiscimus, in vno quoque alio vt necessariam in iudicio gustus statuimus, quasi vero, cum aliquid pulcrum dicimus, id pro qualitate obiectae rei, in ea ex conceptibus determinata, sumenda foret; cum tamen pulcritudo haud ad sensum relata subiecti per se nihil videatur. Sed expositio huiusce quaestionis differenda est ad explicandam quaestionem aliam, nimirum hanc: an et quomodo fieri possint iudicia aesthetica ex anticipatione?

In praesentia adhuc in quaestione occupati sumus leuiori: quo tandem modo nobis fieri conscii possimus mutui virium cognoscendi inter se inuicem concentus in iudicio gustus, vtrum aesthetico per solum sensum internum sensationemque, an intellectuali modo per conscientiam actionis nostrae prouidae, qua illas excitamus.

Quodsi repraesentatio data, quae ansam dat iudicio gustus, foret conceptus, intelligentiam phantasiamque in diiudicanda obiecta re ad vnam rei cognitionem coniungens, tum conscientia huius relationis intellectualis foret (vti in schematismo facultatis iudicandi obiectiuo, de quo critica tractat). Verum tum quoque iudicium haud foret relate ad voluptatem taediumque pronunciatum, proinde nullum foret iudicium gustus. Atqui iudicium gustus, a conceptibus vacuum, rem obiectam determinat respectu complacentiae praedicatique pulcritudinis. Ergo vnitas illa cognitionis subiectiua solum sese distinguere potest per sensationem. Animata vtriusque facultatis (et phantasiae, et intelligentiae) ad actionem indeterminatam, sed tamen per occasionem repraesentationis datae conspirantem, eam nimirum, quae opus est ad cognitionem in genere, sensatio est, cuius communicabilitatem vniuersalem iudicium gustus postulat. Relatio obiectiua cogitari quidem tantummodo potest, verum, quatenus secundum conditiones suas subiectiuum est, tamen in effectione in animum sentiri; et relationis, nullum conceptum constituentis (veluti virium repraesentatiuarum ad facultatem cognoscendi vniuerse rela-

tio eſt) nulla quoque alia poteſt conſcientia eſſe, quae ſenſatione efficitur effectionis, quae in motu adleuato ambarum animi virium (et phantaſiae et intelligentiae) per mutuum concentum animatarum cernitur. Repraeſentatio, cuius vt ſingularis neque cum aliis comparatae, nihilo minus concentus eſt cum conditionibus vniuerſalitatis, qua negotium intelligentiae vniuerſe efficitur, facultates cognoſcendi ad conſpirationem ducit, quam ad vniuerſam cognitionem poſtulamus, et proinde quoque ad quemque, qui per intelligentiam ſenſusque coniunctim ad iudicandum determinatus eſt (ad quemque hominem) valere cenſemus.

DEFINITIO PVLCRI E MOMENTO SECVNDO CONCLVSA.

Pulcrum eſt id, quod ſine conceptu vniuerſe placet.

MOMENTVM TERTIVM

IVDICIORVM GVSTVS SECVNDVM RELATIONEM FINIVM, QVI IN IIS SVB RATIONEM REVOCANTVR.

§. 10.

De conſpiratione cum finibus generatim.

Si, quid finis ſit, ex determinationibus eius transſcendentalibus (haud ſumta re quapiam empirica, cuiusmodi ſenſus eſt voluptatis) definire velis: finis erit res conceptui propoſita, quatenus hic vt cauſa ſpectatur illius (realis ratio poſſibilitatis eius); et cauſalitas cuiuspiam *conceptus* reſpectu eius *obiectae rei*, eſt forma finalis. Vbi igitur haud fere ſolum rei cuiuspiam obiectae cognitio, ſed res obiecta ipſa (forma illius vel exſiſtentia) vt effectum, tantummodo vt per conceptum effecti poſſibilis cogitatur, ibi finis quidam cogitatur. Repraeſentatio effecti hoc loco ratio eſt cauſae illius determinandae, eaque effectum antecedit. Conſcientia cauſalitatis repraeſentationis cuiuspiam reſpectu ſtatus ſubiecti, vt id in ea *conſeruetur*, hic poteſt

vniuerſe id, quod voluptas dicitur, deſignare; contra taedium cernitur in ea repraeſentatione, quae rationem in ſe continet, ſtatus repraeſentationum ad earum ipſarum contrarium determinandi (eas vel arcendi, vel remouendi).

Vis animi in adpetitu poſita, quatenus ſolum per conceptus, id eſt, ad repraeſentationi cuiuspiam finis conuenienter agendum, determinabilis eſt, voluntas foret. Finalis autem res dicitur obiecta quaedam ſtatusue animi, vel etiam actio, etſi poſſibilitate illius repraeſentatio finis haud neceſſario ſupponatur, propterea tantummodo, quod poſſibilitas illius definiri a nobis poteſt et comprehendi, quatenus cauſalitatem ex finibus, hoc eſt, voluntatem, quae illos ex repraeſentatione certae cuiusdam regulae ſic ordinaſſet, pro fundamento illius ſumimus. Itaque forma finalis poterit fine carere, quatenus cauſas huiusce formae non in voluntate ponimus, ſed tamen explicationem poſſibilitatis illius, tantummodo eam a voluntate quadam derivantes, nobis poſſumus facilem comprehenſu reddere. Atqui ea, quae obſeruamus, haud ſemper neceſſe eſt vt per rationem (ſecundum poſſibilitatem) perſpiciamus. Ergo formam finalem poſſumus, nullo quodam fine (vt materia nexus finalis) illi pro fundamento ſubſtrato, ſaltem obſervare, in rebusque obiectis, quamquam non niſi per reflexionem, animaduertere.

§. 11.

Iudicio guſtus nihil niſi forma finalis cuiuspiam rei obiectae (vel illius repraeſentandi modi) fundamento ſubeſt.

Omnis finis, vt ratio ſpectatus complacentiae, ſemper quoddam inuitamentum in ſe cohibet, vt rationem iudicii de re voluptati ſubiecta determinandi. Ergo non poteſt iudicio guſtus vllus finis ſubiectiuus fundamento ſubeſſe. Sed nulla quoque repraeſentatio finis obiectiui, hoc eſt, poſſibilitatis ipſius rei obiectae ex principiis finium copulandorum, proinde nullus boni conceptus poteſt iudicium

gustus determinare; est enim illud aestheticum, non vero iudicium cognitionis, quod proinde nullum attinet *conceptum* de qualitate, neque interna externaue possibilitate rei obiectae, per hanc illamue causam, sed solam virium repraesentatiuarum ad se inuicem relationem, quatenus eae per repraesentationem quamdam determinantur.

Atqui haec relatio in determinatione rei obiectae, vt pulcrae, coniuncta est cum sensu voluptatis, quae per iudicium gustus simul vt ad quemque hominem valens declaratur; ergo iucunditas quaedam repraesentationem concomitans aeque minus poterit, atque repraesentatio perfectionis rei obiectae bonique conceptus rationem determinantem continere. Ergo nulla re alia potest complacentia, quam, sine conceptu, vt vniuerse communicabilem diiudicamus, proinde ratio iudicii gustus determinandi effici, nisi forma finali subiectiua in repraesentatione obiectae rei, sine omni (et obiectiuo et subiectiuo) fine, proinde sola forma finali in repraesentatione, qua res nobis *datur* atque offertur, quatenus illius nobis conscii sumus.

§. 12.

Iudicium gustus principiis nititur ex anticipatione.

Fieri nullo modo potest, vt coniunctio sensus voluptatis taediiue, vt effecti, cum vlla quapiam repraesentatione (sensatione conceptuue) vt illius causa, ex anticipatione efficiatur; id enim relatio causalis foret, quae (in rebus sub experientiam subiectis) semper solum ex adsumto, quod a posteriori dicunt, atque interueniente potest experientia ipsa cognosci. Atque nos quidem in critice rationis practicae reapse sensum obseruantiae (vt peculiarem quemdam propriumque huiusce sensus modum mutationemque, qui neque cum voluptate neque cum taedio, quam ex rebus obiectis empiricis capimus, satis conuenire videtur) ab vniuersalibus conceptibus moralibus ex anticipatione deriuauimus. Nec vero ibi cancellos experientiae transgredi poteramus, neque causalitatem arcessere, in suprasensibili sub-

iecti qualitate positam, nimirum libertatem. Sed illo ipso loco proprie non hunc *sensum* deriuauimus ab idea honesti et moralitatis vt causa, verum tantummodo determinatio voluntatis inde fuit deriuata. Sed status animi vllius cuiuspiam voluntatis vlla re quadam determinatae iam per se sensus voluptatis est cum eoque idem, nec proinde haud vt effectum inde consequitur: quod tamen duntaxat sumendum erat, si conceptus honesti determinationem voluntatis per legem antecederet; vbi tum, quae cum conceptu coniuncta foret, voluptas ex hoc vt ex sola cognitione frustra deriuata foret.

Iam similis ratio voluptatis est in iudicio aesthetico; in quo quidem ea solum contemplatiua est, neque vllum quodpiam in re obiecta inuitamentum efficit; contra ea vero in iudicio morali practica videtur. Conscientia solius formae finalis in lusu virium cognoscendi subiecti, in repraesentatione, qua res obiecta datur atque offertur, voluptas ipsa est, quoniam rationem continet actionis subiecti determinandae respectu virium cognoscendi illius animandarum, proinde causalitatem internam (quae finalis est) ratione cognitionis generatim, ita tamen, vt haud ad cognitionem determinatam certamque adstringatur, proinde formam finalem subiectiuam repraesentationis cuiuspiam in iudicio quodam aesthetico.

Neque vero vllo modo practica ea voluptas est, neque, velut ea, quae ex ratione iucunditatis pathologica percipitur, neque vt ea, quae ex intellectuali boni repraesentati capitur. Ea vero tamen causalitatem in se continet, nimirum ipsum repraesentationis statum munusque virium cognoscendi sine vllo vlteriori consilio *conseruandi* tuendique. *Moramur* in contemplando pulcro, propterea haec ipsa contemplatio firmat atque corroborat et reproducit: id quod illius morationis simile (neque tamen cum ea idem) videtur, cum in rei obiectae repraesentatione illecebris quibusdam animi attentio repetitis vicibus excitatur, in quo quidem animus sese patiendo praebet.

§. 13.

Iudicium guſtus purum ab illecebris motuque vacuum eſt.

Omni inuitamento iudicium guſtus corrumpitur eique aequitas eripitur, in primis cum illud haud, vti inuitamentum rationis, formam finalem praemittit ſenſui voluptatis, ſed illam in hac conſtituit; quod quidem in iudicio aeſthetico de re quapiam, quatenus ea delectat aut dolorem excitat, ſemper vſu venit. Idcirco iudiciis ſic adfectis vniuerſalis complacentiae aut omnino nulla, aut eo minor eſſe copia poterit, prout plus minusue ſenſationum eiusmodi in rationibus ineſt guſtus determinandi. Guſtus ſemper incultus adhuc et ferus erit, vbi ad complacentiam opus eſt *illecebris motibusque*, quin adeo eas pro norma ſtatuit adſenſionis.

Interim tamen illecebrae ſaepenumero non ſolum ad pulcritudinem (quae tamen proprie deberet ſolum formam attingere) vt acceſſio ad complacentiam vniuerſalem aeſtheticam numerantur, ſed vel per ſe ipſae pro pulcritudinis formis, proinde materia complacentiae pro forma, perhibentur: qui quidem error, velut alii permulti, quibus tamen ſemper aliquid veri fundamento ſubeſt, conceptibus his diligenter determinandis circumſcribendisque poterit tolli.

Iudicium guſtus, quod nulla cum illecebris ac permotionibus animi contagione continetur (quamquam vtraeque poſſunt cum complacentia pulcri coniungi) cuius proinde determinandi ratio ineſt in forma finali, *iudicium guſtus purum* videtur.

§. 14.

Illuſtratio per exempla.

Iudicia aeſthetica, pariter ac theoretica (logica) in empirica poſſunt ac pura diuidi. Illa ſunt ea, quae iucunditatem de re quadam obiecta vel iniucunditatem enunciant, haec vero ſunt ea, quae de re obiecta, eiusque repraeſen-

tandi modo pulcritudinem pronunciant; illa sunt iudicia sensus (iudicia materialia aesthetica), haec (vt formalia) solum sunt propria gustus iudicia.

Igitur iudicium gustus tantummodo purum est, quatenus nulla complacentia mere empirica rationi determinanti illius admiscetur. Id quod vero semper euenit, cum illecebrae permotioque iudicium attingunt, quod quidpiam debet pulcrum declarari.

Iam rursus nonnullae dubitationes emergunt, quae illecebras non solum vt partem ostendunt ad pulcritudinem necessariam, verum adeo vt per se solas idoneas, ad rem obiectam pulcram dicendam. Solus color, veluti viridis cespitis, solus tonus (ad differentiam soni strepitusque), vti fere fidium, a plerisque per se pulcer declaratur; quamquam vtrique sola repraesentationum materia, nempe tantummodo sensatio, fundamento videtur subesse, ideoque duntaxat dici iucundi gratiue mererent. Verum simul tamen animaduertes, sensationes cum coloris tum toni iure posse pulcras reputari, quatenus vterque *purus* videatur; id quod determinatio est, quae iam formam attingit, vnumque, quod ex his repraesentationibus certo possit vniuerse communicari: quoniam qualitas ipsa sensationum haud in omnibus subiectis vt consentanea consentiensque potest, nec iucunditas coloris prae caeteris eminenter, tonique instrumenti musici cuiuspiam prae tono alterius difficulter poterit in quoque homine similiter iudicata sumi.

Si, cum *Eulero*, sumseris, colores pulsus esse tempore aequali sibi inuicem succedentes aetheris, vti toni aeris in sono concussi, et, quod caput est, animum non solum, per sensum, effectionem illorum in animationem organi, verum etiam per reflexionem, motum impressionum aequabilem (proinde formam in diuersarum repraesentationum coniunctione) percipere (de quo equidem vehementer dubito); color tonusque non in solis sensationibus, sed iam conditionibus formalibus vnitatis variorum

quorumdam suorum versarentur, tumque et per se possent pulcritudinis partibus accenseri.

Sed puritas simplicis cuiuspiam sensationum generis denotat: aequabilitatem illius nulla sensatione aliena turbari nec interrumpi, solamque ea formam spectat: quoniam in ea cogitationem reuocare possumus a qualitate illius generis sensationum (an, quemque colorem, aut an, qualemue tonum ea repraesentet). Idcirco omnes colores simplices, quatenus puri sunt, pulcri iudicantur; mixtorum ea laus non videtur: ob eam ipsam causam, quia, cum haud simplices sint, nullum modum iudicandi ac mensuram habemus, vtrum puri sint an impuri dicendi.

Ac pulcritudo quidem obiectae rei propter eius formam attributa opinionis errore putatur illecebris adeo posse augeri, qui quidem error vulgaris sane est, sed gustui genuino incorrupto veroque ac polito admodum perniciosus; quamuis profecto praeter pulcritudinem et illecebrae addi queant, vt animus per repraesentationem obiectae rei, praeter solam complacentiam, inuitetur, atque ita gustui eiusque culturae commendando seruiat, in primis cum adhuc rudis est atque inexercitatus. Verum reapse iudicio gustus detrahunt, cum attentionem animi vt rationes pulcritudinis diiudicandae in sese conuertunt. Tantum enim abest, vt quidpiam eo conferant, vt potius, tamquam alienigenae, duntaxat quatenus formam illam pulcram haud turbant, cum gustus adhuc infirmus est atque incultus, conniuenter accipi debeant.

In pictura, statuaria, quin vniuersis artibus plasticis, in architectura, arte hortoria, quatenus artes pulcrae sunt et elegantes, *delineatio* descriptioque essentiam constituit, in qua non, quod in sensatione delectat, sed solum quod per formam placet, fundamentum efficit vniuersae indolis gustus. Colores, adumbrationem illuminantes, ad illecebras pertinent; rem obiectam per se animatam quidem ad sensationem possunt reddere, non vero adspectu dignam pulcramque: potiusque iis, quae forma pulcra postulat,

plerumque admodum circumſcribuntur, et vel ibi, vbi illecebrae conceduntur, per formam ſolam emendantur.

Omnis forma rerum ſub ſenſus ſubiectarum (et externos, et remote quoque internum) aut *figura* eſt, aut *luſus* motusque: ſed luſus viciſſim vel figurarum eſt (in ſpatio, mimice et ſaltatio); vel merus luſus ſenſationum (in tempore). *Illecebrae* colorum, aut ſuauium inſtrumenti tonorum, poſſunt accedere. Sed *delineatio* in illa, et compoſitio in hoc, proprie ſunt iudicio guſtus puro propoſitae; et quod puritas colorum perinde atque tonorum, vel etiam varietas eorum atque eminentia ad pulcritudinem conferre videtur, haud tanti eſt, vt idcirco, quia per ſe iucundi ſunt, quaſi acceſſionem efficiant ſimilem ad complacentiam formae, ſed quoniam hanc ſolum adcuratius, definitiusque et plenius oſtendunt, et praeterea illecebris ſuis repraeſentationem animant, dum attentionem animi ipſam ad rem obiectam excitant atque tuentur.

Ipſa ea, quae *ornamenta* (*πάρεργα*) dicuntur, hoc eſt, quae non in vniuerſam rei obiecti repraeſentationem vt partes conſtitutiuae interne pertinent, verum duntaxat externe vt additamenta, complacentiamque guſtus augent, hoc tamen quoque ſolum per formam ſuam efficiunt: veluti limbi fimbriaeque picturarum, veſtesque ſtatuarum, aut porticus palatiorum. Quodſi autem ornamenta non in ipſa forma pulcra cernantur, ſi ea, velut margo aureus, addita ſint tantummodo ad picturam adprobationi per illecebras commendandam; tum dicuntur ea *ornamenta* iisque pulcritudini genuinae detrahitur.

Permotio animi, quae in ſenſatione verſatur, vbi ſuauitas ſolum interuentu impedimenti momentanei illudque conſecutae maioris vis vitalis effuſae efficitur, nullo modo pulcritudinem attingit. Sed ſublimitas (quacum ſenſus permotionis coniunctus eſt) alium modum normamque diiudicandi poſtulat, quam ſibi guſtus fundamento ſubſternit; atque ita iudicii guſtus puri nullae illecebrae ſunt, nec permotiones, ad ſummam ſenſatio nulla, vt materia iudicii aeſthetici, ratio determinans.

§. 15.

Iudicium guſtus a conceptu perfectionis prorſus liberum eſt.

Forma finalis obiectiua tantummodo per relationem variorum ad finem quemdam determinatum, proinde ſolum per conceptum poteſt cognoſci. Ex hoc ſolo iam manifeſtum eſt: eam pulcritudinem, cuius diiudicationi ſolum forma finalis, hoc eſt, ſine fine, fundamento ſubeſt, ab repraeſentatione boni prorſus liberum eſſe, ſiquidem bono forma finalis obiectiua ſupponitur, hoc eſt, relatio obiectae rei ad finem quemdam determinatum.

Sed forma finalis obiectiua vel externa eſt, id eſt, *vtilitas*, vel interna, hoc eſt, *perfectio* rei obiectae. Complacentiam rei obiectae, ob quam eam pulcram vocamus, non eſſe poſitam poſſe in repraeſentatione vtilitatis illius, ſatis poterit e duobus capitibus ſuperioribus perſpici; tum enim haud proxima rei obiectae complacentia foret, in qua tamen conditio eſſentialis cernitur iudicii de pulcritudine. Verum forma finalis obiectiua interna, id eſt, perfectio, propius accedit ad praedicatum pulcritudinis, ideoque a nobilibus quoque philoſophis, hoc tamen additamento, *ſi confuſa cogitetur*, eadem cum pulcritudine reputata eſt. Res ſummi momenti videtur, vt in critica guſtus decernatur, an reapſe pulcritudo queat in conceptum pulcritudinis reſolui.

Ad diiudicandam formam finalem obiectiuam, ſemper opus eſt conceptu finis, et (ſi forma illa finalis non externa,) vtilitas, (debeat, ſed interna, eſſe) conceptu finis interni, quo ratio poſſibilitatis internae rei obiectae contineatur. Vti autem finis generatim in eo verſatur, cuius *conceptus* vt ratio ipſius poteſt obiectae rei poſſibilitatis ſpectari; ita ad cogitandam in re quapiam formam finalem obiectiuam, rei conceptus, *qualis ea res eſſe debeat*, antecedet; in concentuque variorum in ea ad huncce conceptum (qui regulam ſuppeditat illorum coniungendorum, cernitur *perfectio* rei *qualitatiua*. Ab ea tota diſtat perfectio

quantitatiua, vt rei perfectio in suo cuiusque genere, et in solo conceptu quantitatiuo versatur (vniuersitatis siue omnitudinis); in quo, *quid res debeat esse*, iam ante vt determinatum cogitatur, et tantummodo quaeritur, an cuncta in eo insint, quae opus videntur. Formale in repraesentatione cuiuspiam rei, id est, concentus variorum in vno (quod illud cumque sit) per se nullam omnino formam finalem obiectiuam cognoscendam proponit; quoniam, cum ab hoc vno vt *fine* (quid res debeat esse) cogitationem auocamus atque abducimus, nihil quidquam relinquitur praeter formam finalem subiectiuam repraesentationum in animo intuentis, quae sane quidem certam quamdam formam finalem in statu repraesentatiuo subiecti, in eoque promtitudinem eius formam quamdam datam in phantasiam recipiendi indicat, nullam vero vllius cuinspiam obiectae rei, quae hic per nullum finis conceptum cogitatur, perfectionem. Veluti, cum in sylua cespitem inuenio, circum arboribus ad orbem obsitum, neque in eo finem cogito, vt nempe fere saltationi seruire debeat agresti, ne minimus perfectionis conceptus per solam formam datur atque proponitur. Sed formam finalem *obiectiuam* sine carentem, hoc est, solam formam *perfectionis* (sine vlla materia conceptuque illius, ad quod fit concentus, etiamsi istud in sola idea versaretur legalitatis in genere) cogitari, egregie pugnat.

Atqui iudicium gustus est iudicium aestheticum, id est, tale, quod rationibus nititur subiectiuis, cuiusque determinandi ratio non potest conceptus esse, nec proinde quoque conceptus finis cuiuspiam determinati. Ergo per pulcritudinem, vt formam finalem subiectiuam, nullo modo perfectio obiectae rei, vt opinato formalis nihilominus tamen obiectiua forma finalis cogitatur; vanumque discrimen est atque irritum in pulcri conceptu bonique, quasi vterque duntaxat secundum formam logicam diuersus foret, ille solum confusus, hic alter conceptus perfectionis distinctus, alioquin autem quoad materiam atque originem vnus idemque: quoniam tum inter eos nullum discrimen

ſecundum *ſpeciem* foret, verum iudicium guſtus pariter eſſet iudicium cognitionis, atque iudicium quo aliquid declaretur bonum; velut vulgus, cum fraudem ait iniuſtam eſſe et improbam, iudicium in confuſis, ſed philoſophus in diſtinctis, reapſe vero vterque in iisdem rationis principiis conſtituit. Sed iam monui, iudicium aeſtheticum in ſuo genere vnum eſſe, neque vllam omnino cognitionem (ne confuſam quidem) rei obiectae largiri; quippe quae per ſolum iudicium logicum efficitur: cum e contrario iudicio aeſthetico repraeſentatio, qua res obiecta datur atque offertur, tantummodo ad ſubiectum referatur, nullaque obiectae rei qualitas, ſed modo forma finalis in determinandis viribus repraeſentatiuis, quae in illa occupantur, animaduertenda proponatur. Idcirco quoque iudicium vocatur aeſtheticum, quia ratio determinandi illius nullo conceptu continetur, ſed ſenſu (intimo) conſpirationis illius concentusque in luſu virium animi, quatenus ea tantummodo poteſt ſentiri. Contra, ſi conceptus confuſos, quod in iis conſtitutum eſt, iudicium obiectiuum velles aeſtheticum adpellare, intelligentia vſurus fores, ſenſitiue iudicante, ſenſuque res obiectas per conceptus repraeſentante, quod vtrumque ſibi repugnat. Facultas conceptuum, ſiue confuſorum ſiue diſtinctorum, intelligentia eſt; et quamquam ad iudicium guſtus, vt iudicium aeſtheticum, etiam (vti ad vniuerſa iudicia) intelligentia opus eſt, tamen ea ad iſtud haud opus eſt, vt facultate cuiuſpiam obiectae rei cognoſcendae, ſed illius et repraeſentationis eius determinandae, (ſine conceptu) ſecundum adfectionem iſtius ad ſubiectum eiusque ſenſum internum, et quidem quatenus hoc fieri iudicium poteſt ſecundum regulam vniuerſalem.

§. 16.

Iudicium guſtus, quo res obiecta quaedam cum adiunctione conceptus cuiuſpiam determinati pulcra declaratur, non eſt purum.

Duo ſunt pulcritudinis genera: et pulcritudo vaga, et pulcritudo ſolum adhaerens. Illa nullum ſupponit con-

ceptum illius, quod res obiecta esse debet: haec altera eiusmodi conceptum, reique obiectae perfectionem secundum illum ponit. Partes pulcri superioris generis dicuntur (in sese consistentes) pulcritudines huius illiusue rei; altera, vt conceptui cuidam adhaerens (pulcritudo hypothetica) rebus attribuitur, quae subsunt conceptui cuiuspiam finis peculiaris.

Flores in formis sunt pulcritudinis naturalis vagae. Quid flos debeat esse, difficulter quispiam norit, si a botanicis discesseris; atque ipse botanicus, qui in eo organum plantae fecundandae agnoscit, per gustum de illa iudicans, nullo modo rationem habet huiusce finis naturalis. Nulla igitur vllius cuiuspiam generis perfectio, nulla forma finalis interna, quam variorum compositio spectet, huic iudicio fundamento substernitur. Multae aues (et psittacus, et colibris, et auis paradisiacus) vis animalium maris testaceorum per se in partibus pulcritudinis versantur, quae nulli rei cuiquam competunt, ratione finis illius ex conceptibus determinatae, sed vagae et per se placent. Sic delineationum ad rationem Graecam, operis foliati in limbis vel tapetibus chartaceis, et caeterorum generis eiusdem per se nulla vis est: nihil quidquam referunt, nullamque rem sub conceptu quodam determinato, et vagae pulcritudines videntur. Et ea quoque, quae in arte musica modulationes vagae (sine themate) vocantur, quin vniuersam modulationem textu destitutam ad idem genus possumus referre.

In diiudicanda vaga pulcritudine (secundam solam formam) iudicium gustus purum est. Nullus vllius cuiuspiam finis conceptus, in quem varietas obiectae rei data sit, quidque proinde haec referat, suppositus videtur; quippe quo phantasiae libertas, quae in obseruanda figura quasi ludit, circumscriberetur.

Sed pulcritudo hominis (et in hoc genere pulcritudo viri vel feminae aut paruuli), pulcritudo equi, aedificiique (vt templi, palatii, armamentarii, aut villae) conceptum supponit finis, qui, quid res debeat esse, determinat, pro-

inde conceptum perfectionis illius; ideoque pulcritudo est solum adhaerens. Quemadmodum igitur coniunctione iucundi (sensationis) cum pulcritudine, quae proprie solum formam attingit, vidimus puritatem iudicii gustus impediri; sic coniunctione boni (ad quod nimirum rei ipsi varietas, ex eius fine, bona est) cum pulcritudine puritati detrahitur.

Multa, quae proxime in visione placerent, in aedificio possint adhiberi, modo ne templum esse deberet, forma variis posset figuris ductibusque facilibus, sed consentaneis, vti noui insulani faciunt in Tettauiris venustior reddi, modo ne ea homo esset; et hic tenuiori cute, molliorique oris forma posset indui, modo ne is virum, vel adeo bellicosum referre deberet.

Iam complacentia variorum in re quapiam respectu finis interni, possibilitatem eius determinantis, in complacentia cernitur in quodam conceptu constituta; sed complacentia pulcritudinis ea est, quae nullum conceptum supponit. Sed cum repraesentatione, qua res obiecta datur (non vero qua ea cogitatur), proxime coniuncta est. Quodsi ergo iudicium gustus, respectu posterioris, ad finem in priori, vt iudicio rationis, adstringatur eoque circumscribatur, illud haud amplius iudicium gustus liberum est et purum.

Aliquid quidem emolumenti ad gustum redundat ex hac complacentiae aestheticae cum intellectuali coniunctione, quod figitur is, et quidem haud vniuersalis est, sed et tamen respectu certarum quarumdam rerum obiectarum finaliter determinatarum regulae possunt praecipi. Neque hae vero tum regulae sunt gustus, sed solum coniungendi conciliandique gustus cum ratione, hoc est, pulcri cum bono, quibus illud vtile redditur ad instrumentum huius posterioris respectu, vt ea animi temperies, quae se ipsam seruat tueturque et valoris subiectiui est vniuersalis, illi cogitandi rationi substernatur, quae non potest nisi operoso proposito acquiri, sed obiectiue vniuersalis videtur. Sed proprie neque perfectioni quidquam per pulcritudinem

accedit, neque pulcritudini ex perfectione; sed, quoniam non euitari potest, ne repraesentationem, qua nobis res quaedam datur atque offertur, in comparanda illa per conceptum cum re obiecta (respectu eorum, quae esse debent) simul cum sensatione in subiecto conferamus, fit, vt ad *vniuersam* facultatis repraesentatiuae *vim* aliquid accedat, cum ambo animi status conueniunt atque conspirant.

Iudicium gustus de re obiecta quadam finis interni determinati tum solum purum foret, cum iudicans aut nullam cogitationem de isto fine haberet, aut in iudicio suo mentem ab eo auocaret. Tum vero hic, quamuis verum gustus iudicium statueret, propterea quod rem vt pulcritudinem vagam diiudicaret, tamen ab alio, qui pulcritudinem in ea tantummodo vt qualitatem inhaerentem considerat (finem spectat obiectae rei), reprehenderetur, falsique gustus accusaretur, quamquam vterque in suo quisque modo vere iudicat: vnus ex eo, quod coram sensibus versatur, alter ex eo, quod in mente agitat. Qua quidem distinctione multae poterunt iudicum gustus de pulcritudine dissensiones componi, ita vt iis monstretur, alterum pulcritudinem vagam tenere, alterum pulcritudinem adhaerentem, illum purum gustus iudicium statuere, hunc adplicatum.

§. 17.

De pulcritudinis ideali.

Nulla potest regula gustus obiectiua esse, quae, pulcrum sit, ex conceptibus determinet. Omne enim ex hoc fonte iudicium aestheticum est, hoc est, sensus subiecti, non vero conceptus cuiuspiam rei obiectae, ratio est illius determinandi. Frustra erit, principium gustus anquirere, quod criterium pulcri vniuersale per determinatos conceptus indicaret, quoniam, id quod quaeritur, fieri non potest, et secum ipsum pugnat. Communicabilitas sensationis (complacentiae displicentiaeue) vniuersalis, eaque, quae sine conceptu locum habet: conspiratio, quantum fieri potest, omnium temporum ac populorum respectu huiusce sensus in repraesentandis quibusdam rebus obiectis: est cri-

terium empiricum, quamuis tenue atque infirmum, et vix ad ſuſpicionem idoneum deriuationis guſtus ſic exemplis probati ab ratione conſpirationis in diiudicandis formis profunde abdita et occultata omnibusque hominibus communi, quibus (formis) iis poſſunt res dari atque proponi.

Hinc fit, vt nonnulla guſtus effecta vt *exemplaria* ſpectentur: non quaſi guſtus poſſit, aliis imitandis, acquiri. Namque guſtum, neceſſe eſt, propriam quamdam facultatem eſſe; qui vero exemplar quoddam imitatur, in eo quidem, quod illud adſequitur, dexteritatem prodit, ſed guſtum modo, quatenus ipſe hoc exemplar poteſt diiudicare *). Ex quo efficitur, vt exemplar ſummum, prototypon guſtus, in mera idea verſetur, cuique in ſe ipſe procreanda, ad quam vniuerſa, quae guſtui ſubiecta ſunt, et exemplaria iudicandi ex guſtu, ipſeque guſtus, a quoque diiudicanda videntur. *Idea* proprie conceptum denotat rationalem, et *Ideale* repraeſentationem deſignat naturae cuiusdam ſingularis vt ideae cuipiam conuenientis et adaequatae. Idcirco prototypon guſtus illud, quod ſane in idea poſitum eſt rationali indeterminata maximi, ſed tamen haud per conceptus, verum tantummodo in exhibitione ſingulari proponi poteſt, rectius poterit ideale pulcri vocari, cuiusmodi, quamuis haud eius poſſeſſione vtamur, tamen adnitimur in nobis producere. Verum illud ſolum erit ideale phantaſiae, ob eam ipſam cauſam, quoniam illud haud in conceptibus poſitum eſt, ſed in exhibitione; facultas autem exhibitionis phantaſia eſt. — Quo igitur modo eiusmodi pulcritudinis ideale conſequimur? Ex anticipatione, an empirice? Itemque: quae pulcri ſpecies capax eſt idealis?

*) Exemplaria guſtus reſpectu artium loquentium lingua ſint mortua doctaque, oportebit, conſignata: ei mortua quidem propterea, ne mutationes iis tolerandae ſint, quas viuae neceſſario experiuntur, cum verba ſublimia fuerint humilia, conſueta ac trita obſoleſcunt, et recens creata in conſuetudinem breuem veniunt: docta vero, vt grammaticam habeat, nulli temerariae conſuetudinis viciſſitudini obnoxiam, ſed regula vtentem immutabili.

Ac primo quidem probe notandum eſt: pulcritudinem, cuius debeat ideale anquiri, nullam *vagam*, ſed per conceptum formae finalis obiectiuae *fixam* eſſe pulcritudinem oportere, proinde nulli cuipiam rei iudicio guſtus prorſus puro, ſed partim ad intelligentiam reuocato ſubiectae propriam videri. Scilicet in quo rationum diiudicandi genere locum habere ideale debet, ibi vlla quaedam rationis idea ex conceptibus determinatis fundamento ſubſit, neceſſe eſt, ex anticipatione finem determinans, in quo poſita eſt poſſibilitas interna rei obiectae. Ideale florum pulcrorum, pulcrae ſupellectilis, proſpectus pulcri, non poteſt cogitari. Verum pulcritudinis quoque certis determinatisque finibus adhaerentis, veluti pulcrae habitationis, arboris pulcrae, pulcri horti, id genus aliorum nullum poterit ideale cogitari; ſine dubio propterea quod fines per conceptum ſuum haud ſatis determinati ſunt fixique, proinde forma finalis propemodum tam libera eſt, quam in pulcritudine *vaga*. Id ſolum, quod finem exſiſtentiae ſuae in ſe ipſo cohibet et continet, *homo*, qui ſuos ſibi ipſe fines per rationem conſtituere, aut, vbi eum ab externa eos perceptione depromere oportet, tamen cum eſſentialibus atque vniuerſalibus finibus comparare, concentumque cum illis tum aeſthetice quoque diiudicare poteſt: hic *homo* igitur *pulcritudinis* ideale eſt, quemadmodum humana natura in perſona ſua, vt intelligentia, omnium in mundo rerum ſola capax eſt idealis *perfectionis*.

Quo quidem res duae ſunt, quae requiruntur: *prima* eſt *idea normalis* aeſthetica, quae in ſingulari viſione (phantaſiae) verſatur, quae norma eſt diiudicationis illius, tamquam rei ad peculiarem animalium ſpeciem pertinentis; *altera* deinde eſt *idea rationalis*, quae fines naturae humanae, quatenus haud ſenſitiue poſſunt repraeſentari, pro principio conſtituit diiudicandae formae, qua, vt effecta illorum in phaenomeno, illi ſeſe manifeſtant. Idea normalis elementa ſua formae animalis cuiuſpiam de genere peculiari ex experientia promat, oportebit; ſed maxima forma finalis in conſtruenda figura, quae ad normam vni-

versalem cuiusque singuli huius formae aesthetice diiudicandam idonea foret, imago, quae consulto quasi technicae naturae fundamento constituta fuit, cui solum genus totum, sed nullum singulum quidpiam seiunctum ac separatum respondet, tamen solum inest in idea iudicantis, quae vero, cum rationibus suis, vt idea aesthetica, in imagine exemplari prorsus in singulo poterit concretoque proponi et exhiberi. Vt, qui illud fiat, aliquo tamen modo doceamus (ecquis enim naturae arcanum poterit totum elicere?) enodationem psychologicam experiemur.

Notandum est: phantasiam, modo nobis prorsus incomprehensibili, non solum signa conceptuum, vel ex longo quodam tempore, posse occasione data reuocare; verum etiam imaginem obiectae rei figuramque ex infinito rerum numero diuersarum formarum, vel etiam vnius eiusdemque formae, reproducere; quin etiam, si animus collationem comparationemque instituat, sine dubio vere, etsi haud ad conscientiam idonee, imaginem quasi in aliam immittere, ex congruentiaque plurium eiusdem formae, mediam quamdam producere, quae vniuersis modo sit mensuraeque communi. Fac, quempiam mille viros adultos conspexisse. Quodsi igitur de quantitate normali velit comparatiue aestimanda iudicare, tum phantasia (ex mea quidem sententia) permagnum imaginum numerum (fortasse cunctas mille illas) vnam in alteram inimittit, et, si liceat mihi in eo similitudinem sequi exhibitionis opticae, in spatio, in quo se pleraeque coniungunt, intraque delineationem, vbi locus colore spissius oblinito illuminatus est, ibi *quantitas media* distinguitur, quae cum quoad altitudinem, tum quoad latitudinem a terminis extremis staturarum maximarum minimarumque aequaliter distat; eaque statura erit pulcri viri. (Idem et mechanice posset inueniri, si omnes mille metirere, altitudines inter se latitudinesque (et crassitudines) per se addendo in vnam summam colligeres, postea per mille diuidendam. Sed phantasia idem facit per effectum dynamicum ex lapsu ortum multiplici talium formarum ad organon sensus interni). Quodsi igitur similiter

huic viro medio quaeratur medium caput, huic nasus medius, et sic porro; tum haec figura ideae normali viri pulcri, in ea terra, in qua haec comparatio instituitur, fundamento subest; idcirco necesse est, hominem Nigritium sub hisce conditionibus empiricis aliam pulcritudinis formaeue ideam normalem habere, atque hominem album, Sinensem aliam, atque Europaeum. Idem in exemplari pulcri equi canisue (certae cuiusdam speciei) eventurum foret. — Atque haec *idea normalis* neutiquam ex rationibus ab experientia depromtis, *vt* certis *regulis* ac *determinatis*, deriuata est; sed ex ea fit, vt demum esse queant regulae iudicandi. Ea imago est generis vniuersi, inter cunctas singulares, multifariam diuersas visiones singulorum (indiuiduorum) obuersans, quam natura substrauit prototypon generationibus suis in eadem specie, in nullo vero singulo adsecuta totam videtur. Ea neutiquam totum prototypon est *pulcritudinis* in hac specie, sed modo forma, qua conditio necessaria vniuersae pulcritudinis efficitur, proinde solum *veritas* in specie exhibenda. Ea est, vti celeberrimus *Polycleti Doryphorus* dictus fuit, *regula* (ad id ipsum in sua specie et vacca *Myronis* adhiberi). Ea ob id ipsum quoque nihil quidquam potest continere, quo species ex se ab aliis distinguatur; neque enim alias *idea normalis* foret generis. Neque exhibitio illius pulcritudine placet, sed idcirco solum, quoniam nulli conditioni repugnat, qua sola fit, vt res huiusce generis esse pulcra possit. Exhibitio solum conuenit praeceptis scholarum *).

*) Inuenies, faciem perfecte ad amussim conformatam, quam pictor sibi sessuram exemplar expetere possit, plerumque vi carere; quoniam, quo ea distinguatur, nihil quidquam insigne continet, proinde magis ideam generis refert, quam rationem personae specialem. Ratio distinguens et characteristica eorum, quae sunt in eodem genere nimia, id est, quae ipsi ideae normali (formae finali generis) derogant, Italis dicitur *carricatura*. Experientia docet quoque, facies illas prorsus ad amussim conformatas plerumque etiam in interno tantummodo hominem mediocrem prodere; propterea suspicor (si sumi liceat, naturam in externo rationes quoque interni exprimere); quoniam, si nulla constitutionum animi ex ea ratione emineat, qua

Ab *idea normali* pulcri praeterea differt eius *ideale*, quod solum poterit per caussas iam adlatas in *figura humana* exspectari. In hac igitur ideale consistit in verbo *honesti* siue *moralis*, sine quo obiecta res haud vniuerse, et positiue quidem (non solum negatiue in exhibitione scholarum regulis consentanea) placitura foret. Quae sub adspectum cadit, vis expressiua idearum moralium, hominem intus dominantium, tantummodo quidem ex experientia potest depromi; verum vt coniunctio illarum in iis omnibus, quae ratio nostra cum honesto et moraliter bono in idea summae formae finalis copulat, bonitas animi, vel puritas, vel robur, vel tranquillitas, et caetera generis eiusdem, in corpore prodenda (vt effectum intestini) quasi sub adspectum subiiciatur; ideis opus est rationis puris et magna vi phantasiae, coniunctis in eo, qui eas duntaxat diiudicare vult, multo magis qui cupit eas exhibere. Veritas eiusmodi idealis pulcritudinis in eo sese manifestat, quod nulla sensuum lenocinia complacentiae immisceri patitur rei sibi subiectae, et tamen permagnum ex ea inuitamentum capi, id quod probat, diiudicationem ad eiusmodi modum mensuramque numquam posse aesthetice puram esse, diiudicationemque ex pulcritudinis ideali nullum solum iudicium gustus videri.

DEFINITIO PVLCRI E MOMENTO PRIMO CONCLVSA.

Pulcritudo cernitur in forma *formae finalis* cuiuspiam rei obiectae, quatenus illa, *sine repraesentatione finis*, in ea percipitur *).

fit, vt solum homo a vitiis vacuus efficiatur, nihil quidquam eius poterit, quod *ingenium* vocamus, exspectari, in quo quidem natura a consuetis rationibus suis virium animi in distribuenda vna recedere videtur.

*) Contra hanc definitionem vt exemplum in contrarium (instantia) posset moneri: res esse, in quibus forma finalis conspiciatur, neque tamen finem in iis quempiam cognosci; veluti supellectilia lapidea, foramine vt ad ansam instructa, saepius e vetustis sepulcris effossa, quae, quamuis in forma sua con-

MOMENTVM QVARTVM

IVDICII GVSTVS EX MODALITATE COMPLACENTIAE REI OBIECTAE.

§. 18.

Quid sit modalitas iudicii gustus.

Vnaquaeque repraesentatio, dici potest, *fieri posse*, vt (qua cognitio) cum voluptate coniuncta videatur. Eo, quod *iucundum* voco, mihimet *reapse*, dico, voluptatem excitari. Sed *pulcrum* necessario ad complacentiam referri cogitatur. Ea vero necessitas peculiaris generis est: non necessitas theoretica obiectiua, vbi cognosci ex anticipatione possit, hanc complacentiam rei obiectae pulcrae quemque *sensurum fore;* neque practica, vbi per conceptus voluntatis rationalis purae, quae naturis libere agentibus instar regulae est, haec complacentia necessario consequitur ex lege quadam obiectiua, nullamque vim habet aliam, quam simpliciter debere (sine vllo vlteriori consilio) certo modo quodam agi. Verum ea, vt necessitas, quae in iudicio cogitatur aesthetico, dici duntaxat *exemplaris* potest, id est, necessitas consensus *omnium* ad quoddam iudicium, quod vt exemplum spectatur regulae vniuersalis, quae non potest indicari. Cum iudicium aestheticum nullum obiectiuum sit nec iudicium cognitionis, haec necessitas non poterit ex conceptibus determinatis deriuari, ideoque haud apodicticum erit. Multo minus ex vniuersalitate experientiae (a concentu perpetuo iudiciorum de pulcritudine certae cuiusdam rei obiectae) potest concludi. Vt

venientiam ex finibus perspicue ostendant, cuius finis ignoratur, nihilominus haud pulcra declarari debeat: Verum eo, quod ea vt opera artis spectantur, iam satis est, ad fatendum, figuram eorum, ad vllum quempiam finem certum ac determinatum referre. Quapropter etiam nulla videndorum illorum proxima complacentia videtur. Contra flos, velut tulipanum, pulcer putatur, quoniam certa quaedam forma finalis, quae ita, vti iudicamus, ad nullum omnino finem refertur, in perceptione illius deprehenditur.

enim taceam, experientiam haud facile sat multa illius documenta allaturam fore, nullus conceptus necessitatis iudiciorum istorum non potest in iudiciis empiricis constitui.

§. 19.

Necessitas subiectiua, quam iudicio gustus tribuimus, hypothetica est.

Iudicium gustus cuique adfingit consensum; et, qui quidpiam declarat pulcrum, is etiam cupit, vt quisque homo rei obiectae propositae adsensum largiri *debeat*, eamque itidem pulcram declarare. Itaque illud *debere* in iudicio aesthetico, vel ex vniuersis, quibus ad iudicandum opus est, tamen tantummodo cum adiunctione enunciatur. Cuiusque alius ambitur adsensio, quoniam eius rei ratio est, vniuersis communis; quae quidem adsensio posset quoque sperari, si modo semper certus fores, caussam ad rationem illam vt regulam adsensus rite esse adsumtam.

§. 20.

Conditio necessitatis, quam prae se fert iudicium gustus, idea continetur sensus communis.

Quodsi iudiciorum gustus (instar iudiciorum cognitionis) certum quoddam determinatumque et obiectiuum principium foret, is, qui ea ex hoc statuit, necessitatem iudicii sui posset absolutam postulare. Quodsi omni omnino ea principio destituta forent, velut iudicia solius saporis, nulla prorsus cuiquam in mentem venire eorum necessitas posset. Ergo necesse erit, eorum principium quoddam subiectiuum esse, quod solum per sensum, non vero per conceptus, quid placeat displiceatue, sed tamen vniuerse determinet. Eiusmodi principium autem non posset nisi vt *sensus communis* spectari; qui quidem ab intelligentia communi, quam subinde quoque sensum communem adpellant, per naturam atque essentiam distat; propterea quod hic posterior haud ex sensu iudicat, sed semper ex conceptibus, quamquam plerumque solum ex principiis obscure cogitatis.

Ergo solum posito sensu quodam communi (quem vero nullum sensum externum intelligimus, verum effectum ex libero virium cognoscendi nostrarum lusu), solo igitur posito sensu communi potest iudicium gustus pronunciari.

§. 21.

An iure possit sensus communis supponi.

Notitias atque iudicia, cum persuasione illa comitante, necesse est, vniuerse posse communicari; alioquin enim nulla iis competeret conuenientia cum rebus obiectis; et cuncta forent lusus solum subiectiuus virium repraesentatiuarum, id quod ipsum scepticorum ratio desiderat. Quodsi autem notitiae debeant communicari, status quoque animi, id est, conuenientia virium cognoscendi cum cognitione generatim, eaque ratio, quae cuique (qua nobis res quaedam datur atque offertur) repraesentationi conuenit, vt inde cognitio efficiatur, vniuerse, oportebit, communicetur: siquidem sine hac, vt conditione cognoscendi subiectiua, cognitio non potest, vt effectum, oriri. Id quod reuera quoque semper accidit, cum res obiecta quaedam data interuentu sensuum phantasiam excitat ad varia componenda, haec vero intelligentiam pellit ad vnitatem eorum in conceptibus. Sed haec virium cognoscendi promtitudo, pro varietate rerum obiectarum, quae proponuntur, variae rationis videtur. Verumtamen aliqua sit, necesse est, in qua haec relatio interna ad animationem (alterius per alteram) vtrique virium animi respectu cognitionis vtilissima sit: eaque conuenientia non nisi per sensum potest (minime per conceptus) determinari. Cum igitur, haec conuenientia ipsa, necesse sit, vt queat vniuerse communicari, proinde quoque sensus illius (in repraesentatione data); sed communicabilitas cuiuspiam sensus vniuersalis sensum supponat communem; hic iure sumi poterit, et quidem sine vlla ad obseruationes psychologicas prouocatione, sed vt necessaria vniuersalis cognitionis nostrae communicabilitatis conditio, quae in quaque logica

atque in quouis cognitionis haud fcepticae principio, fupponetur.

§. 22.

Neceffitas adfenfionis vniuerfalis, quae in quoque iudicio guftus cogitatur, neceffitas fubiectiua eft, quae pofito fenfu quodam communi vt obiectiua repraefentatur.

In vniuerfis, quibus quidpiam pulcrum declaramus, iudiciis, nulli concedimus alienae fententiae effe; nec tamen iudicium noftrum in conceptibus, verum in fenfu noftro conftituimus; quem proinde non vt fenfum priuatum, fed vt communem conftituimus. Atqui hic fenfus communis ad eam rem non poteft in experientia conftitui; fiquidem vult ius impertire iudiciorum, quibus quoddam debere continetur; non quidem enunciat, quemque cum noftro iudicio *confenfurum fore*, fed cum eo conuenire *debere*. Ergo fenfus communis, cuius iudicii hic meum guftus iudicium exemplum propono, atque idcirco ei valorem tribuo *exemplarem*, in fola norma ideali verfatur, qua pofita, quod cum ea conueniret et complacentiam in eo enunciatam rei obiectae, iudicium cuique iure poffe regula proponi; quoniam principium quidem tantummodo fubiectiuum, fed tamen fubiectiue vniuerfale (idea cuique neceffaria) accipi poffet, quoad confpirationem autem variorum iudicantium, inftar obiectiui, vniuerfa fe adfenfionem poftulare: fi modo certi effemus, nos recte ad illud fubfumfiffe.

Nec indeterminata fenfus communis norma reapfe a nobis fupponitur: id quod iure noftro probatur guftus iudicia pronunciandi. Vtrum re ipfa talis fenfus communis, vt principium poffibilitatis experientiae conftitutiuum, inueniatur, an altius quoddam rationis principium nobis illud principium modo regulatiuum ftatuere, vt fenfum quemdam communem demum in nobis ad fines altiores producamus; vtrum proinde guftus in facultate cernatur originaria et naturali, an folum in idea facultatis cuiuspiam

adhuc comparandae et artificiosae, ita, vt iudicium gustus, cum petitione sua de adsensione vniuersali, reapse petitio sit rationis eiusmodi sensus conspirationem producendi, et debere illud, hoc est, necessitas sensus congruentis cum cuiusque sensu peculiari, solum possibilitatem denotet in eo sese ad consensum componendi, iudiciumque gustus, modo exemplum proponat huiusce principii adhibendi: id vero hoc nec volumus anquirere, nec possumus, sed in praesentia tantummodo facultatem gustus nosmet resoluere ad elementa oportet, eaque tandem in idea sensus communis coniungere.

DEFINITIO PVLCRI EX MOMENTO QVARTO CONCLVSA.

Pulcrum versatur in eo, quod sine conceptu vt res complacentiae subiecta necessariae cognoscitur.

* * *

Scholion generale ad sectionem priorem analytices.

Consectario ex superiori analysium ratione ducto, patet, vniuersa demum ad conceptum gustus redire, nimirum illum cerni in facultate diiudicandae rei cuiuspiam obiectae respectu *legalitatis liberae* phantasiae. Si igitur in iudicio gustus phantasia sit in libertate sua spectanda, ea primo haud vt reproductiua sumitur, vti subiecta est legibus adsociationis, sed vt productiua et spontanea (vt effectrix formarum arbitrariarum visionum possibilium; et, quamquam in adprehendenda re sensibus subiecta ad certam determinatamque huiusce rei adstricta est, atque eatenus nullo lusu libero (quemadmodum carminibus pangendis) vtitur, tamen facile comprehendi potest: rem obiectam posse eam ipsam illi formam suppeditare, quae compositionem contineat variorum, vti phantasia eam, sibi libere permissa, *legalitati intellectuali* in genere conuenienter delineatura foret. Verum *phantasiam* esse *liberam* et tamen *sponte legalem*, id est, eam in sese antinomiam cohibere, aperte pugnat. Intelligentia sola legem fert. Cum phan-

tasia autem agere ad legem quamdam determinatam cogitur, tum effectum illius, quoad formam, per conceptus, quomodo debeat esse determinatur; tunc vero complacentia, vti supra docuimus, haud pulcri est, sed boni (perfectionis, fere solum formalis) complacentia, iudiciumque nullum est iudicium ex gustu. Itaque legalitas fine lege, consensusque phantasiae cum intelligentia subiectiuus, sine obiectiuo, vbi repraesentatio ad conceptum quemdam determinatum cuiuspiam obiectae rei refertur, non poterit cum libera intelligentiae legalitate (quam etiam formam finalem sine fine diximus) nec cum proprietate iudicii gustus sola consistere.

Iam figurae geometrice legales, figura orbicularis, quadratum, cubus, id genus aliae plerumque a criticis gustus vt pulcritudinis exempla simplicissima et indubitatissima laudantur; et tamen propterea legales vocantur, quoniam haud aliter possunt proponi, quam ita, vt pro solis exhibitionibus spectentur conceptus cuiusdam determinati, figurae illi regulam (qua ea possit sola fieri) praecipientis. Ergo alterutrum necesse est falsum esse; aut illud criticorum iudicium, quod figuris istis pulcritudo tribuitur; aut nostrum, quod formam finalem sine fine ad pulcritudinem necessariam iudicat.

Nemo facile existimet, hominem opus gustu habere, vt ei figura orbicularis magis placeat, quam delineatio inscite ducta, aut quadratum aequilaterum et aequangulum magis, quam obliquum inaequilaterum, quasique mutilum; quippe quo solum intelligentia communis, nullus vero omnino gustus postulatur. Vbi finis quidam, veluti magnitudo loci cuiusdam diiudicanda est, ratione partium erga se inuicem atque ad totum in descriptione docenda, percipitur: ibi figuris opus est regularibus, iisque simplicissimi generis; et complacentia haud proxime in adspectu figurae posita est, sed in vtilitate illius ad varios, qui possunt esse, fines. Cubiculum, cuius parietes angulos obliquos efficiunt, eiusmodi area horti ipsa vniuersa *συμμετρίας* laesio cum in animalium figura (veluti vnius oculi priuatio),

tum aedificiorum, aut arearum floralium, displicet, quoniam haud eum fine conuenit, non solum practice respectu certi cuiusdam determinatique earum rerum vsus, verum etiam diiudicationis pro variis, qui possunt esse, finibus; id quod haud vsu venit in iudicio gustus, quod, cum purum est, complacentiam displicentiamue, nullo ad vsum quemdamue finem respectu habito, cum sola obiectae rei *contemplatione* proxime coniungit.

Conuenientia partium, qua ad conceptum ducimur rei obiectae, conditio quidem sine qua non est obiectae rei in vna repraesentatione comprehendendae, varietatisque in forma illius determinandae. Quae quidem determinatio finis est respectu cognitionis; et ratione huius ea quoque semper cum complacentia coniuncta est (quae comitem habet effectionem cuiusque finis vel solum problemati). Tunc vero solum solutione probanda fit satis problemati, neque libera et indeterminate finali virium animi occupatione in eo, quod pulcrum vocamus, atque in qua intelligentia phantasiae, non vero haec illi seruit.

In re, solum per finem quemdam possibili, in aedificio quodam, vel ipso animali, conuenientia partium, quae cernitur in symmetria, vnitatem, oportebit, exprimi visionis, conceptum finis comitantem, eaque simul ad cognitionem pertinet. Vbi vero tantummodo liber quidam virium repraesentatiuarum lusus (ita tamen, vt intelligentia in eo ne offendatur) occupari debet, in hortis, in ornamentis conclauium, varia supellectili elegante, et id genus aliis, conuenientia partium, quae vim adferre videtur, quantum fieri poterit, vitatur; idcirco gustu Anglico in hortis, gustu insolenti in supellectilibus, libertas phantasiae saepenumero ad vicinitatem ridiculi extenditur, atque in hac seiunctione ab omni regulae coactione, efficit, vt in formis phantasiae vim possit perfectionemque maximam gustus ostendere.

In omnibus, quae inscite sunt ad conuenientiam composita (quae quidem ad conuenientiam mathematicam pro-

pius accedunt) ineſt quiddam a guſtu alienum, ita, vt haud diu poſſis in iis contemplandis occupari, ſed, niſi iis aperte ſit cognitio propoſita, aut certus quidam ac determinatus finis practicus, taedio adficiare. Contra id, quod fortuito phantaſia poteſt, atque ex fine quodam ludere, ſemper nobis nouum eſt, neque ex adſpectu eius taedium capimus. *Marsdenius* in deſcriptione Sumatrae animaduertit, ſpectatorem ibi vagis naturae pulcritudinis formis vndiquaque cingi, ideoque parum ex iis inuitamenti oblectationisque percipere: hortus plantis piperis conſitus, in quo, quibus ea planta ſuſtinetur, adminicula, ad lineas parallelas ſeries inter ſe conſtituunt, cum in media illam ſylua offendit, permagnam illi voluptatem creabat; atque inde colligit, pulcritudinem feram, nec, quoad ſpeciem, ad regulas compoſitam illi modo per viciſſitudinem placere, qui conuenientem ad ſatietatem contemplatus eſſet. Verum ſi modo periculum feciſſet, diem in horto pipere conſito commorandi, facile ſenſiſſet, intelligentia ex conuenientia ad ordinis voluptatem compoſita, cuius ea vbique indiget, re obiecta haud diutius ſuſtineri, potiusque phantaſiae vim moleſtam inferri: contra naturam ibi varietatibus ad luxuriam vsque prodigam, nullique regularum artificialium coactioni ſubiectam, guſtum ſuum perpetuo alere poſſe. — Ipſe cantus auium, quem nulli poſſumus muſicorum regulae ſubiicere, maiorem libertatem videtur atque idcirco plus ad guſtum continere, quam ipſa vox humana, vniuerſis muſices regulis accommodata et conſentanea: quoniam ex hac ſaepius diuque repetita, longe maturius taedium capimus. Verum in eo ſine dubio communionem laetitiae, in quam cum paruulo, quo delectemur, animalculo venimus, cum pulcritudine cantus eius permutamus, qui, ſi ab homine (quod in cantu luſciniae nonnumquam vſu venit) imitando ad viuum prorſus exprimitur, auri noſtrae omni deſtitutus gratia videtur.

Iam res pulcrae ab adſpectu pulcro rerum (quae ſaepenumero propter diſtantiam haud amplius poſſunt diſtincte cognoſci) diſcernendae videntur. In adſpectu rerum pul-

cro gustu non tam in eo haerere videtur, quod phantasia in hoc campo *adprehendit*, quam potius in eo, quod hic illi ad *fingendum* offertur, hoc est, in propriis phantasiis istis, in quibus animus occupatur, interea dum per varietatem, quam oculus offendit, perpetuo excitatur; vti fere adspectu formarum mutabilium flammae camini, aut riuuli murmurantis, quae ambae non pulcritudines sunt, sed tamen illecebras continent phantasiae, propterea quod lusum eius liberum occupant.

LIBER POSTERIOR

ANALYTICES SVBLIMITATIS.

§. 23.

Transitio a facultate pulcri iudicandi ad vim iudicandae sublimitatis.

Pulcrum cum sublimi in eo conuenit, quod vtrumque per se placet. Iam vero in eo quoque cum hoc illud congruit, quod vtroque non iudicium sensus, aut logice determinans, sed iudicium supponitur reflexionis: proinde complacentia haud in sensatione quadam, veluti complacentia iucundi, neque in conceptu quodam determinato haeret, quemadmodum complacentia boni; nihilominus tamen ad conceptus, quamuis ad quos in medio relinquatur, refertur, ideoque complacentia ad solam exhibitionem eiusue facultatem iuncta est, quo facultas exhibitionis, seu phantasia, in visione quadam data cum *facultate conceptuum* intelligentiae rationisue, vt promotio rationis, in concentu consideratur. Idcirco quoque vtraque iudicia sunt *singularia*, et tamen per se vniuersaliter respectu cuiusque subiecti iudicia annunciatiua, quamquam solum sibi sensum voluptatis arrogant, sed nullam obiectae rei cognitionem.

Vtrumque vero varie distingui, manifestum videtur. Pulcrum naturae formam spectat rei obiectae, quae cernitur in finitione; contra sublime in re quoque deprehenditur omni forma destituta, quatenus *infinitas in* ea, dataue per eam occasione, repraesentatur et tamen totalibus illius cogitando additur: ita vt pulcrum pro exhibitione conceptus cuiuspiam intellectualis indeterminati, sed sublime pro exhibitione cuiuspiam indeterminati conceptus rationali sumi videatur. Ergo illic cum repraesentatione *qualitatis*, hic vero cum repraesentatione *quantitatis* complacentia

coniuncta est. Praeterea complacentia posterioris generis a superiori admodum abhorret; propterea quod in hac (pulcri) directe inest sensus promouendae vitae, ideoque cum illecebris phantasiaque potest ludente coniungi; illa vero (sensus sublimitatis) in voluptate cernitur, quae tantummodo indirecte exsistit, nimirum ita, vt per sensum impeditionis momentaneae virium vitalium eamque continuo succedentis eo maioris effusionis earum gignatur, proinde vt motus non lusus, sed res seria in occupanda phantasia videatur. Idcirco quoque non potest cum illecebris conciliari; et, dum ab re obiecta animus non solum attrahitur, sed mutuo quoque semper rursum repellitur, complacentia sublimium non tam positiue voluptatem, quam potius admirationem obseruantiamue continet, hoc est, voluptas dici negatiua meretur.

Grauissimum vero internumque sublimium a pulcro discrimen hoc est: si, vti fas erit, hic in primis solum sublime in rebus naturalibus sub rationem vocemus, (nempe sublime artis semper solet ad conditiones adstringi conuenientiae cum natura), pulcritudinem naturae (in sese consistentem) conuenientiam in forma sua continere, qua res obiecta facultati iudicandi nostrae quasi praedeterminata videatur, atque ita per se rem esse complacentiae obnoxiam; cum contra id, quod, in nobis, haud argutantibus, solum in adprehensione, sensum excitat sublimitatis, secundum formam alienum quidem facultati iudicandi nostrae, atque inconueniens facultati nostrae exhibitionis, quasique violentum phantasiae videri potest, sed tamen eo esse sublimius iudicatur.

Ex quo vero continuo intelligitur, nosmet omnino falso loqui, cum vllam *rem* quampiam *naturae* sublimem dicimus, etsi recte quidem permultas earum dicere pulcras possumus; etenim quomodo id cum verbo adprobationis poterit notari, quod per se vt alienum atque incongruum adprehenditur? Non possumus, nisi rem obiectam ad exhibendam sublimitatem quamdam idoneam esse, quae in animo deprehendi potest, adserere; quod enim proprie

ſublime eſt, in nulla poterit forma ſenſitiua contineri, verum tantummodo ideas attingit rationis, quae, quamquam non poteſt iis conſentanea exhibitio fieri, per hanc ipſam inconuenientiam, quae ſub ſenſus poteſt ſubiici, excitatae, in animum vocantur. Sic oceanus amplus, procellis excitatus, non poterit ſublimis vocari. Adſpectus eius horrendus eſt; animus, neceſſe ſit, variis iam ideis repletus ſit, ſi eiusmodi adſpectu ad ſenſum componi debeat, qui ipſe ſublimis ſit; propterea quod animus incitatur ad ſenſualitatem deferendam in ideisque, altiorem convenientiam complectentibus, ſeſe occupandum.

Pulcritudo naturae in ſeſe conſiſtens technicam naturae nobis aperit, quam vt ſyſtema proponit ex legibus, quarum principium in vniuerſa intelligendi facultate noſtra haud deprehendimus, nempe principium conuenientiae formaeue finalis, habito ad vſum facultatis iudicandi reſpectu, ratione phaenomenorum, ita, vt haec non ſolum ad naturam in mechaniſmo illius temerario, verum etiam vt ad analogiam artis pertinentia diiudicanda videantur. Ea ergo non cognitionem quidem noſtram rerum naturalium, verum tamen noſtrum naturae conceptum, nimirum vt ſolius mechaniſmi, amplificat atque dilatat vsque ad conceptum eiusdem naturae vt artis: id quod ad profundas de poſſibilitate eiusmodi formae inueſtigationes inuitat. In eo autem, quod dicere in ea ſublime ſolemus, tantum abeſt, vt quidpiam inſit, quo ad peculiaria principia obiectiua iisque formas naturae conuenientes ducamur, vt haec potius in chaos ſuo, aut inordinatiſſima confuſione ſua maximeque temeraria atque euerſione, ſi modo magnitudinem poteſtiamque oſtendat, ideas ſublimitatis maxime excitet. Ex quo intelligimus, conceptum ſublimitatis naturae minime tam grauem eſſe, tamque fecundum conſequentiis, quam conceptum pulcri in ea; neque omnino quidquam conueniens in natura ipſa, ſed tantummodo in *vſu* poſſibili illius adſpectuum eo indicari, vt conuenientiam ab natura prorſus liberam in nobis ipſis ſentiamus. Pulcritudinis naturae ratio extra nos quaerenda eſt, ſed ſublimitatis ſolum

Vol. III. R

in nobis modoque cogitandi, quae repraesentationi naturae sublimitatem iniicit; quae quidem obseruatio, ideas sublimitatis ab idea conuenientiae *naturae* prorsus seiungens, et ex theoria illius meram adpendicem faciens ad diiudicationem conuenientiae naturae aestheticam, admodum necessaria est; quoniam eo nulla peculiaris forma quaedam in hac repraesentatur, verum modo vsus conueniens, quem phantasia facit repraesentationum suarum, explicatur.

§. 24.

De diuisione inuestigationis sensus sublimitatis.

In diuisione quidem momentorum diiudicationis aestheticae rerum obiectarum, respectu sensus sublimitatis, analytica poterit ex eodem principio progredi, vti factum est in analysi iudiciorum gustus. Namque iudicium facultatis iudicandi aestheticae reflectentis, complacentiam sublimitatis pariter, ac pulcritudinis, oportebit, quoad *quantitatem* vt vniuersalem, secundum *qualitatem* sine inuitamento, quoad *relationem* conuenientiam subiectiuam, et secundum *modalitatem* hanc posteriorem vt necessariam, proponat. Igitur in eo via haud distabit a methodo sectionis superioris: nisi forte in eo existimes discrimen reperiri, quod illic, vbi iudicium aestheticum formam spectabat obiectae rei, ab inuestiganda qualitate proficiscebamur; hic autem, in vacuitate formae, quae illi, quod sublime dicimus, competere potest, ab indaganda quantitate, vt primo iudicii de sublimi aesthetici momento instituemus: cuius vero ratio disci poterit ex §. praecedente.

Sed analysi sublimium opus est diuisione, cuius haud indiget analysis pulcri, scilicet in *sublime mathematicum* et *dynamicum*.

Namque cum sensus sublimitatis *motum* animi cum diiudicatione rei obiectae coniunctum, vt, qua distinguatur, notam in se cohibeat, contra ea vero gustu pulcri animus in contemplatione *tranquilla* supponatur ac seruetur; hic autem motus debeat vt subiectiue conueniens ac

finalis confiderari (quoniam fublime placet): is motus per phantafiam vel ad *facultatem cognofcendi*, vel ad *vim adpetendi* refertur: vtroque refpectu vero forma finalis repraefentationis datae folum ratione harum *facultatum* (fine fine aut inuitamento) diiudicabitur: vbi tum prior illa, vt *mathematica*, haec altera vt *dynamica* phantafiae compofitio rei obiectae tribuitur, ideoque ea res fic dupliciter vt fublimis repraefentatur.

A.

DE SVBLIMI MATHEMATICO.

§. 25.

Definitio verbi fublimis.

Sublime vocamus id, quod *fimpliciter magnum* eft. Sed magnitudinis et quantitatis conceptus admodum diuerfi funt. Itemque *fimpliciter dicere*, aliquid magnum effe, itidem longe aliud eft, quam dicere, *abfolute* illud, non comparatiue *magnum* effe. Hoc pofterius eft id, *quod fupra omnem comparationem magnum eft.* — Quae vero fubiicienda vis verbis erit, aliquid magnum paruumue aut mediocre effe? Conceptus intelligentiae purus eo haud notatur; multo minus vifio fenfitiua; et tantumdem conceptus rationalis, quoniam nullum omnino in fe cohibet principium cognofcendi. Igitur conceptus fit facultatis iudicandi oportebit, aut a tali defcendat, formamque finalem fubiectiuam repraefentationi refpectu facultatis iudicandi conftituat. Aliquid quantum effe, ex re ipfa poterit, haud cum alia re comparata, cognofci; cum fcilicet multitudo fimilium coniuncte vnum efficit. *Quam* vero illud *magnum* fit, femper alius cuiuspiam, quod etiam quantum fit, pro menfura indiget. Quoniam autem in diiudicanda magnitudine non folum de multitudine (numero) agitur, verum etiam de magnitudine vnitatis (modi ac menfurae), huiusce pofterioris magnitudo viciffim cuiuspiam alius indiget pro menfura, quacum queat comparari; videmus: omnem determinationem phaenomenorum quantitatiuam

nullum prorſus poſſe conceptum quanti abſolutum, ſed ſemper ſolum conceptum comparatiuum ſuppeditare.

Quodſi ergo ſimpliciter dicam, aliquid magnum eſſe, nullam omnino comparationem in mente habere videor, certe cum nulla menſura obiectiua, ſiquidem eo minime, quam magna res ea obiecta ſit, determinatur. Quamuis autem menſura comparationis ſolum ſubiectiua ſit, nihilominus iudicium adprobationem poſtulat vniuerſalem; iudicia: hic vir pulcer eſt, et eſt magnus, non ſolum ad ſubiectum iudicans adſtringuntur, ſed, velut iudicia theoretica, cuiusque adſenſum poſtulant.

Quoniam autem in iudicio, quo quidpiam ſimpliciter vt magnum enunciatur, non ſolum res obiecta dicitur magnitudinem habere, ſed haec illi ſimul eminenter prae multis aliis eiusdem generis tribuitur, neque tamen ea praeſtantia determinate indicatur; ſit ſane, vt ei menſura conſtituatur, quae ponitur a quoque homine, vt eadem, accipi poſſe, quae vero ad nullam magnitudinis diiudicationem logicam (mathematice determinatam), ſed modo aeſtheticam vtilis eſt, quoniam menſura eſt ſubiectiue ſolum iudicio de magnitudine reflectenti fundamento conſtituta. Caeterum ſiue ea empirica ſit, vti fere magnitudo media hominum, animalium certi cuiusdam generis, arborum, domuum, montium, et caeterorum de genere eodem; ſiue menſura ex anticipatione data, quae per vitia ſubiecti iudicantis adſtricta eſt ad conditiones exhibitionis in ſingulo (concreto) ſubiectiuas: velut in practicis, magnitudo certae cuiuspiam virtutis, aut libertatis publicae in aliqua regione; vel in theoreticis: magnitudo veritatis falſitatisque cuiusdam obſeruationis aut menſurae inſtitutae, et ſimilium.

Hic igitur dignum notatu videtur: etiamſi nullum omnino inuitamentum ex aliqua re capiamus, hoc eſt, exſiſtentia illius nihil ad nós quidquam attineat, tamen ſolam magnitudinem illius, quin ſi vel vt deſtituta forma conſideretur, complacentiam poſſe in ſeſe cohibere, vniuerſe communicabilem, proinde conſcientiam formae finalis ſub-

iectiuae in se continere; sed haud fere complacentiam rei obiectae, vti in pulcro (quae quippe esse debeat forma destituta), vbi iudicandi vis reflectens respectu cognitionis omnino sese conuenienter compositam sentit; verum phantasiae per se ipsius amplificandae.

Quodsi (rebus sic supra circumscriptis) rem quampiam simpliciter dicamus magnam esse; illud iudicium non mathematice determinans est, sed solum iudicium reflexionis de repraesentatione illius, ad certum vsum quemdam virium cognoscendi nostrarum in obseruantia quantitatiua subiectiue finali et consentanea; et tunc cum repraesentatione semper coniungimus obseruantiam quamdam, vti cum eo, quod simpliciter paruum vocamus, contemtum quemdam ac despicientiam. Caeterum diiudicatio rerum vt magnarum paruarumue cuncta spectat, vel vniuersas illarum qualitates; idcirco ipsam pulcritudinem nosmet magnam vel paruam adpellamus; cuius quidem causa ratioque in eo quaerenda est, quod, quae illa cumque ex praeceptione facultatis iudicandi in visione (proinde aesthetice) proponere possumus, cuncta phaenomena sunt, ideoque et quanta.

Sin vero quidpiam non solum magnum, verum etiam simpliciter absoluteque atque omni respectu habito (supra omnem comparationem) magnum, hoc est, sublime dicimus, facile intelligitur, nullam illi consentaneam mensuram extra illud, sed solum in illo anquirendam nosmet concedere. Magnitudo est solum sibimet ipsa aequalis. Ex qua proinde sequitur, sublime non in rebus naturae quaerendum esse, sed solum in ideis nostris; in quo vero illud situm sit, id quidem deductioni seruandum videtur.

Superior illa definitio sic quoque poterit enunciari: *sublime est id, quocum comparata cuncta alia parua videntur.* Hoc loco facile intelligitur, in natura nihil dari posse quidquam ac proponi, quantum illud cumque a nobis iudicetur, quod ad aliam quamdam adfectionem spectatum nequeat vsque ad infinite paruum deminui; et rursus retro, nihil tam paruum, quin ex minoribus mensuris phantasiae

nostrae possit vsque ad magnitudinem mundi dilatari. Vberrimam materiam obseruationis prioris telescopia, microscopia posterioris faciendae nobis suppeditarunt. Nihil igitur, quod potest sub sensus cadere, hoc modo spectatum, sublime vocandum videtur. Ob eam autem ipsam causam, quod in phantasia nostra nisus ad progressum in infinitum, sed in ratione nostra petitio inest vniuersitatis absolutae, vt ideae cuiuspiam realis; illa ipsa inconuenientia facultatis nostrae in aestimanda magnitudine rerum mundi sensibilis ad hanc ideam, excitatio sensus cuiuspiam facultatis suprasensitiuae in nobis est; vsusque, quem facultas iudicandi ex certis quibusdam rebus obiectis in gratiam sensus per naturam rei capit, non vero res sensibus obnoxia, simpliciter magnus est, sed quisque vsus alius cum eo comparatus, paruus videtur. Proinde compositio animi per certam quamdam, in qua iudicandi vis occupatur, repraesentationem, non vero res obiecta, sublimis adpellanda est.

Quamobrem ad superiores definitionis sublimium formulas hanc quoque addere poterimus: *sublime est id, quod vt modo cogitari queat facultatem animi euincit, quauisque sensuum mensuram superantem.*

§. 26.

De obseruantia rerum naturae quantitatiua, ad ideam sublimitatis necessaria.

Obseruantia quantitatiua per conceptus numerorum (eorumue notas in algebra) mathematica est, quae vero in sola fit visione (pro arbitrio oculorum) aesthetica dicitur. Iam possumus quidem conceptus determinatos illius, *quam magnum* quidpiam sit, solum per numeros haurire (fere adpropinquationes per series numerorum in infinitum progredientes), quorum vnitas mensura est; atque eatenus vniuersa logica obseruantia quantitatiua mathematica est. Verum tamen cum magnitudo mensurae vt nota accipienda sit, nos, si haec vicissim per numeros, quorum vnitatem aliam esse mensuram oporteret, proinde mathematice aesti-

mari deberet, numquam primam menſuram ſeu conſtitutiuam, nec proinde determinatum cuiuspiam magnitudinis datae conceptum habere poſſemus. Ergo, obſeruantiam magnitudinis menſurae primae, neceſſe eſt, ſolum in eo verſari, vt ea in viſione proxime prehendi queat et per phantaſiam ad exhibitionem conceptuum numeralium adhiberi; hoc eſt, omnis rerum obiectarum naturae obſeruantia poſtremo aeſthetice eſt (id eſt, ſubiectiue, non vero obiectiue) determinata.

Iam obſeruantiae quidem quantitatiuae mathematicae nullum maximum eſt (numerorum enim potentia in infinitum tendit); ſed obſeruantiae quantitatiuae aeſtheticae ſane maximum eſt; quod, ſi vt menſura abſoluta iudicetur, qua nulla eſſe ſubiectiue (ſubiecto iudicanti) maior poſſit, ideam dico ſublimitatis in ſeſe continere, eamque motum efficere, quem nulla poteſt mathematica per numeros obſeruantia quantitatiua (niſi quatenus menſura illa prima aeſthetica praeterea viua ſeruetur in phantaſia) efficere: propterea quod haec poſterior ſolum quantitatem relatiuam per comparationem cum alia ſimilis generis, ſed illa poſterior quantitatem ſimpliciter exhibet, quoad eam animus poteſt in viſione comprehendere.

Ad quantum aliquod in viſione in phantaſiam adprehendendam, quo eo vti poſſis pro menſura, aut vt vnitate, ad obſeruantiam quantitatiuam per numeros, actiones huiusce facultatis duae requiruntur; et *adprehenſio*, et *comprehenſio aeſthetica*. Adprehenſio nulla difficultate laborat; ea enim fieri in infinitum poteſt; ſed comprehenſio eo difficilior redditur, quo longius progreditur adprehenſio, breuique ad maximum peruenit, ſcilicet ad primam menſuram obſeruantiae quantitatiuae aeſthetice maximam. Namque, adprehenſione eo vsque progreſſa, vt primum adprehenſae repraeſentationes partium viſionis ſenſitiuae in phantaſia iamiam incipiant exſtingui, interim dum haec ad adprehendendas plures progreditur; ex vna parte tantum ea amittit, quantum ex altera parte lucratur, et in comprehenſione maximum eſt, quod ea haud poteſt ſuperare.

Ihde enodari poteſt, quod *Sauary* in commentariis de Aegypto adnotat: ad pyramides haud ita prope nos accedere debere, neque ita longe ab iis abeſſe, vt tota magnitudinis earum permotione perſundamur. Quodſi enim longius ab iis abſis, partes, quae adprehenduntur (lapides lapidibus ſuperſtructi) tantummodo obſcure repraeſentantur, earumque repraeſentatio nihil quidquam efficit in iudicio aeſthetico ſubiecti. Si vero iuſto propius adſtes, oculus aliquantum temporis opus habet, ad adprehenſionem a baſi ad culmen vsque abſoluendam; in hac autem partim ſemper exſpirant priores, antequam phantaſia poſteriores adprehendit, comprehenſioque numquam plena erit et abſoluta. — Idem poteſt idoneum eſſe ad perturbationem, dubiumue motum animi explicandam, qua narrant ſpectatorem in aedem Petrinam Romae primum ingredientem perfundi. Hic enim ſenſus eſt inconuenientiae phantaſiae illius cum ideis cuiuspiam totius, ad eas exhibendas, in qua phantaſia maximum adſequitur, et, in niſu illius dilatandi, in ſe ipſa renutat, eo autem in complacentia ponitur mouente.

Nondum vllam in praeſentia mentionem faciam huiusce complacentiae, cum repraeſentatione coniunctae, qua minime exſpectaueris ſenſum in nobis inconuenientiae, proinde quoque inconuenientiae ſubiectiuae repraeſentationis cum facultate iudicandi in obſeruantia quantitatiua excitari; ſed moneo tantummodo, ſi iudicium aeſtheticum *purum* debeat (*cum nullo teleologico* vt iudicio rationis *commixtum*) in eoque exemplum criticae facultatis iudicandi *aeſtheticae* aptum prorſus et conſentaneum proponi, haud eſſe ſublime in operibus artis (veluti aedificiis, columnis et id genus aliis) oſtendendum, quorum cum formam tum magnitudinem finis quidem humanus determinat, neque in rebus naturae, *quarum conceptus iam finem determinatum in ſe cohibet* (velut in animalibus notae determinationis naturalis), verum in natura rudi (in eaque adeo tantummodo, quatenus ea per ſe nullas illecebras, permotionemue ex periculo vero continet), duntaxat quatenus ea quantitatem

complectitur. Namque in hoc repraesentationis genere natura nihil continet, quod ingens (neque splendidum aut horrendum) foret; quae adprehenditur, quantitas, vt cumque accreuerit, si modo per phantasiam possit in toto quodam comprehendi. *Ingens* res erit, si magnitudine sua finem euertit, quo eius conceptus efficitur. *Colossea* autem sola conceptus exhibitio vocatur, quae ad omnem exhibitionem fere nimium magna est (finitima est relatiue ingenti); quoniam finis exhibendi conceptus eo, quod adspectus rei obiectae nostrae adprehendendi facultati propemodum nimis magnus est, impeditur. — Sed iudicium de sublimi purum nullum prorsus debet rei obiectae finem pro ratione determinante habere, si aestheticum esse debeat, neque cum vllo quopiam neque intelligentiae nec rationis iudicio coniunctum.

* * *

Quoniam cuncta, quae facultati iudicandi solum reflectenti debent sine inuitamento placere, in repraesentatione subiectiua sua, et, qua tali, formam finalem in se vniuersalem cohibere, sed tamen hoc loco nulla *formae* rei obiectae conuenientia (vti in pulcro) diiudicationi fundamento subest; quaeritur: ecquaenam est ea conuenientia subiectiua? et quo ea vt norma praecipitur, vt in sola obseruantia quantitatiua, et ea quidem, quae vel ad inconvenientiam phantasiae nostrae in exhibendo quantitatis conceptu perducta est, ea ratio queat complacentiae vniversalis videri?

Phantasia in compositione, ad repraesentationem quantitatiuam necessaria, sponte, nulla re impediente, in infinitum progreditur; intelligentia vero illam ducit per conceptus numerorum, quorum suppeditare schema phantasia debet: atque in hac ratione, vt ad logicam obseruantiam quantitatiuam pertinente, quidpiam quidem obiectiue finale inest, ex conceptu finis (cuiusmodi quaeque mensuratio videtur), nihil autem quidquam iudicandi vi aestheticae finale et placens. In hac quoque forma finali propo-

ſita nihil ineſt, quo menſurae quantitas, proinde *comprehenſionis* multorum in viſione vna, vsque ad terminos phantaſiae, et quo vsque haec in exhibendo pertinuerit, cogeretur extendi. Namque in obſeruantia quantitatum intellectuali (arithmetica) idem erit, ſiue in comprehendendis vnitatibus vsque ad numerum 10 (in decatice), ſiue tantummodo ad 4 (in tetractice) progrediare; vlteriorem vero quantitatum geneſin in componendo, aut, ſi quantum in viſione datum ſit atque oblatum, in adprehendendo, ſolum progreſſiue (non vero comprehenſiue) ex ſumto quodam efficias principio progreſſionis. In hac obſeruantia quantitatiua mathematica intelligentiae perinde conſulitur, ſiue phantaſia ad vnitatem quantitatem eligat, quae vno poſſit adſpectu prehendi, veluti pedem aut perticam, ſiue miliare Germanicum, ſiue adeo terrae diametrum, cuius adprehenſio quidem, non vero in vna viſione phantaſiae comprehenſio (non per comprehenſionem aeſtheticam, quamquam commode quidem per comprehenſionem logicam in conceptu numeri) fieri poteſt. Vtrobique logica obſeruantia quantitatiua haud impedita pergit in infinitum.

Nunc autem animus intus in ſe vocem auſcultat rationis, vniuerſitatem poſtulantis quantitatum omnium datarum, earum ipſarum quoque, quae numquam quidem totae poſſunt adprehendi, nihilominus tamen (in repraeſentatione ſenſitiua) vt totae datae diiudicantur, proinde comprehenſionem in viſione *vna* deſiderantis, omniumque membrorum ſeriei progreſſiue creſcentis *exhibitionem*, ipſumque infinitum (ſpatium tempusque praeterlapſum) ab hoc praecepto haud ſecludentis, potiusque cogentis, vt illud (in iudicio rationis communis) vt *totum* (ſecundum vniuerſitatem ſuam) *datum* cogitetur.

Infinitum autem ſimpliciter (non ſolum comparatiue) magnum eſt. Cum hoc comparata, cuncta alia (de genere quantitatum eodem) parua ſunt. Sed, quod caput eſt, vt poſſit illud tamquam *totum aliquod* vel modo cogitari, facultatem animi indicat, omnem ſenſuum menſuram ſuperantem. Ad id enim opus comprehenſione foret,

quae menſuram vt vnitatem ſuppeditaret, cuius ratio ad infinitum determinata eſſet, quae numeris poſſet enunciari; id quod fieri non poteſt. Sed vt infinitum datum *vel poſſit modo* ſine repugnantia *cogitari*, in mente humana opus facultate foret, ipſa ſupraſenſitiua. Etenim ſolum per hanc eiusque ideam noumeni, cuius ipſius nulla eſſe viſio poteſt, ſed tamen viſioni mundi, vt ſoli phaenomeno, ſubſtrato ſubiicitur, infinitum mundi ſenſibilis in obſeruantia quantitatiua intellectuali pura, *in* conceptu *totum* comprehenditur, quamquam in mathematica numquam *tota* poteſt *per numerorum conceptus* cogitari. Ipſa facultas ea, qua infinitum viſionis ſupraſenſitiuae poſſit vt (in ſubſtrato intelligibili ſuo) datum cogitari, omnem ſuperat menſuram facultatis ſenſitiuae, ſupraque omnem cum ipſa facultate obſeruantiae mathematicae obſeruantiam magna eſt; ſane quidem haud fere reſpectu theoretico in gratiam facultatis cognoſcendi, ſed tamen vt amplificatio animi, ſentientis ſeſe idoneum ad carceres ſenſualitatis alio reſpectu (practico) transgrediendos.

Sublimis natura eſt in illo phaenomenorum ſuorum, in cuius viſione idea ineſt infinitatis. Id quod fieri non poteſt, niſi per inconuenientiam ipſius maximi phantaſiae noſtrae niſus in obſeruantia cuiuspiam rei obiectae quantitatiua. Atqui obſeruantiae quantitatiuae mathematicae in vnaquaque obiecta re phantaſia par eſt, ad menſuram illius ſuppeditandam idoneam, quoniam numerorum conceptus intelligentiae, per progreſſionem, poſſunt quamque menſuram ad quamque quantitatem aptare. Ergo obſeruantia quantitatiua *aeſthetica* ſit, oportebit, in qua niſus comprehendendi facultatem phantaſiae ſuperat, adprehenſio progreſſiua in toto viſionis quodam comprehendenda ſentitur, et praeterea inconuenientia huiusce facultatis in progrediendo interminatae percipitur, menſuram obſeruantiae quantitatiuae primam minimo intelligentiae labore prehendendi ad obſeruantiamque quantitatiuam adhibendi. Iam propria immutabilis naturae menſura prima cernitur in toto illius abſoluto, quod, in ea vt phaenomeno, infinitate

continetur comprehensa. Cum autem haec mensura prima in conceptu versetur per se ipso repugnante (propter impossibilitatem vniuersitatis absolutae cuiuspiam sine fine progressus); sequitur, vt ea quantitate cuiuspiam rei obiectae naturae, ad quam vim omnem comprehendendi suam frustra phantasia adhibet, conceptus naturae ad substratum suprasensibile (quod ei simulque nostrae cogitandi facultati fundamento subest) ducatur, supra omnem sensuum mensuram magnum, quo proinde non tam res obiecta potest, quam potius tenor animi in obseruantia illa, vt *sublimis* diiudicari.

Igitur, quemadmodum vis iudicandi aesthetica in diiudicando pulcro phantasiam in luso libero ad *intelligentiam* refert, vt cum *conceptibus* illius vniuerse (sine determinatione eius) conueniat; sic eadem facultas in re quadam vt sublimi diiudicanda sese refert ad *rationem*, vt ad *ideas* illius (indeterminate quibus) subiectiue conspiret, hoc est, compositionem animi efficiat, illi consentaneam et sociabilem, quam contagio idearum determinatarum (practicarum) foret in sensu effectura.

Ex quo intelligitur, veram sublimitatem tantummodo in animo iudicantis, non vero in re obiecta naturae, cuius diiudicatio ex hoc animi tenore exsistit, quaerendam esse. Ecquis enim informia montium iuga, confusione fera congesta, cum pyramidibus glacialibus, vel triste et procellosum mare, id genus alia sublimia vocauerit? Verum animus in sua ipsius diiudicatione sese sentit elatum, cum, in contemplandis illis, nullo formae eorum respectu habito, phantasiae sese rationique quamquam sine vllo fine determinato coniunctae, illam solum dilatanti permittens, vim omnem phantasiae tamen ideis suis inconuenientem videt.

Exempla mathematicae subtilitatis naturae in visione sola in vniuersis rebus obuia sunt, in quibus non tam maior numerorum conceptus, quam potius magna vnitas vt mensura (ad series numerorum diminuendas) phantasiae datur ac proponitur. Arbor, quam ad altitudinem viri aestimamus, mensura fere montis est; qui, si forte altitudinem

aequaret miliaris, poteſt pro vnitate eſſe numeri, diametrum terrae enunciantis, vt hic viſioni ſubiiciatur; diameter terrae porro ſyſtematis, quod nouimus, planetarum, hoc vero viae lacteae, immenſaeque multitudinis eiusmodi viarum lactearum, quas ſtellas nebuloſas adpellamus, quae ſine dubio itidem inter ſe inuicem eiusmodi ſyſtema conſtituunt, in quibus nulli prorſus fines poterunt ac termini exſpectari. Iam ſublime, in tam immenſo toto aeſthetice diiudicando, non tam in magnitudine numeri ineſt, quam in eo potius, quod in progreſſu ſemper ad vnitates eo maiores peruenimus, quo quidem deſcriptio mundi ſyſtematica confert, quae vniuerſa, quae in natura magna ſunt, viciſſim ſemper vt parua, proprie autem phantaſiam noſtram in omni infinitate eius, cum eaque naturam, vt ad ideas rationis, cum repraeſentationem iis conuenientem largiri, euaneſcentem depingit.

§. 27.

De qualitate complacentiae in diiudicando ſublimi.

Senſus inconuenientiae facultatis noſtrae cum adſequenda idea, *quae nobis lex eſt, obſeruantia* vocatur. Atqui idea cuiusque, quod nobis dari poterit atque offerri, phaenomeni in viſione cuiuspiam totius comprehendendi talis eſt, quae nobis per legem rationis iniuncta eſt, quae nullam aliam determinatam et ad quemque valentem atque immutabilem menſuram agnoſcit, quam totum abſolutum. Sed phantaſia noſtra, in ipſo niſu ſuo maximo, reſpectu comprehenſionis praeceptae cuiuspiam data rei obiectae in toto quodam viſionis (proinde ad exhibendam rationis ideam) carceres ſuos probat et inconuenientiam, ſed ſimul tamen deſtinationem ſuam ad conuenientiam cum ea vt lege quadam efficiendam. Ergo ſenſus ſublimium in natura obſeruantia continetur noſtrae propriae deſtinationis, quam rei cuipiam obiectae naturae per certam quamdam ſubreptionem (permutationem obſeruantiae erga rem obiectam cum obſeruantia erga ideam humanae naturae in ſubiecto noſtro) praeſtamus, quod quidem nobis vim deſtinationis

rationalis facultatum cognoſcendi noſtrarum maxima ſenſualitatis facultate ſuperiorem quaſi ſub oculos ſubiicit.

Igitur ſenſus ſublimitatis cernitur in ſenſu taedii, ex inconuenientia phantaſiae in obſeruantia quantitatiua aeſthetica, cum obſeruantia per rationem, et in quadam voluptate praeterea ſimul excitata ex conuenientia huius ipſius iudicii de inconuenientia maximae facultatis ſenſitiuae cum ideis rationis, quatenus conatus ad eas tamen nobis pro lege videtur. Ex nobis ſcilicet pro lege (rationis) ad noſtramque deſtinationem pertinet, vt cuncta, quae natura vt res ſenſibus obnoxia nobis magna continet, cum ideis comparata rationis, parua putentur, et, quae ſenſum deſtinationis huiusce ſupraſenſibilis in nobis excitant, cum illa lege conſpirant. Atqui maximus phantaſiae conatus in exhibenda vnitate obſeruantiae quantitatiuae cernitur in relatione ad quidpiam *abſolute magnum*, proinde quoque in relatione ad legem rationis, quae praecipit, vt hoc ſolum pro ſuprema quantorum menſura ſumatur. Ergo perceptio interna inconuenientiae omnis menſurae ſenſitiuae cum obſeruantia quantitatiua rationis verſatur in concentu cum legibus illius, taedioque, quod ſenſus in nobis excitat deſtinationis noſtrae ſupraſenſibilis, qua fit, vt fini conveniat, proinde voluptas ſit, quamque ſenſualitatis menſuram ideis rationis inconuenientem videre.

In repraeſentatione ſublimium in rerum natura animus ſeſe *commotum* ſentit; cum in iudicio aeſthetico de pulcro in contemplatione tranquilla teneatur. Hic motus (praeſertim initio) poteſt cum concuſſione comparari, id eſt, cum pulſu attractuque eiusdem rei obiectae celeriter ſuccedente. Ratio transſcendens phantaſiae (vsque ad quod ea in viſione fertur adprehendenda) quaedam quaſi vorago eſt, in qua ſe ipſa metuit perdere; ſed tamen quoque ideae rationis de ſupraſenſibili haud transſcendens, verum legalis, eiusmodi conatum phantaſiae edendi; proinde eodem modo rurſus attrahens, quo ſoli ſenſualitati fuit repellens. Sed iudicium ipſum ſemper manet ſolum aeſtheticum, quoniam ſine vllo determinato rei obiectae conceptu conſtituto,

solum lusum virium animi (phantasiae rationisque) ipsarum subiectiuum per pugnam earum vt harmonicum depingit. Etenim, vti phantasia et *intelligentia* in pulcro diiudicando per concentum suum, sic phantasia *ratioque* hoc loco per pugnam suam, creant formam finalem virium animi subiectiuam; nimirum sensum quemdam, nos ratione vti pura in sese consistente, seu facultate obseruantiae quantitatiuae, cuius praestantia non potest sub adspectum subiici, nisi per infirmitatem facultatis illius, quae ipsa est in exhibendis quantitatibus (rerum sensibus subiectarum) infinita.

Dimensio spatii (vt adprehensio) simul est illius descriptio, proinde motus obiectiuus in phantasia et progressus; contra comprehensio multitudinis in vnitate, non cogitationis, sed visionis, proinde successiue comprehensorum in quodam momento, regressus est, conditionem rursum tollens temporis in phantasiae progressu, et *coexsistentiam* sub adspectum subiiciens. Ea ergo (cum successio temporis conditio sensus interni sit visionisque) in motu phantasiae subiectiuo cernitur, quo vim adfert sensui interno, quae eo maior sit, oportebit, quo maius quantum est, quod phantasia in vna visione comprehendit. Ergo nisus mensurae recipiendae quantorum in singula visione, quae adprehensio haud parum temporis postulat, in modo repraesentandi versatur, qui, subiectiue spectatus, pugnat cum forma finali; sed obiectiue, vt ad obseruantiam quantitatiuam necessarius, est, proinde formae finali consentaneus; in quo vero vis tamen eadem, quae per phantasiam subiecto adfertur, *toti destinationi* animi vt congruens atque conueniens iudicatur.

Qualitas sensus sublimitatis cernitur in eo, quod ea in sensu versatur taedii ex facultate iudicandi aesthetica in re quadam obiecta, quae in ea tamen vt formae finali consentanea repraesentatur; id quod eo potest fieri, quod propria infirmitas conscientiam aperit facultatis infinitae eiusdem subiecti, animusque hanc posteriorem potest solum ex superiori aesthetice diiudicare.

In obſeruantia quantitatiua logica impoſſibilitatem per progreſſum in dimetiendis rebus mundi ſenſibilis in tempore ſpatioque vnquam ad vniuerſitatem abſolutam perueniendi, vidimus cognoſci pro obiectiua, hoc eſt, impoſſibilitate, infiniti *cogitandi* vt ſolum dati, non vero vt ſolum ſubiectiua, id eſt, infirmitate eius *adprehendendi:* ibi enim gradus comprehenſionis in viſione quadam, vt menſura, minime ſpectatur, ſed cuncta pendent ex conceptu quodam numerorum. Sed in obſeruantia quantitatiua aeſthetica numeri conceptus reiiciendus eſt aut mutandus, comprehenſioque phantaſiae in vnitate menſurae (proinde conceptibus legis geneſeos ſucceſſiuae conceptuum quantitatiuorum euitatis) ſola eſt illi cum forma finali conſentanea. — Si igitur quantitas quaedam ad ſummum faſtigium facultatis comprehendendi noſtrae in viſione vna peruenit, et phantaſia tamen per quantitates numerales (ad quas nobis facultatis noſtrae vt infinitae conſcii ſumus) ad comprehenſionem aeſtheticam in vnitate quadam maiori prouocatur, nosmet intus in animo vt aeſthetice incluſos terminis ſentimus; ſed taedium tamen, reſpectu amplificationis neceſſariae phantaſiae ad conuenientiam cum eo, quod in facultate rationis noſtra interminatum eſt, nempe idea totius abſoluti, proinde inconuenientiam phantaſiae tamen cum ideis rationalibus earumque excitatione vt fini conuenientem cogitatam. Eo autem ipſo iudicium ipſum aeſtheticum ſubiectiue finale fit rationi, vt fonti idearum, id eſt, eiusmodi comprehenſionis intellectualis, cui omnis aeſthetica parua eſt, et res obiecta vt ſublimis cum voluptate adprehenditur, quae tantummodo interuentu cuiusdam taedii eſſe poteſt.

B.

DE SVBLIMI NATVRAE DYNAMICO.

§. 28.

De natura vt quadam potentia.

Potentia in facultate conſiſtit magnis impedimentis ſuperiori. Eadem dicitur *poteſtas*, ſi vel reniſu ſuperior

est illius, quod ipsum potentia pollet. Natura in iudicio aesthetico considerata vt potentia, cui nulla in nos potestas est, *dynamice sublimis* videtur.

Quodsi natura debeat a nobis vt dynamice sublimis spectari, ea vt metum excitans repraesentanda erit (quamquam haud vice versa quaeque res metum incutiens in iudicio aesthetico nostro vt sublimis enunciatur). Namque in diiudicatione aesthetica (sine conceptu) ratio impedimentis superior non potest nisi ex magnitudine renisus iudicari. Atqui id, cui nitimur resistere, malum est, et, si vires nostras ei videmus impares, res sub metum subiecta. Ergo ad facultatem iudicandi aestheticam natura non potest vt potentia, proinde dynamice sublimis valere, nisi quatenus vt res sub metum subiecta consideratur.

Potest autem res quaedam vt metuenda *considerari*, neque ea tamen metui, si nimirum eam ita diiudicamus, vt solum tempus *cogitemus*, quo illi resistere velimus, tumque renisus omnis frustra futurus esset. Sic virtutis amans deum metuit, neque tamen metu illius percellitur, quoniam nullum potest sibi metuendum tempus cogitare, quo illi eiusque praeceptis velit resistere. Sed quodque eiusmodi tempus, quod per se haud impossibile cogitat, vt metuendum agnoscit.

Is qui metu percellitur, nullo modo potest de sublimi naturae iudicare, pariter atque is, qui inclinatione captus et adpetitu, est, de pulcro. Ille fugit adspectum rei, sibi iniicientis timorem; et fieri non potest, vt terror serius placere videatur. Idcirco iucunditas ex molestia quadam cessante in *laetitia* versatur. Quae vero, ob liberationem ex periculo, in laetitia quadam cum proposito coniuncta, illi sese haud amplius exponendi; quid? quod ne libenter quidem illius sensationis memoriam in animum reuoces, nedum occasionem illius reuocandae ipse quaeras.

Audacia rupium praecipitia quasique minantia, nubes procellosae in caelo conglobatae, fulmine ac tonitru incedentes, Vulcani in tota potestate sua cuncta prosternente,

turbines cum vastatione sua relicta, immensus oceanus commotus ac fluctuans, catarracta alta fluminis ingentis, id genus alia, facultatem nostram resistendi, comparatam cum potentia illorum, in rem vertunt omnium maxime exiguam tenuemque. Verum adspectus illorum, quo terribilior est, eo maiorem vim induit attrahendi, si modo nosmet tutos videmus; lubenterque eas res vocamus sublimes, quoniam fortitudo iis animi supra consuetam mediocritatem augetur, et longe alia in nobis facultas aperitur, quae animum erigit, vt possimus nos cum opinata naturae omnipotentia comparare.

Vti enim in immensitate naturae, infirmitateque facultatis nostrae mensuram capiendam vidimus obseruantiae quantitatiuae *ditionis* illius conuenientem atque aequabilem, propriam nostram circumscriptionem, verum tamen in facultate quoque rationali nostra simul aliam quamdam mensuram haud sensitiuam, cui ipsa illa infinitas vt vnitas subest, quacum comparata cuncta in natura parua videntur, proinde in animo nostro rationem quampiam ipsa natura in immensitate illius superiorem; sic quoque irresistibili potentiae illius ratione, vt res spectata naturae, nostra impotentia physica ostenditur, simul vero aperitur facultas, nosmet vt ex ea pendentes diiudicandi, ratioque natura superior, qua sui quaedam conseruatio generis prorsus alius nititur, quam quae ab natura extra nos inpugnari possit atque in discrimen vocari, in qua natura humana in persona nostra infracta manet, quamuis homini potestati illi cedendum foret. Similiter in iudicio nostrae aesthetico natura non, quatenus terribilis est, vt sublimis iudicatur, sed quoniam vim nostram virtutemque (quae haud natura est) in nobis excitat, vt, de quibus solliciti sumus (bona, valitudinem, vitam) vt parua, ideoque potentiam eius (cui respectu earum rerum sane subiecti sumus) ratione nostri nostraeque personalitatis nihilominus tamen vt nullam talem potestatem spectemus, cui nosmet debeamus submittere, si de summis decretis nostris, iisque vel tuendis vel deserendis agatur. Ergo hoc loco natura solum

propterea sublimis vocatur, quoniam phantasiam attollit ad eas causas exhibendas, in quibus suam ipsius sublimitatem destinationis animus potest, vel supra naturam ipsam, sibi ad sensum reuocare.

Atque haec nostri ipsius obseruantia nullam eo iacturam facit, quod nosmet oporteat tutos intelligere, ad animantem illam complacentiam percipiendam; proinde, quoniam discrimen haud serium est, itidem (vti videri posset) cum sublimitate facultatis mentis nostrae aeque minus serio agatur. Namque complacentia hic tantummodo *determinationem* facultatis nostrae attingit in eiusmodi causa aperiendam, prout illius institutio est in natura nostra; interea dum explicatio illius exercitatioque relicta nobis atque in officio videtur. Atque in eo quidem verum est; licet homo maxime, cum considerationem suam reflexionemque vsque eo extendit, praesentis verae impotentiae suae sibi conscius videatur.

Quod quidem principium longius repetitum videtur argutandoque confectum, proinde iudicio aesthetico transscendens: verum ex obseruando homine contrarium elucet, et posse illud diiudicationibus vulgarissimis fundamento subesse, quamquam illius nosmet haud semper conscii sumus. Ecquid enim istud est, quod vel fero homini incultoque res videtur, admirationi maximae subiecta? Homo qui nullo terrore percellitur nec metu, proinde periculo non cedit, simul tamen animo prorsus deliberato fidenter opus adgreditur. Vel in statu maxime exculto ac perpolito praecipua illa obseruantia bellatori debetur; hac tamen cum adiunctione, vt eum omnes simul pacis virtutes, et mansuetudinem, et misericordiam, et ipsam decentem personae suae curam ostendere oporteat: ob eam ipsam causam, quoniam ex iis animus periculo inuictus cognoscitur. Proinde vt maxime in comparando viro ad gubernacula ciuitatis sedente cum imperatore bellico de praecipua obseruantia, qua alius prae altero dignus sit, disputetur; iudicium aestheticum imperatori fauebit. Bellum ipsum, cum ordine geritur iuribusque ciuilibus illaesis, quiddam in se sublime

cohibet, mentemque populi, quod illud tali modo gerit, eo reddit sublimiorem, quo pluribus is expositus periculis videbatur, fortiterque in iis sese poterat tueri: cum e contrario diuturna pace solum mercandi ingenium, cum eoque quaestus humilis, ignauiaque et mollities animi redduntur dominantes, ingeniumque populi solet corrumpi.

Cum hac vero conceptus sublimitatis, quatenus ea potentiae attribuitur, solutione videtur pugnare: quod deum in tempestate, in procellis, in terrae motibus, et caeteris generis eiusdem, velut in ira, simul vero etiam in sua se ostendentem sublimitate proponere solemus, in quo tamen cogitatio animi nostri effectis, et, vti videtur, vel finibus eiusmodi potentiae superioris stulta et temeraria foret. Hic nullo sublimitatis sensu propriae naturae nostrae, sed potius subiectione, animoque demisso ac tristi, sensuque totius impotentiae animi tenor efficitur, phaenomeno eiusmodi rei obiectae consentaneo, et frequenter quoque cum idea illius in eiusmodi euentis naturae coniuncto. In religione vniuerse prosternatio, adoratioque capite inclinato et suspenso, vultu tristi atque anxio et voce, vna ratio conueniens praesente deo esse videtur, quam postea quoque plerique sunt populi adepti et etiam nunc seruant. Sed hic tenor animi, permultum abest, vt cum idea *sublimitatis* religionis reique huic propositae per se necessarioque coniunctus sit. Homo, qui reapse in metu est, quoniam eius caussam in se deprehendit, propterea quod sibi conscius est, mente sese reprobanda contra potentiam peccare, cuius non potest voluntati, quae simul iusta est, resisti, minime est in eo animi tenore, quo magnitudinem diuinam possit admirari, quo tenore opus est, ad tranquillam contemplationem apto, iudiciumque prorsus liberum. Tum solum, cum sincerae mentis suae deoque placentis sibi conscius est, effecta illa inseruiunt potentiae, ad ideam sublimitatis in eo huiusce naturae excitandam, quatenus in se ipso sublimitatem mentis quamdam agnoscit voluntati illius consentaneam, eoque supra metum talium naturae effectorum, quae haud spectat vt effecta irae eius, euehitur. Ipsa modestia,

vt feuera vitiorum cenfura, quae alioquin facile poffet, in confcientia mentis bonae, per fragilitatem naturae humanae excufari, tenor animi fublimis eft, dolori fefe propriarum reprehenfionum voluntarie fubiiciendi, vt caufa paullatim deleatur. Atque hoc folo modo viaque religio fefe ab fuperftitione intus diftinguit; quae quidem fuperftitio non reuerentiam fublimium, fed metum et anxietatem naturae praepotentis, cuius voluntati fefe fubiectum homo perterrefactus iudicat, quam tamen non magni facit, in animo conftituit: ex quo profecto quidem non poteft quidquam, nifi captatio beneuolentiae infinuatioque, loco religionis honeftae vitae, exfiftere.

Ergo fublimitas in re naturae nulla, fed folum in animo noftro ineft, quatenus nosmet natura in nobis, eoque natura quoque (quatenus eius nobiscum contagio eft) extra nos, fuperiores effe, nobis fieri confcii poffumus. Vniuerfa, quibus hic fenfus in nobis excitatur, quo pertinet naturae *potentia*, quae vires noftras prouocat, tum (quamquam improprie) fublimia dicuntur; et folum hac idea in nobis fuppofita, refpectuque ad eam, ad ideam fublimitatis poffumus illius naturae peruenire, quae non folum per vim, quam in natura exferit, intimam in nobis obferuantiam efficit, verum multo magis facultate, nobis infita, illam fine metu diiudicandi, noftramque deftinationem vt illa fuperiorem cogitandi.

§. 29.

De modalitate iudicii fuper fublimitate naturae.

Res funt pulcrae naturae innumerae, de quibus cuique iudicii cum noftro conuenientiam recta adfingimus, etiamque, nec fruftra fere, poffumus exfpectare; fed iudicio de fublimi noftro haud ita facile poffumus aditum apud alios polliceri. Namque videtur opus effe cultura longe maiori, non folum facultatis iudicandi aeftheticae, verum etiam cognofcendi facultatum, quae illi fundamento fubfunt, vt de hac praeftantia rerum obiectarum naturae iudicium poffit pronunciari.

Ad tenorem animi in ſenſu ſublimitatis receptiuitas in eo poſtulatur idearum; in ipſa enim naturae ad ideas inconvenientia, proinde iis ſolum ſumtis, intentaque phantaſia, ad naturam vt ſchema phantaſiae tractandam, cernitur id, quod facultatem ſenſitiuam deterret, quodque ſimul tamen eam attrahit: propterea quod illud in vi conſiſtit, quam ratio in illa exſerit, vt eam duntaxat in propria ditione ſua (practica) conuenienter dilatet atque amplificet, eiusque aciem in infinitatem intendat ac dirigat, quo illi verago videtur. Ac profecto quidem ideis moralibus haud explicitis id, quod nos, per culturam praeparati, ſublime dicimus, homini rudi ſolum deterrens videbitur. In argumentis illis, quibus in vaſtationibus ſuis poteſtatem demonſtrat, magna menſura potentiae eius, quacum comparata ſua euaneſcit, non niſi aerumnas, pericula ac miſerias conſpiciet, quibus, qui eo relegatus foret, homo cingeretur. Sic bonus ille, caeteroquin prudens ruſticus Sabaudicus, vt Sauſurius refert, omnes admiratores montium glacialium audacter ſtultos atque inſanos vituperauit. Et haud ſcio, an iniuria ſic iudicaſſet, ſi obſeruator ille, quibus ſeſe exponeret, pericula, tantummodo, vti plerique peregrinantes ſolent, ſtudio ductus et admiratione, an ad ea aliquando viuide oratione depingenda, adiiſſet. Verum illi animus fuit, homines docere; ſenſationemque animos eleuantem vir praeclariſſimus lectoribus itinerum gratuito inſuper, quaſi quemdam cumulum, impertit.

Nec vero de naturae ſublimi iudicium, propterea quod opus cultura habet (magis quam quod de pulcro pronunciatur), eo tamen primum a cultura exortum eſt, et fere ſolum ex compacto quodam in ſocietatem introductum; ſed fundamentum habet in humana natura, et in eo quidem, quod per intelligentiam communem ſimul a quoque poteſt poſtulari, nempe in naturae illo munere, quo ſenſus conſtituitur idearum (practicarum), i. e. honeſti, rationisque moralis.

Atque in eo quidem nititur neceſſitas conſpirationis in iudicando ſublimi aliorum cum ſententia noſtra, quam in

hac ſimul includimus. Vti enim in eo, qui in iudicanda re naturae, quam pulcram cenſemus, haud mouetur, inopiam *guſtus* reprehendimus; ſic eum, qui in eo, quod ſublime iudicamus, immotus manet, carere *ſenſu* dicimus. Vtrumque autem ab vnoquoque homine poſtulamus, in eoque, ſi quodam modo cultus politusue ſit, ſupponimus; hoc tamen diſcrimine, vt illud ſuperius, quoniam iudicandi vis in eo phantaſiam ſolum ad intelligentiam refert, vt conceptuum facultatem, recta ab vnoquoque poſtulemus; alterum vero, quod ea in eo phantaſiam refert ad rationem, vt facultatem idearum, ſolum ex ſumtione ſubiectiua quadam (quam vero a quoque iure poſcere poſſe nos credimus) deſideremus, quippe ex ſumtione ſenſus in homine moralis, eoque huic quoque iudicio aeſthetico neceſſitatem attribuamus.

In hac iudiciorum aeſtheticorum modalitate, nempe neceſſitate illorum arrogata, poſitum momentum praecipuum eſt critices facultatis iudicandi. Per eam enim in iis principium praeſumtum agnoſcitur, e pſychologiaque empirica, in qua alioquin ſenſibus voluptatibus dolorisque (ſolum tamen cum inani epitheto ſenſus *ſubtilioris*) ea conſepulta manerent, tolluntur, vt eorum interuentu facultas iudicandi ea in claſſem eorum transferat, quibus principia fundamento ſubſunt ex anticipatione, qua talia vero in philoſophiam translocet transſcendentalem.

Scholion generale ad expoſitionem iudiciorum aeſtheticorum reflectentium.

Reſpectu ſenſus voluptatis res obiecta aut ad *iucunda*, aut ad *pulcra*, aut ad *ſublimia*, aut ad *honeſta* (ſimpliciter) numeranda videtur.

Ac *iucundum* quidem, qua elater cupiditatum, omnino vnius eſt eiusdemque generis, vnde illud cumque fiat, quamquam ad ſpeciem diuerſa repraeſentatio (ſenſus ſenſationisque, obiectiue ſpectatorum) videatur. Idcirco in diiudicanda contagione illius cum animo de multitudine

illecebrarum (simultanearum successiuarumque), quasique de massa moleque agitur sensationum iucundarum; eaque proinde non nisi ex *quantitate* potest comprehendi. Neque enim iucundo cultura promouetur, sed pertinet illud ad solam fruitionem. — Contra *pulcrum* postulat repraesentationem certae cuiuspiam *qualitatis* rei obiectae, quae itidem potest doceri, ad conceptusque reuocari (quamquam in iudicio aesthetico ad eos non reuocatur); et excolit, dum simul attendere animum docet ad formam finalem in sensu voluptatis. — *Sublime* solum consistit in *relatione*, in qua sensibile in naturae repraesentatione ad vsum possibilem quemdam suprasensibilem vt idoneum iudicatur. — *Simpliciter honestum*, subiectiue ex sensu, quem illud instillat, diiudicatum, (res sub sensum moralem subiecta) vt determinabilis virium subiecti ratio, per repraesentationem legis *simpliciter cogentis*, distinguitur potissimum per *modalitatem* necessitatis in conceptibus ex anticipatione positae, quae non solum *postulationem*, sed etiam *praeceptum* adsensionis cuiusque hominis in se continet, et per se quidem non ad facultatem iudicandi aestheticam pertinet, sed intellectualem puram, neque in iudicio solum reflectente, verum determinante, haud naturae, sed libertati tribuitur. Sed *subiecti* ratio per hanc ideam *determinabilis*, et subiecti quidem, quod sensualitatis *impedimenta* potest, simul vero eadem sese vincendo superiorem in se, vt *status sui mutationem* sentire, id est, sensus moralis, tamen iudicandi facultati aestheticae illiusque *conditionibus formalibus* finitima est, quatenus ea legalitas actionis ex officio simul vt aesthetica potest, hoc est, vt sublimis, vel etiam vt pulcra proponi, neque tamen quidquam de puritate sua amittere; id quod non locum haberet, si eam cum sensu iucundi velles in naturali nexu ponere.

Ductis atque effectis, quae ex expositione vtriusque generis iudiciorum aestheticorum consequuntur, inde sequentes definitiones breues elicientur.

Pulcrum est id, quod in sola diiudicatione, (proinde haud interueniente sensatione sensus ex conceptu quodam

intelligentiae) placet. Inde ſponte ſequitur, placere illud ſine omni inuitamento oportere.

Sublime eſt id, quod per reniſum ſuum contra ſenſuum inuitamentum proxime placet.

Ambo, vt definitiones diiudicationum aeſtheticarum vniuerſalium, rationes ſpectant ſubiectiuas, nempe partim ſenſualitatis, vti in gratiam intelligentiae contemplatiuae; partim vero, vti *contra* illam, ſed finibus rationis practicae, ſed ambo tamen in eodem ſubiecto coniuncta, reſpectu ſenſus moralis, formae finali conſentanea ſunt. Pulcrum nos praeparat ad aliquid, naturam ipſam, ſine inuitamento amandum; ſed ſublime, ad aliquid, vel contra inuitamentum noſtrum (ſenſitiuum) magni faciendum.

Sublime ſit poterit deſcribi: eſt res ſubiecta naturae, *cuius repraeſentatione animus determinatur, ad rationem naturae inacceſſam vt exhibitionem idearum cogitandam.*

Ideae, ad literam ſumtae, logiceque ſpectatae, non poſſunt exhiberi. Verum, cum noſtram repraeſentandi facultatem empiricam (mathematice, dynamiceue) in gratiam naturae videndae amplificamus; tum certo ratio neceſſarioque accedit, vt facultas vacuitatis atque independentiae vniuerſitatis abſolutae, conatumque animi, quamuis inanem, efficit, repraeſentationes ſenſum his conſentaneas reddendi. Hic conatus, ſenſusque rationis ideae per phantaſiam inacceſſae, ipſe cernitur in exhibenda forma finali ſubiectiua animi noſtri in phantaſia in gratiam illius deſtinationis ſupraſenſitiuae exhibenda, nosque cogit, vt naturam ipſam in vniuerſitate eius, vt exhibitionem cuiuspiam ſupraſenſibilis ſubiectiue *cogitemus*, quamuis eam exhibitionem *obiectiue* conficere nequeamus.

Breui enim animaduertimus, naturae in ſpatio ac tempore abſolutum, proinde et quantitatem abſolutam, prorſus deeſſe, quae tamen ab ratione vulgariſſima poſtulatur. Eo ipſo nos quoque admonemur, nobis tantummodo negotium eſſe cum natura, qua viſo ac phaenomeno, eamque ipſam praeterea oportere vt ſolam exhibitionem naturae

per se (quam ratio in idea habet) considerari. Haec vero suprasensibilium idea, quam quidem haud vlterius determinare possumus, proinde naturam vt exhibitionem illius non *cognoscere*, sed modo *cogitare*, per rem in nobis excitatur, cuius diiudicatione aesthetica phantasia vsque ad terminos suos, siue dilatationis (mathematice) siue potentiae in animo (dynamice) contenditur, propterea quod in sensu determinationis illius nititur, quae ditionem superioris prorsus migrat (in sensu morali), cuius respectu repraesentatio rei obiectae vt subiectiuae formae finali consentanea iudicatur.

Reapse sensus sublimium naturae haud ita commode poterit cogitari, nisi tenorem animi cum eo coniunxeris, similem tenoris animi conuenientis cum morali; et, quamquam proxima voluptas ex pulcro naturae itidem certam quamdam *liberalitatem* cogitandi, id est, vacuitatem complacentia a sola sensuum fruitione supponit atque excolit, tamen eo potius libertas in *lusu*, quam vt in *negotio* legali proponitur: in qua genuina ratio cernitur moralitatis humanae, vbi ratio sensualitati vim adferre cogitur, cum solum in aesthetico de sublimi iudicio haec vis per phantasiam ipsam, vt rationis instrumentum, prodita repraesentetur.

Idcirco complacentia sublimium naturae quoque tantummodo *negatiua* est (loco eius, quod in pulcro *positiuum* videtur), nempe sensus libertatis phantasiae per se ipsam priuandae, propterea quod ea ex alia lege finaliter determinatur, quam quae vsus empirici videtur. Eo illa quidem dilatatione potentiaque induitur maiori, quam ea, quam vouet, cuius vero ratio ipsam latet, cum tamen iacturam priuationemue, et simul *caussam* sentiat, cui subiicitur. *Miratio*, terrori finitima, terror horrorque sacer, quo in conspiciendis montium ad caelum adscendentium culminibus, profundisque voraginibus et aquis in iis tumultuantibus, locis item desertis ad tristem contemplationem inuitantibus, et id genus aliis spectator corripitur, ei, qui se tutum videt, haud verus metus est, sed modo periculum, quo experiare, per phantasiam, vt eiusdem

facultatis potentiam sentias, motumque animi ea re excitatum cum statu illius tranquillo quietoque coniungas, atque ita natura in te, proinde quoque extra te, quatenus illius potest cum sensu salutis tuae contagio esse, superior videare. Namque per phantasiam ex legibus adsociationis fit vt status noster tranquillitatis physice aptus sit pendeatque; sed eadem illa ex principiis schematismi facultatis iudicandi (proinde eatenus libertati subordinata), instrumentum rationis est eiusque idearum, qua tale vero potentia, vacuitatis nostrae atque independentiae contra contagiones naturae tuendae, eiusque, quod secundum illam magnum est, vt paruum deminuendi spernendique, atque ita simpliciter magni solum in sua (subiecti) ipsius determinatione collocandi. Haec consideratio reflexioque facultatis iudicandi aestheticae, ad conuenientiam cum ratione (sed sine conceptu determinato illius) eleuanda, rem obiectam, per ipsam phantasiae inconuenientiam obiectiuam, in maxima amplificatione rationis (vt idearum facultatis) tamen vt subiectiue finalem ostendit.

Hoc loco omnino, id quod supra monuimus, tenendum est, in aesthetica facultatis iudicandi transscendentali sermonem esse solum de iudiciis aestheticis puris oportere, proinde exempla haud ab iis rebus naturae pulcris aut sublimibus depromi debere, quae conceptum finis supponunt; tum enim aut teleologica, ideoque haud aesthetica finium conuenientia foret, aut in solis ex re obiecta sensationibus (voluptate vel dolore) constituta, proinde non sola formalis. Quodsi igitur adspectum caeli stellati *sublimem* vocemus, diiudicationi illius haud mundorum conceptus, a naturis rationalibus inhabitatorum, et lucida puncta illa, quibus spatium supra nobis videmus repletum, tamquam illorum soles, in orbibus motos iis admodum conuenienter descriptis, fundamento substerni debet, sed solum, vti conspicitur, vt fornix ampla omnia complectens; atque in hac solum repraesentatione ponenda sublimitas est, quam iudicium aestheticum purum huic rei attribuit. Similiter adspectus oceani non ita, vti nosmet, variis notitiis (sed

haud in visione proxima comprehensis) ditati, illum *cogitamus;* vti fere amplum rerum creatarum aquatilium, magnumque thesaurum aqueum euaporationum, aera nubibus in gratiam terrarum grauidantium, vel etiam vt elementum, mundi partes quidem diuellens, sed qua fiat, vt summa earum in se inuicem esse communio possit, vnde mera iudicia teleologica emergunt: sed solum oceanus, quod poetae faciunt, pro eo, atque adspectu edocemur, fere, cum in tranquillitate conspicitur, vt clarum speculum aqueum, tantummodo per caelum terminatum finitumque; sed, si impetuosus sit, vt vorago cuncta deuorare minans, tamen sublimis poterit iudicari. Quod idem de sublimi pulcroque poterit in forma humana dici, in quo non conceptus finium, *quorum gratia* omnia illius membra adsunt, vt rationes determinandi iudicii, respicere debemus, neque conspirationis cum iis *contagionem* cum iudicio nostro (tum haud amplius puro) aesthetico concedere, quamquam, ne illis repugnent, sane quidem conditio necessaria est complacentiae quoque aestheticae. Forma finalis aesthetica consistit in legalitate facultatis iudicandi in *libertate* sua. Complacentia rei obiectae pendet ex relatione, in qua phantasiam poni volumus: tantummodo vt per se ipsa animam teneat in libera occupatione. Contra cum aliud quid, siue sensatio sensitiua, siue conceptus intellectualis iudicium determinat; tum illud quidem legitimum est, verum minime iudicium facultatis iudicandi *liberae.*

Igitur si de pulcritudine vel sublimitate intellectuali sermo erit, primo haec verba parum recta et consentanea sunt, propterea quod in generibus versantur repraesentationum aestheticarum, quae, si nos solae intelligentiae purae essemus (aut nos quoque mente et cogitatione in hanc qualitatem transferremus), nullo modo in nobis deprehenderentur; *deinde:* quamquam ambae, vt res complacentiae cuipiam intellectuali (morali) propositae, quatenus in nullo *positae* inuitamento *sunt*, cum aesthetica queunt coniungi; tamen in eo sunt difficulter conciliandae, quod *efficere* inuitamentum debent, quod, si exhibitio cum com-

placentia debeat in diiudicatione aesthetica conspirare, in hac non nisi per inuitamentum sensitiuum, quod cum ea in exhibitione coniungitur, efficeretur, quo vero formae finali intellectuali derogatur, eaque impura redditur.

Res complacentiae purae absoluteque intellectuali proposita lex est moralis in potentia sua, in nobis in omnes ac singulos *antegressos* animi elateres exercet; cumque haec potentia, proprie solum iacturis voluntariis aesthetice sese prodat et distinguatur (id quod priuatio est, quamquam in gratiam libertatis internae, sed immensam voraginem in nobis aperit huiusce facultatis suprasensitiuae, cum consequentibus eius in infinitum serpentibus): complacentia ex parte aesthetica (respectu sensualitatis) negatiua est, hoc est, contra inuitamentum hocce, verum ex parte considerata intellectuali, positiua, et cum inuitamento quodam coniuncta. Vnde sequitur: bonum intellectuale, per se ipsum conueniens atque intellectuale (morale), aesthetice diiudicatum, non tam vt pulcrum, quam potius vt sublime repraesentari debere, ita vt magis sensum obseruantiae (qui illecebras contemnit) excitet, quam amoris et inclinationis familiaris; propterea quod humana natura haud sponte et voluntarie, sed modo per vim, sensualitati ab ratione illatam, cum bono illo honestoque conspiret. Vicissim id, quod in natura extra nos, vel etiam in nobis (velut certi quidam adfectus) sublime dicimus, tantummodo vt animi potentia sese supra *certa* impedimenta sensualitatis per principia humana eleuandi cogitabitur, eoque ad se rapiet.

In quo quidem posteriori aliquantum immorabimur. Idea boni honestique coniuncta cum adfectu *enthusiasmus* vocatur. Hic status animi videtur esse sublimis, adeo, vt plerumque nihil quidquam praeclari magnique posse sine eo effici dicatur. Atqui vnusquisque adfectus*) caecus est,

*) *Adfectus* ab *animi perturbationibus* (passionibus) per speciem sunt diuersi. Illi enim solum attingunt sensum; hae propriae sunt facultatis adpetendi, et in inclinationibus versantur, quae vniuersam arbitrii rationem per decreta determinabilis difficilem atque impossibilem reddunt. Illi impetuosi sunt et inuo-

vel in eligendo fine, vel, hoc per rationem dato ac propoſito, in eo efficiendo: namque is in eo animi motu conſiſtit, qui nos ineptos reddit neque idoneos, ad liberam principiorum deliberationem inſtituendam, vt ex iis nosmet determinemus. Ergo nullo modo poteſt rationis complacentiam merere. Nihilominus aeſthetice enthuſiaſmus videtur ſublimis, ideirco, quia in virium conſiſtit per ideas intenſione, animum eleuantes longe fortius diuturniusque, quam ſtimulus efficit per repraeſentationes ſenſitiuas, ſed (quod mirum videtur) ipſa *adfectuum vacuitas* (apatheia, phlegma in ſignificatu bono) animi rata fixaque principia ſtrenue ſequentis ſublimis eſt, et longe quidem excellentiori ratione ſublimis, ſi quidem ea ſimul a complacentia probatur rationis purae. Eiusmodi animi ingenium ſolum *nobile* ac *generoſum* vocatur: quod verbum poſtea ad res, velut, aedificia, veſtem, orationis genus, decentiam corporis, et id genus alia transfertur, cum his non tam *miratio* (adfectus ex repraeſentatione nouitatis, exſpectationem ſuperantis), quam *admiratio* (quae in miratione cernitur, cum iactura nouitatis non ceſſante) excitatur, quod fit, cum ideae in exhibitione ſua inconſulto et ſine arte cum complacentia aeſthetica conſpirant.

Quisque adfectus generis *ſtrenui* (quo quippe conſcientia virium noſtram excitatur cuiuscumque reſiſtentiae vincendae, ſiue conſcientia animi ſtrenui) *aeſthetice ſublimis* eſt, velut ira, adeoque deſperatio (*ſcilicet concitata*, non vero *timida* atque ignaua). At vero adfectus generis *languidi* (qui niſum reſiſtendi vertit in rem ipſam taedio propoſitam, ſiue animum lanquidum reddit), nihil quidquam *generoſi* in ſe continet, ſed tamen poteſt ad pulcrum generis ſenſitiui referri. Quapropter *permotiones*, quae

luntarii, hae perdurantes et deliberatae: ſic animi concitatio ex improbatione contracta, qua ira, in adfectibus eſt; verum vt odium (vlciſcendi cupido) in perpeſſionibus videtur. Haec numquam poteſt nulloque reſpectu ſublimis vocari; quoniam in adfectu animi libertas *impediri* quidem poteſt, at in perpeſſione animi prorſus tollitur.

possunt vsque ad adfectum crescere, itidem sunt admodum diuersae variaeque. Sunt *alacres* permotiones et animosae, sunt etiam *tenerae* ac molles. Hae posteriores, cum ad adfectum vsque accrescunt, inutiles sunt, ad easque inclinatio *insania* vocatur *permotionum*. Dolor ex alterius dolore haustus, cui non possunt consolationum somenta adhiberi, aut, quem, si mala fictitia spectat, ad illusionem vsque per phantasiam, quasi vera essent, de industria capimus, prodit atque efficit animum mollem, sed simul debilem atque imbecillum, pulcram partem monstrantem, qui insanus profecto ac phantasticus potest, sed non enthusiasticus adpellari. Fabulae Romanenses, ludi scenici lacrymabiles, praecepta morum vapida ac ieiuna, quae in generosis, quae (quamquam falso) vocantur, mentibus ludunt, re ipsa vero animum flaccidum reddunt, et ad strenuam officii praeceptionem surdum, atque ad vniuersam excellentiam dignitatemque humanae naturae in persona nostra colendam magnique faciendam et iura hominum (quibus longe aliud quid atque eorum felicitas continetur) omninoque ad omnia fixa rataque minus idoneum reddunt atque ineptum; ipsa oratio religiosa beneuolentiae captationem humilem ac serpentem insinuationemque commendans, de omni in propria potestate ad malo resistendum in nobis desperantem, pro strenua in consiliis capiendis animi firmitate ac praesentia virium, quae in omni fragilitate nostra tamen nobis adhuc relinquuntur, ad vincendas superandasque inclinationes experiendarum; falsa porro modestia illa, quae in se ipso despiciendo, in poenitentiaque eiulante simulando adfectata, animique constitutione solum patiente rationem ponit, qua sola summo numini nosmet reddere probatos possimus: haec omnia ne cum eo quidem conueniunt, quod ad pulcritudinem, multo autem minus cum eo, quod ad sublimitatem ingenii animorum posset numerari.

Verum impetuosi quoque motus animi, siue, nomine salutis, cum ideis religionis siue vt solum culturae proprii, cum ideis, quae commune quoddam inuitamen-

tum continent, coniungantur, quanto opere quoque phantasiam contendant, nullo modo possunt laudem sibi exhibitionis *sublimis* arrogare, nisi tenorem animi relinquant, cuius, quamuis duntaxat indirecte, cum conscientia roboris sui dexteritatisque in consiliis capiendis ad id, quod formam finalem intellectualem puram in se cohibet (suprasensibile) contagio videatur. Alias enim omnes permotiones illius tantummodo pertinent ad *motionem*, quam valitudinis causa amamus. Ille languor suauis, qui eiusmodi concussionem ex lusu adfectuum sequitur, fruitio est, bonae incolumitatis ex aequilibrio variarum virium vitalium in nobis instaurato, quae postremo eodem redit, quo ea, quam voluptarii orientales tam gratam iudicant, cum corpus suum quasi subigi, omnesque musculos et articulos molliter premi curant flectique, hoc tamen discrimine, vt illic principium mouens maximam partem in nobis, hic vero prorsus extra nos positum videatur. Multi se sacra putant oratione ad virtutem perductos, cum tamen nihil in eo virtutis (nullum bonarum normarum systema) adpareat; aut per tragoediam emendatos, qui tamen solum laeti sint de otio prospere transacto. Ergo sublime semper, necesse est, *ad mentem* referatur, hoc est, ad normas, intellectuali ideisque rationalibus vim sensualitate superiorem impertiendi.

Nec metuendum est, sensum sublimitatis eiusmodi abstracto exhibitionis modo, qui respectu sensibilium prorsus negatiuus redditur, facturum iacturam fore; namque phantasia, quamuis vltra sensibilia, nihil habet, quod queat tenere, tamen his ipsis cancellis remotis sentit sese interminatam; illaque separatio proinde exhibitio infiniti est, quae ob id ipsum quidem non nisi exhibitio potest solum negatiua esse, quae animum tamen dilatat. Haud scio, an in codice legum Iudaicarum vllus sublimior locus sit, quam praeceptio: noli tibi imaginem facere, nec vllum quodpiam simulacrum, neque eorum, quae in caelo sunt, neque eorum, quae in terra, neque quae sub terra sunt, nostis reliqua. Hac praeceptione sola potest

enthusiasmus doceri, quem populus Iudaicus tempore exculto suo erga religionem suam sensit, cum sese cum aliis populis conferret, vel ea superbia, quae Mohammedanismum instillat. Idem etiam de repraesentatione legis moralis valet, et de initiis in nobis honesti et moralitatis. Metus est falsus omnino atque erroneus, fore, vt, si omnibus iis priuetur, quo ea possit sensibus commendari, in nulla tum alia, quam adprobatione aequa atque inanima versetur; nullamque vim mouentem in se permotionemue cohibeat. Id quod ipsum contrarium videtur; ibi enim, vbi nunc sensus nihil amplius sperare possunt, et tamen moralitatis idea haud confundenda nec exstinguenda relinquitur, magis opus foret, eleuationem phantasiae interminatae infinitaeque temperare, ne vsque ad enthusiasmum accrescat, quam, metu infirmitatis harum idearum, auxilium illi in simulacris adparatuque puerili petere. Idcirco quoque regimina lubenter potestatem fecere religionis hoc adparatu puerili large instruendae, atque ita subditis laborem, sed simul etiam facultatem adimere conata sunt, vires animi vltra carceres dilatandi, qui eis ex lubidine per arbitriumque constitui, et quo illi, vt solum patientes, facilius tractari possunt.

Haec exhibitio moralitatis pura, animumque eleuans, et solum negatiua e contrario nos non vocat in discrimen *fanatismi*, qui in *opinione* consistit, *vltra omnes sensualitatis terminos quidquam videre conandi*, id est, ex principiis somniari (cum ratione insanire); ob eam ipsam caussam, quoniam exhibitio in illa solum negatiua est. Namque *imperuestigabili ideae libertatis ratione* omnis exhibitionis positiuae via prorsus iterque praecluditur: sed lex moralis per se in nobis idonea est et originarie determinans, ita vt ne potestatem quidem nobis faciat, alius praeter se determinandi rationis circumspiciendae. Si enthusiasmus cum *errore* atque *delirio* conferri poterit, itidem fanatismus erit cum *insania dementiaque* comparandus, qui posterior omnium minime cum sublimi conuenit, quoniam putide ridiculus est. In enthusiasmo, vt adfectu, phantasia effrenis

est; in fanatismo, vt perpessione fouente inueterata, regulis vacua. Ille casus est praeteriens, qui in mentem subinde vel sanissimam cadit; hic morbus, mentem euertens.

Simplicitas (forma finalis arte carens) quasi stilus naturae est in sublimi, et perinde quoque in moralitate, quae altera (suprasensibilis) natura est, cuius tantum leges nouimus, neque tamen facultatem suprasensitiuam in nobis, vel quae rationem huiusce legationis continet, videndo possumus adsequi.

Tandem vero notandum est, quamquam complacentia pulcri pariter atque sublimium, non solum per vniuersalem *communicabilitatem* inter caeteras diiudicationes aestheticas distinguitur, atque ex hac proprietate, respectu societatis (in qua istud communicari potest) inuitamentum adipiscitur, nihilominus tamen etiam *separationem ab omni societate*, vt quidpiam sublime spectari, si in ideis nitatur, vniuersum inuitamentum sensitiuum despicientibus. Sibi ipsi satis esse, nec proinde societatis haud indigere, nec tamen insocialem esse, id est, societatem fugere, quidpiam est, quod ad sublime accedit, vti quaeque necessitatum vacuitas. Contra hominum societatem auersari ex *misanthropia*, quoniam eos odio habes, aut ex *anthropophobia* (metu hominum), quia eos vt inimicos tuos metuis, partim tetrum est ac turpe, partim abiectum et contemnendum. Nihilominus quaedam (vehementer improprie sic dicta) misanthropia est, cuius initia cum senectute in multorum animis bene ab natura informatorum exsistere solent, vt, quae, quod *beneuolentiam* spectat, satis humana et philanthropica est, sed a *complacentia* hominum per diuturnam experientiam tristem longe remota: id quod inclinatio testatur amorque solitudinis, desiderium votumque phantasticum in remota villa, vel etiam (in iuuenibus) somniata felicitas in insula reliqui mundi ignota, vna cum parua familia, vitam propagandi, qua auctores fabularum Romanensium, fictoresque euentorum mirabilium Robinsoneorum vti tam belle didicerunt. Falsitas, ingratus ani-

mus, iniuriis, puerilia in fictibus in nobis ipsis pro grauibus et magnis reputatis, in quibus consequendis sectandisque homines sibi inuicem, quae excogitari queunt, mala inferunt, cum idea eius, quod esse possent, si vellent, tam egregie pugnant, viuidoque desiderio, eos meliores videndi, tantopere aduersantur, vt, ne eos odio habeamus, cum haud eos possimus amare, vt abdicatio omnium laetitiae socialis partium tantummodo parua esse iactura videatur. Haec tristitia de malis, non de iis, quae forte aliorum hominum nobis immittuntur (cuius causa sympathia est), sed de malis, quae sibimet ipsi contrahunt, (quae posita est in antipathia decretorum principiorumue), quoniam ideis nititur, sublimis est, interea dum illa fere tantum queat pulcra haberi. — *Saussurius*, in viuida pariter ac docta descriptione itinerum Alpensium refert, in monte quodam Sabaudiae, *Bonhommio*, *tristitiam* certam quamdam absonam atque *absurdam* obtinere. Ergo nouerat is quoque tristitiam *inuitantem* et vtilem, quam adspectus instillat solitudinis, in quam quidem transferri sese homines optauerint, vt de mundo nihil quidquam amplius audiant, neque experiantur, quae ideo haud ita prorsus inhospitalis sit, oportebit, vt commorationem modo hominibus maxime molestam offerat. Quae quidem tantummodo propterea moneo, vt indicem, atque declarem, etiam tristitiam (non abiectam moestitiam) posse ad adfectus strenuos numerari, si in ideis sit moralibus constituta; si autem fundata in sympathia fuerit, et, qua talis, amabilis videatur, solum esse ad adfectus *languidos* referendam: vt eo ad tenorem animi, quae in priori causa solum *sublimis* est, aciem lectoris aduertam atque intendam.

* * *

Atque cum hac expositione transscendentali iudiciorum aestheticorum hactenus pertractata nunc etiam psychologica, quam *Burkius* multique acutissimi homines ex nostratibus tractauerunt, poterit comparari, vt planum fiat, quo per expositionem de sublimi pulcroque empiri-

cam ducamur. *Burkius*, dignus, qui in hoc tractationis genere auctor princeps nominetur, ea in via elicit: sensum sublimitatis in impetu sui ipsius conseruandi *metuque*, id est, dolore quodam, positum videri, qui, quoniam non vsque ad veram partium corporis euersionem accrescat, motus efficiat, quibus, cum subtiliora vasa vel crassiora periculosis molestisque obstructionibus purgent ac liberent, possint sensationes gratae iucundaeque excitari, haud voluptas illa quidem, verum species quaedam haud ingrati cuiuspiam horroris, certaque tranquillitas terrore mixta. Pulcrum, quod is in amore constituit (a quo tamen cupit adpetitum seiungi) ad remissionem, relaxationemque et languorem fibrarum corporis reuocat, proinde ad mollitudinem, resolutionem, lassitudinem, nutationem, languoremque ex voluptate. Et iam confirmat hanc explicandi rationem non solum per exempla, in quibus phantasia cum intelligentia coniuncta, verum adeo cum sensatione sensitiua, in nobis possit, et pulcri sensum et sublimium excitare. — Vt obseruationes psychologicae hae phaenomenorum animi nostri analyses perbellae videntur, largamque praebent materiam inuestigationum iucundissimarum anthropologiae empiricae! Nec vero infitiari potest, omnes repraesentationes in nobis, siue obiectiue soluti sensuales sint, siue totae intellectuales, tamen subiectiue posse cum voluptate aut dolore, vt cumque vtroque insensibili, coniungi (quoniam cunctae sensum vitae mouent atque adficiunt, nullaque earum, quatenus mutatio subiecti est, esse indifferens potest); adeo, vt, quemadmodum Epicurus docuit, *voluptas dolorque* semper tamen postremo ad corpus pertineat, siue a phantasia incipiat, siue adeo a repraesentationibus intelligentiae: propterea quod vita sine sensu organi corporei solum in conscientia consistit exsistentiae suae; sed nullus sensus incolumitatis infirmitatisue, id est, promotionis impeditionisue virium vitalium sit; quoniam animus per se solus quantus quantus vita (ipsum vitae principium) est, et impedimenta promotionesque extra illum sunt et tamen in homine ipso, proinde in coniunctione cum corpore suo, anquirenda.

Quodsi autem complacentia rei obiectae tota in eo ponatur, vt haec illecebris aut permotione oblectet: ab nullo *alio*, oportebit, vt postulari queat, vt, cum iudicio aesthetico, quod *nosmet* pronunciamus, conspiret; de eo enim iure optimo suum quisque sensum priuatum consulit. Tum vero omnis omnino censura gustus prorsus cessat; nisi exemplum, quod alii fortuitò iudiciorum suorum consensu proponunt, pro *praecepto* statuatur adsensionis nostrae, cui quidem principio sine dubio obnisuri et ad ius naturale prouocaturi essemus, vt iudicium, quod tactu propriae habitudinis proximo nititur, sui ipsius sensui, haud aliorum, subiiciatur.

Quodsi igitur iudicium gustus haud ad te *singulum*, sed secundum naturam internam suam, id est, propter ipsum, non propter exempla, ab aliis gustus sui propositis, necessario debeat ad *plures* pertinere, cum illud vt tale aestimatur, quod simul postulare possit, vt quisque sibi adsentiatur; vllum quodpiam (siue obiectiuum, siue subiectiuum) principium anteceptum fundamento subsit, oportebit, ad quod legibus mutationum animi anquirendis numquam potest perueniri: siquidem ex his tantum cognoscitur, quomodo iudicetur, non vero, quomodo debeat iudicari, praecipitur, et quidem ita vt praeceptum *absolutum* videatur; cuiusmodi gustus iudicia supponunt, propterea quod cupiunt, complacentiam cum repraesentatione quadam *proxime* coniungi. Ergo expositio iudiciorum aestheticorum initium capiat, vt materiam comparet inuestigationis cuiusdam altioris; expositio transscendentalis huiusce facultatis et fieri potest, et ad criticen gustus necessario pertinet. Nisi enim is principia praesumta habeat, fieri non posset vt de aliorum iudiciis decernat, de iisque vel modo per aliquam iuris speciem, adprobantes reprobantesue sententias statuere.

Reliquis, quae analyticen spectant facultatis iudicandi aestheticae, inprimis continetur

DEDVCTIO IVDICIORVM AESTHETICORVM PVRORVM.

§. 30.

Deductio iudiciorum aesthetícorum de rebus obiectis naturae, non ad id, quod in hac sublime vocamus, sed solum ad pulcrum dirigenda est.

Ius iudicii aesthetici in valorem vniuersalem ad subiectum quodque, vt iudicii, quod in vllo quodam principio ex anticipatione niti debet, indiget deductionis (id est legitimationis petitionum); quae praeter expositionem illius, oportebit, accedat, si scilicet complacentiam attingit displicentiamue *formae rei obiectae.* Eiusmodi iudicia gustus sunt de pulcro naturae. Tum enim formae finalis fundamentum est in re obiecta eiusque figura, etiam si adfectionem eius ad res alias ex conceptibus (ad cognitionis iudicium) iudicet; sed solum adprehensionem huius formae, quatenus *facultati* cum conceptuum, tum exhibitionis illorum (quae eadem est cum facultate adprehensionis) in animo sese conuenientem praebet, vniuerse attingit. Idcirco respectu pulcritudinis naturae variae possunt quaestiones proponi, quae causam spectant huiusce formarum conuenientiae: veluti quomodo enodare velis, cur natura tam profuse vbique pulcritudinem disperserit, vel in ipso imo oceani fundo, quo perraro humanus oculus pertinet (cui illa tamen sola conueniens videtur) et quae sunt generis eiusdem.

Verum sublimitas naturae — si de ea iudicium aestheticum purum statuimus, quod non est cum conceptibus perfectionis, vt formae finalis obiectiuae, mixtum; quod tum iudicium teleologicum foret — tota potest vt forma vacua aut deformis, nihilominus tamen vt res spectari complacentiae purae obnoxia, formamque finalem subiectiuam repraesentationis datae ostendere; et tunc quaeritur: an ad iudicium aestheticum huius generis, praeter expositionem eorum, quae in eo cogitantur, etiam deductio illius iuris

in vllum quodpiam principium (ſubiectiuum) poſſit ex anticipatione poſtulari.

Ad quam quidem quaeſtionem ſic reſpondeo: ſublimitatem naturae tantummodo improprie ſic dici, proprieque ſolum animi ingenio, vel potius illius fundamento in natura humana attribui oportere. Vt huius tibi conſcius fias, adprehenſio rei obiectae alias forma deſtitutae et inconuenientis anſam praebet tantummodo; quae res hoc modo ſubiectiue fini conuenienter *vſurpatur*, non vero qua talis *per ſe* et propter formam ſuam diiudicatur (quaſi ſpecies finalis accepta, non data). Quapropter expoſitio noſtra iudiciorum de ſublimitate naturae ſimul fuit eorum deductio. Namque, cum conſiderationem reflexionemque facultatis iudicandi in iis diſſecaremus, inuenimus in iis rationem virium cognoſcendi conuenientem, quae facultati finium (voluntati) ex anticipatione fundamento conſtituenda eſt, ideoque ipſa ex anticipatione conueniens videtur: quo tum continuo continetur deductio, id eſt, legitimatio iuris eiusmodi iudicii in valorem vniuerſe neceſſarium.

Ergo nobis ſolum deductio iudiciorum guſtus, hoc eſt, iudiciorum de pulcritudine rerum naturalium anquirenda erit, atque ita problemati vniuerſae iudicandi facultatis aeſtheticae omnino ſatis faciemus.

§. 31.

De via et methodo iudiciorum guſtus deducendorum.

Neceſſitas deductionis, id eſt, euictionis iuris, generis cuiusdam iudiciorum, tantummodo locum habet, cum iudicium ſibi neceſſitatem arrogat; quod tum quoque fieri debet, cum vniuerſalitatem poſtulat ſubiectiuam, hoc eſt, cuiusque adprobationem: cum tamen interea nullum iudicium cognitionis ſit, ſed ſolum voluptatis taediiue ex re obiecta data, hoc eſt, arrogata formae finalis ſubiectiuae omnino ad quemque hominem valentis, quae nullis debet rei conceptibus inniti, quoniam iudicium guſtus eſt.

Cum in posteriori casu nullum nobis iudicium cognitionis propositum sit, neque theoreticum, quod conceptum *naturae* in vniuersum per intelligentiam fundamento substernit, neque (purum) practicum, quod ideam libertatis, vt ex anticipatione per rationem datam, constituit; ideoque iudicium, quod neque, quid res sit, proponit, neque vt ego, ad eam producendam, aliquid agam, secundum eius valorem ex anticipatione deducendum videtur: solum *valor vniuersalis* iudicii *singularis*, quod formam finalem subiectiuam enunciat repraesentationis empiricae formae rei, ad facultatem iudicandi in genere probandus erit, vt enodetur, qui fieri queat, vt quidpiam possit in sola diiudicatione (sine sensatione conceptuue) placere, et, quemadmodum rei cuiuspiam obiectae in gratiam *cognitionis* generatim diiudicandae, regulae generales sint, sic quoque complacentia cuiusque cuique alii liceat vt regula proponi.

Quodsi ergo haec vniuersalitas haud in colligendis suffragiis aliisque circum de ratione sentiendi illorum explorandis niti, sed quasi in antinomia quadam subiecti de sensu voluptatis (ex repraesentatione data) iudicantis, id est, in suo ipsius gustu posita esse, neque tamen quoque derivari a conceptibus debeat; eiusmodi iudicii — vti iudicium gustus reapse est, — duplex eaque logica proprietas videtur: scilicet *primo* vniuersalitas ex anticipatione, neque tamen vniuersalitas logica ex conceptibus, sed vniuersalitas iudicii singularis; *deinde* necessitas (quae semper, oportebit, in rationibus ex anticipatione posita sit), quae vero tamen ex nullis pendet argumentis ex anticipatione, quorum repraesentatione, quem ab vnoquoque iudicium gustus postulat, adsensus possit extorqueri.

Extricatio harum proprietatum logicarum, quibus iudicium gustus ab vniuersis cognitionis iudiciis distinguitur, si hoc loco ab omni eius materia, scilicet sensu voluptatis mentem initio cogitationemque auocamus, solumque formam aestheticam cum forma iudiciorum obiectiuorum, vti eam logica praecipit, comparamus, sola erit ad deductio-

nem mirae huiusce facultatis idonea. Has igitur proprietates gustus distinctiuas antea, exemplis illustratas, proponemus.

§. 32.

Prima iudicii gustus proprietas.

Iudicium gustus rem sibi propositam respectu complacentiae (vt pulcritudinem) cum iure quodam determinat in *cuiusque* adsensionem, quasi foret obiectiuum.

Si dicas: hic flos pulcer est, idem facies, ac si illum suum ipsius ius in cuiusque complacentiam profitentem dicendo sequaris. Per iucunditatem odoris nulla illi prorsus iura competunt. Alium iuuat hic odor, alterius caput idem hebetat. Quid igitur suspicari aliud debeas, quam pulcritudinem pro proprietate ipsius floris reputandam esse, quae sese haud ad diuersitatem capitum totque sensuum componat, se ad quem haec sese debeant componere, si de eo velit iudicare? Et tamen sic se non habet. In eo enim ipso iudicium gustus consistit, quod rem ex ea solum qualitate pulcram vocat, in qua nostram se adprehendendi rationem sequitur.

Praeterea ab vnoquoque, quo gustus debet subiecti prodi, iudicio postulatur: vt subiectum per se, neque per experientiam in iudiciis aliorum circum palpare coactum, de complacentiaque vel displicentia eorum ex ea re ante edoctum, iudicet, proinde iudicium haud vt imitationem, quia fere res quaedam reapse vniuerse placet, debeat, sed ex anticipatione pronunciare. Cogitaueris quidem, iudicio ex anticipatione conceptum obiectae rei contineri oportere, cuius cognoscendae principium in sese cohibeat; verum iudicium gustus nullo modo conceptibus nititur, omninoque haud in cognitione, sed solum in iudicio aesthetico versatur.

Idcirco poeta recens a persuasione, carmen suum pulcrum esse, non potest per iudicium populi, nec amicorum abduci; et, si eos audiat, non fit propterea, quod nunc

illud aliter diiudicat, ſed quia, etiamſi (certe reſpectu ſui) vniuerſus populus falſo guſtu laboraret, tamen (vel contra iudicium ſuum) in cupiditate ſua promerendi adſenſus cauſam videt, ad opinionem ſeſe communem componendi. Serius demum modo, facultate iudicandi magis exacuta, ſponte priſtinum iudicium mittit; vti eamdem quoque iudiciorum rationem obſeruat, quae prorſus pendent ex ratione. Guſtus ſolum ſibi autonomiam arrogat. Si aliena iudicia faceret rationem iudicii ſui determinandi, id quidem heteronomia foret.

Quod veterum opera iure pro exemplis commendantur, eorum auctores claſſici dicuntur, inſtar cuiusdam inter ſcriptores nobilitatis, populo legis praeeundo ferentis: videtur guſtus fontes ex aduentitio (a poſteriori) indicare, eiusque in ſubiecto quouis autonomiam confutare. Verum eodem iure dicere poſſis, veteres mathematicos, qui huc vsque ſummae et ſubtilitatis et elegantiae viae methodique ſyntheticae, quibus aegre ſuperſederi poſſit, exemplaria putantur, etiam rationem imitantem ex noſtra parte arguere, impotentiamque illius, ex ſe ipſa ſtrenua argumenta cum ſumma viſione atque intuitione, ex conceptibus conſtruendis, producendi. Nullus omnino virium noſtrarum vſus eſt, quamuis liber ille ſit, ipſiusque rationis (quae vniuerſa iudicia ex fonte, oportebit, communi ex anticipatione hauriat), qui, ſi quodque ſubiectum ſemper prorſus a rudibus naturae initiis incipere deberet, haud in conatus incideret vitioſos, niſi illud alii ſuis antegreſſi forent, non vt ſequentes ſoli imitatores efficerentur, verum vt alii ratione ſua in viam ducantur, ad principia in ſe ipſis quaerenda, atque ita proprium, ſaepe melius, iter ſuum inſtituendum. In ipſa religione, vbi profecto quisque agendi regulam, oportebit, ex ſe ipſo depromat, quoniam eius quoque illi reddenda ratio erit, culpamque peccatorum non poteſt in alios, velut magiſtros, auctoresue transferre, tamen numquam praeceptis vniuerſalibus, vel a ſacerdotibus acceptis vel philoſophis, vel etiam ex ſe ipſo depromtis, tantum effici poterit, quantum quodam virtutis

ſanctitatisue exemplo, quo, in hiſtoria propoſito, autonomia virtutis, ex propria et originaria moralitatis (ex anteceptione) ideo ſuperuacanea redditur, nec haec in mechaniſmum imitationis mutatur. *Sectatio*, quae anteceſſionem inuoluit, non imitatio, verbum conueniens eſt cuique contagioni quae eſſe poteſt effectorum, auctoris exemplaris cum aliis; id quod hanc modo vim habet, vt idem declaret, atque ex iisdem fontibus haurire, vnde ille ipſe hauſerat, atque ab anteceſſore viam rationemque diſcere, qua in eo nosmet gerere debeamus. Omnium autem facultatum munerumque naturae guſtus, cuius quippe iudicium non ex conceptibus poterit, ſed per praeſcriptiones determinari; maxime exemplis indiget eorum, quae in progreſſu culturae diutiſſime plauſum ſunt adprobationemque experta, quo minus breui denuo recrudeſcat, in ruditatemque priſtinam relabatur.

§. 33.

Altera iudicii guſtus proprietas.

Iudicium guſtus, quaſi ſolum foret *ſubiectiuum*, nullo modo poteſt argumentis determinari.

Si quis aedificium, proſpectumue aut carmen haud pulcrum iudicat, *primo* adſenſum ſibi haud ſexcentis, quae illud laudibus efferunt, ſuffragiis patitur obtrudi. Poterit quidem ſimulare, et ſibi iſtud placere, ne guſtu deſtitutus videatur; poterit adeo dubius fieri, an etiam guſtum cognoſcenda rerum certi cuiuspiam generis multitudine ſat magna, ſatis ſibi informaſſet (velut is, qui e longinquo quidpiam videre ſyluam putat, quod cunctis aliis vrbs videtur, dubitat de ſui ipſius adſpectus iudicio). Hoc tamen intelligit perſpicue: adſenſum aliorum nullum omnino argumentum eſſe, quod ad pulcritudinem valeat iudicandam; alios fere ſui loco videre poſſe et obſeruare, et quod multi eodem modo viderunt, idoneo ſibi, qui iſtud ſecus vidiſſe exiſtimat, argumento theoretico, proinde logico eſſe, numquam vero id, quod aliis placuit, ſeruire fundamento poſſe iudicii aeſthetici. Iudicium aliorum nobis aduer-

ſarium nos iure quidem reddere de noſtro dubios poteſt, numquam autem de falſitate illius conuincere. Ergo nullum exſtat *argumentum* empiricum, quo iudicium guſtus poſſit cuipiam extorqueri.

Deinde multo minus poteſt argumento ex anticipatione ad certas determinataſque regulas iudicium de pulcritudine determinari. Si quis mihi carmen ſuum recitet, aut ad ludum ſcenicum me ducat, quo palatum haud ſentiam demulceri, *Batteuxium Leſſingiumue*, aut alios vetuſtiores clarioresque guſtus cenſores, et vniuerſas ab iis propoſitas regulas argumento adſerre poterit, quibus, carmen ſuum pulcrum eſſe, euincat; poterunt quoque certi loci quidam, qui iidem mihi diſplicent, cum pulcritudinis regulis (vti illic datae ſunt vniuerſeque adprobatae) apte conuenire: obturo aurem, nec argumenta volo, nec argutationem audire, priusque, regulas criticorum illas falſas vel certe hoc loco haud adhibendas ſtatuam, quam vt iudicium patiar argumentis ex anticipatione determinari, cum iudicium guſtus debeat, non intelligentiae rationisue videri.

Quod quidem in cauſis eſſe praecipuis videtur, cur hanc iudicandi facultatem aeſtheticam ipſo guſtus nomine norimus deſignatam. Poterit enim quispiam omnes partes cibi cuiuspiam adpoſiti recenſere, et vnamquamque earum alias mihi gratam eſſe adſeuerare, praeterea quoque iſtius cibi ad valitudinem vtilitatem iure optimo laudare; ad vniverſas rationes iſtas ſurdus ero, cibumque ad linguam *meam* et palatum experiar: ac tum demum (non ex principiis vniuerſalibus) iudicium pronunciabo.

Reapſe iudicium guſtus vsque quaque, vt iudicium de re obiecta ſingulare, pronunciatur. Intelligentia comparanda re obiecta poteſt ratione eius, quod placet, cum iudicio aliorum, iudicium vniuerſale conſtituere; velut omnia tulipana pulcra ſunt; ſed tum iudicium iſtud non eſt iudicium guſtus, ſed logicum iudicium, quod adfectionem rei cuiuspiam ad guſtum rei certi cuiusdam generis attribuit vniuerſe; id vero, quo ſingulare tulipanum pro-

positum oblatumque pulcrum, hoc est, meam illius complacentiam vniuersalem iudico, solum gustus iudicium videtur. Eius autem proprietas consistit in eo, vt, quamuis tantummodo valorem subiectiuum habet, tamen *omnibus* illud subiectis ita potiatur, vti vnquam fieri posset, si iudicium foret obiectiuum, et argumento posset extorqueri.

§. 34.

Nullum potest principium gustus obiectiuum esse.

Principium gustus diceretur decretum, ad cuius conditionem conceptus rei cuiusdam obiectae adsumi posset, tumque, eam pulcram esse, conclusione elici. Id quod fieri nullo modo potest. Namque proxime ex repraesentatione illius, necesse est, me voluptatem sentire, neque ea vllis potest rationibus garriendo tradi. Etsi igitur, vti *Humius* ait, censores possunt speciosius argutari coquis, tamen eorum sors eadem videtur. Rationem iudicii sui determinandi non possunt a vi rationum, sed solum a consideratione reflexioneque subiecti de suo ipsius statu (voluptatis taediiue), cunctis praeceptionibus regulisque reiectis, exspectare.

De quo vero critici nihilominus et possunt argutari et debent, ita vt iudiciis gustus nostris istud perficiendis prosit ac dilatandis, id non cernitur in ratione iudiciorum aestheticorum huius generis determinandorum in formula quadam vtili vniuersali proponenda, quod fieri non potest; verum in facultatibus cognoscendi earumque negotiis in his iudiciis inuestigandis, mutuaque forma finali subiectiua, cuius formam supra docuimus in repraesentatione data pulcritudinem rei sibi subiectae esse, in exemplis explicanda. Ergo critice gustus ipsa solum subiectiua est, respectu repraesentationis, qua res nobis quaedam datur atque offertur: ea nimirum ars est siue scientia, mutuae et intelligentiae et phantasiae ad se inuicem relationis in repraesentatione data (nullo respectu habito sensationis antegressae conceptusue) proinde conuenientiae vel inconuenientiae illarum, regulis comprehendendae, respectuque conditionum earum determi-

nandae. Ea *ars* eſt, cum iſtud ſolum in exemplis demonſtrat; ea *ſcientia* eſt, cum poſſibilitatem eiusmodi diiudicationis ab natura harum facultatum deriuat, vt facultatum cognoſcendi generatim. Cum hac poſteriori, vt critica transſcendentali, ſola hoc loco omnino nobis negotium erit. Ea principium guſtus ſubiectiuum, vt principium facultatis iudicandi anteceptum euoluere debet ac deducere. Critice, qua ars, regulas tantummodo phyſiologicas (hoc loco pſychologicas) proinde empiricas, ex quibus guſtus reapſe agit (nulla de poſſibilitate illarum cogitatione inſtituta) ad res illi obnoxias diiudicandas adhibere conatur, effectaque artis pulcrae cenſet; quemadmodum *illa* facultatem ipſam, eius diiudicandae.

§. 35.

Principium guſtus eſt principium ſubiectiuum facultatis iudicandi in vniuerſum.

Iudicium guſtus eo ab logico diſtinguitur, quod iudicium logicum repraeſentationem ad conceptum rei obiectae adſumit, ſed iudicium guſtus minime ad conceptum adſumit, quoniam alioquin adſenſio neceſſaria et vniuerſalis argumentis extorqueretur. Nihilominus illud in eo logici ſimile eſt, quoniam vniuerſalitatem neceſſitatemque prae ſe fert, non vero ex conceptibus rei obiectae, proinde ſolum ſubiectiuam. Quoniam autem conceptibus in iudicio materia eius (id quod ad rem pertinet obiectam cognoſcendam) efficitur, ſed iudicium guſtus non poteſt per conceptus determinari, nititur illud duntaxat in conditione formali ſubiectiua iudicii in vniuerſum. Conditio ſubiectiua omnium iudiciorum eſt ipſa iudicandi facultas. Haec, reſpectu repraeſentationis, qua res quaedam datur, cogitata, opus habet virium repraeſentatiuarum duarum conſpiratione: ſcilicet et phantaſia (ad viſionem variorumque in ea compoſitionem) et intelligentia (ad conceptum vt repraeſentationem vnitatis huiusce compoſitionis). Quia vero hoc loco iudicio nullus obiectae rei conceptus fundamento ſubeſt, poterit illud tantummodo in ipſa phantaſiae adſumtione

(in repraesentatione, qua res quaedam datur atque offertur) ad conditiones consistere, vt intelligentia omnino a visionibus perueniat ad conceptus. Quippe quoniam in eo ipsa, quod phantasia sine conceptu schemata depingit, libertas eius versatur; iudicium gustus in sola sensatione phantasiae mutuo se animantis in *libertate* sua, intelligentiaeque cum sua *legalitate*, proinde in sensu, necesse est, nitatur, quo res obiecta possit ex forma repraesentationis (qua res obiecta datur) finali ad cognoscendi facultatem promouendam in lusu suo libero diiudicari; et gustus, vt facultas iudicandi subiectiua, principium adsumtionis continet, non vero visionum, ad *conceptus*, sed *facultatis* visionum aut exhibitionum (id est, phantasiae) ad conceptuum *facultatem* (hoc est, intelligentiam, quatenus visionum facultas *in libertate sua* cum facultate conceptuum *in legalitate eius* conuenit et conspirat.

Ad hanc iuris rationem ex deductione iudiciorum gustus aperiendam, solum proprietates iudiciorum huius generis formales, proinde quatenus in iis solum forma logica spectatur, nobis esse pro duce poterunt.

§. 36.

De problemate iudiciorum gustus deducendorum.

Cum perceptione rei cuiuspiam obiectae proxime conceptus potest obiectae rei in genere, cuius illa praedicata empirica continet, in iudicio cognitionis coniungi, eoque iudicium experientiae gigni. Huic igitur fundamento conceptus praesumti sunt vnitatis variorum syntheticae in visione, vt ea qua obiectae rei determinatio cogitentur; iique conceptus (categoriae) indigent deductionis, quam etiam dedimus in critice rationis purae, qua quidem poterat quoque quaestionis enodatio confici: qui iudicia cognitionis synthetica ex anticipatione esse possunt? Quae itaque quaestio principia attingit anticipata intelligentiae purae, eiusque iudiciorum theoreticorum.

Verum cum perceptione etiam proxime potest sensus voluptatis (taediiue) et complacentia copulari, rei comi-

tans repraesentationem obiectae, illique seruiens instar praedicati, atque ita iudicium aestheticum, quod nullum cognitionis iudicium est, oriri. Eiusmodi iudicio, nisi solum sensationis iudicium sit, sed reflexionis formale, hanc complacentiam ab vnoquoque postulans vt necessariam, quidpiam fundamento subsit vt principium praesumtum, quod fere solum poterit subiectiuum esse (si fieri non posset vt iudiciorum eiusmodi aliquod obiectiuum esset), verum etiam qua tale deductionis indiget, vt, quomodo iudicium aestheticum postulare necessitatem queat, comprehendatur. Atque in eo quidem quaestio posita est, in qua nunc occupamur: quomodo fieri possint iudicia gustus? Quae igitur quaestio principia anticipata facultatis iudicandi purae in iudiciis *aestheticis* attingit, hoc est, in iis, in quibus haud (vti in theoreticis) ad conceptus intelligentiae obiectiuos illi adsumendum est, neque ea cuidam legi subest, verum vbi sibi ipsa, subiectiue, cum res proposita, tum lex videtur.

Atque ea quaestio sic quoque poterit enunciari: Quomodo fieri iudicium potest, quod solum ex sensu voluptatis *proprio* in re quadam obiecta, ab eius conceptu liberum, hanc voluptatem, vt repraesentationi illius obiectae rei *in quouis subiecto alio* adhaerentem, ex anticipatione, hoc est, ita, vt nullam debeat adsensionem alienam exspectare, diiudicet?

Iudicia gustus in syntheticis esse, facile intelligitur, siquidem ea conceptum, ipsamque obiectae rei visionem transeunt, et quidpiam, quod ne in cognitione consistit, nempe sensum voluptatis (taediiue) ad illam adiungunt vt praedicatum. Ea vero, quamquam praedicatum (voluptatis *propriae* cum repraesentatione coniunctae) empiricum est, tamen, quod postulatam attinet *a quoque homine* adsensionem, iudicia ex anticipatione esse, aut pro iis cupere haberi, itidem iam in vocabulis iuris eorum inest; atque ita haec quaestio critices facultatis iudicandi ad problema vniuersale pertinet philosophiae transscendentalis: quomodo fieri possunt iudicia synthetica ex anticipatione?

§. 37.

Quid proprie in iudicio guſtus de re quadam obiecta ex anticipatione adſeritur?

Rei cuiuspiam obiectae repraeſentationem proxime coniunctam cum voluptate eſſe, tantummodo poteſt interne percipi, ſolumque, ſi non niſi hoc iudicare velles, iudicium empiricum inde exſiſteret. Neque enim ex anticipatione poſſum cum vlla repraeſentatione certum quemdam determinatumque ſenſum (voluptatis taediiue) copulare, praeterquam principium ex anticipatione voluntatem determinans in ratione fundamento ſubeſt, tum ſcilicet voluptas (in ſenſu morali) eius conſequens eſt, ob id ipſum autem nullo modo poteſt cum voluptate in guſtu comparari, quoniam ea conceptum legis determinatum poſtulat: cum e contrario proxime cum ſola diiudicatione coniuncta eſſe, ante omnem conceptum, debeat. Idcirco omnia quoque guſtus iudicia in iudiciis ſingularibus verſantur, quoniam praedicatum complacentiae non cum conceptu coniungunt, ſed cum data repraeſentatione empirica ſingulari.

Ergo haud voluptas, ſed *vniuerſalitas huius voluptatis,* quae cum ſola rei cuiuspiam diiudicatione in animo vt coniuncta percipitur, ex anticipatione vt generalis iudicandi facultatis regula, ad vnumquemque valens, in iudicio guſtus repraeſentatur. Iudicium empiricum eſt: me rem obiectam quamdam cum voluptate percipere ac diiudicare. Sed iudicium eſt ex anticipatione: me illam pulcram habere, hoc eſt, illam complacentiam ab vnoquoque memet vt neceſſariam poſtulare.

§. 38.

Deductio iudiciorum guſtus.

Conceſſo hoc: in iudicio guſtus puro complacentiam rei obiectae coniunctam eſſe cum ſola formae illius diiudicatione; planum erit, illud non, niſi in forma finali illius ſubiectiua verſari ad facultatem iudicandi, quam cum rei obiectae repraeſentatione in animo coniunctam ſenſu per-

cipimus. Cum vero vis iudicandi respectu regularum diiudicationis formalium, sine omni materia (nec sensatione nec conceptu), tantummodo ad conditiones subiectiuas vsus facultatis iudicandi generatim (neque ad peculiare sensus genus, neque peculiarem intelligentiae conceptum accommodatae) spectare queat; proinde illa subiectiua ratio, quae in cunctis hominibus (vt ad cognitionem possibilem in vniuersum necessaria) possit supponi: necesse est, vt conuenientia repraesentationis cuiuspiam cum his iudicandi facultatis repraesentationibus vt ad vnumquemque valens sumi queat ex anticipatione. Nimirum voluptas formaue finalis repraesentationis subiectiua pro adfectione virium cognoscendi in re diiudicanda sensibili in genere, iure poterit ab vnoquoque postulari *).

S c h o l i o n.

Haec deductio propterea nulla prorsus difficultate laborat, quoniam non est, cur realitatem cuiuspiam conceptus obiectiuam doceat ac tueatur; neque enim pulcritudo cernitur in conceptu rei obiectae, neque iudicium gustus in cognitionis iudicio versatur. Illud hanc modo vim habet: nos iure posse easdem iudicandi facultatis conditiones subiectiuas vniuerse in vnoquoque homine supponere, quas in nobis deprehendimus; nosque ad conditio-

*) Vt iure possis adsensum postulare vniuersalem iudicio solum in rationibus subiectiuis posito facultatis iudicandi aestheticae, satis erit, vt concedatur: 1) in omnibus hominibus, quod adfectionem attinet virium cognoscendi excitatarum ad cognitionem generatim, conditiones subiectiuas huius facultatis easdem esse; quod verum sit, oportebit, quoniam alioquin haud possent cogitationes suas ipsamque cognitionem homines cum aliis communicare. 2) Iudicium solum huiusce adfectionis (proinde *conditionis formalis* facultatis iudicandi rationem habuisse, ac purum esse, hoc est, neque cum conceptibus obiectae rei mixtum neque cum sensationibus, vt rationibus determinandi. Etiamsi respectu huius posterioris peccatum fuerit, hoc tamen tantummodo falsum iuris potestatisque vsum attingit, legem nobis dictantis, ad singularem causam, quo vero ius omnino atque potestas minime tollitur.

nes eas rem obiectam datam rite adsumsisse. Quae quidem adsumtio quamuis haud careat difficultatibus necessariis, vi iudicandi logicae haud adhaerentibus, (quoniam in hac ad conceptus, sed in aesthetica ad adfectionem solum sensu percipiendam, phantasiae intelligentiaeque in forma obiectae rei repraesentata mutuo inter se inuicem determinantium adsumitur, vbi facile adsumtio fallere potest); tamen eo legalitati iuris facultatis iudicandi, adsensionem vniuersalem exspectandi, nihil quidquam adimitur, quod eo solum redit, vt veritas principii ex rationibus subiectiuis, ita vt ad vnumquemque valeat, diiudicetur. Namque difficultate quidem dubiisque de veritate adsumtionis ad principium illud, legitima iuris ratio ad huncce iudicii aesthetici valorem vniuerse, proinde principium ipsum, tam parum dubia atque incerta redditur, quam itidem (quamquam haud tam saepe ac facile) vitiosa adsumtione facultatis iudicandi logicae ad principium illius, hoc posterius, quod obiectiuum est, anceps reddi dubiumque poterit. Quodsi autem quaestio foret: qui fieri potest, vt natura tamquam complexus rerum sub gustum subiectarum ex anticipatione sumatur? illius quaestionis adfectio erit ad teleologiam referenda, quoniam vt finis naturae spectari deberet, conceptui eius necessario adhaerens, vt facultatis iudicandi nostrae formae conuenientes proponantur. Sed de veritate huius sumtionis adhuc vehementer dubitandum videtur, propterea quod exsistentia pulcritudinum naturae patent experientiae.

§. 39.

De communicabilitate sensationis.

Sensatio cum, tamquam reale perceptionis, refertur ad cognitionem, sensatio sensus dicitur, et ratio qualitatis illius specifica, tantummodo vt perpetuo aequali modo communicabilis poterit repraesentari, si sumseris, quemque sensum habere nostro aequalem: id quod autem de sensatione sensus nullo modo poterit supponi. Sic cum eo, qui sensu odoris priuatus est, non potest hoc sensationis genus communicari; adeoque, si illo haud sit is destitutus,

tamen esse certi possumus, an eadem ipsa, qua nosmet perfundimur, floris sensatione adficiatur. Longe autem magis diuersos respectu *iucunditatis iniucunditatisque* in vna eademque re sensibus proposita sensu percipienda, homines nosmet, oportebit, cogitemus; et nullo modo postulari potest, vt voluptas ex eiusmodi rebus ab vnoqnoque concedatur. Voluptatem huius generis, quoniam per sensum in animum venit, et nosmet in eo proinde gerimus patientes, voluptatem poteris *fruitionis* adpellare.

Contra complacentia actionis propter qualitatem illius moralem nulla est fruitionis voluptas, sed spontaneitatis, eiusque cum ideis determinationis suae conuenientia. Hic sensus autem, qui dicitur moralis, conceptus postulat; nullamque liberam, sed legalem formam finalem exhibet, nec proinde aliter, quam interueniente ratione, et, si voluptas in vnoquoque similis esse et homogenea debeat, per practicos rationis conceptus admodum determinatos, potest vniuerse communicari.

Voluptas ex subtilitate naturae, vt voluptas contemplationis argutantis, item etiam communionem vniuersalem postulat, sed tamen alium quemdam sensum iam supponit, sensum quippe determinationis suae suprasensitiuae: cuius, quantumuis obscura, initia ac fundamenta moralia videntur. Verum alios homines illius rationem habere, in contemplandaque horrida naturae magnitudine sese fore delectaturos (quod sane eius non poterit adspectui tribui, quippe qui potius deterret), haud licebit mihi simpliciter supponere. Nihilominus tamen, quatenus initiorum illorum moralium ratio haberi data quauis occasione opportuna deberet, illam quoque complacentiam possum ab vnoquoque postulare, sed solum interuentu legis moralis, quae ex sua quidem parte rursum est in conceptibus rationis fundata.

Contra voluptas e pulcro neque fruitionis voluptas est, neque actionis cuiuspiam legalis neque contemplationis ex ideis argutantis, verum solius considerationis reflexionisque. Nullius cuiuspiam finis decretiue norma,

instructa, haec voluptas communem rei obiectae per phantasiam adprehensionem comitatur, vt facultas visionum, respectu intelligentiae, vt facultatis conceptuum, ope rationis cuiuspiam iudicandi facultatis, quam in gratiam servare eam experientiae vel vulgarissimae oportebit: ita quidem, vt hic id facere cogatur ad percipiendum conceptum empiricum obiectiuum, illic vero (in diiudicatione aesthetica) solum ad conuenientiam cum occupatione harmonica (subiectiue finali) ambarum cognoscendi facultatum in libertate illarum percipiendam. Hanc voluptatem, necesse est, in vnoquoque homine iisdem conditionibus niti, quoniam conditiones sunt subiectiuae possibilitatis cuiuspiam cognitionis generatim, ratioque earum cognoscendi virium, ad gustum necessaria, etiam ad intelligentiam communem sanamque, quam in quouis licet supponi, postulatur. Sed ob eam ipsam caussam is, qui cum gustu iudicat, (modo ne in ista conscientia erret, nec materiam pro forma capiat, pro pulcritudine illecebras) formam finalem obiectiuam poterit, hoc est, complacentiam obiectae rei a quouis alio postulare, sensumque suum vt vniuerse communicabilem, et nullo quidem conceptuum interuentu sumere,

§. 40.

De gustu vt genere sensus communis.

Saepenumero iudicandi facultatem, cum non tam illius reflexio consideratioque potest, quam consecutio animaduerti, sensus nomine induimus, de sensuque veri, decori, iusti et similium loquimur; etsi sciamus, certe deberemus scire, non sensum esse, in quo conceptuum queat sedes videri, multo minus hunc minime aptum esse ad regulas vniuersales pronunciandas: sed nobis non posse de vero, decoro, pulcro, iustoue vmquam eiusmodi cogitationem in mentem venire, nisi nosmet vltra sensus ad altiores cognoscendi facultates eleuaremus. *Intelligentiae communi*, quae, vt solum sana, (nondum exculta) intelligentia, pro re minima vilissimaque habetur, quod vmquam queat ab eo, qui titulum sibi dignitatemque hominis vin-

dicat, exſpectari, laus iniuria eſt, vt nomine ſenſus communis ornetur; atque ita quidem, vt vocabulo *communis* in multis linguis recentioribus idem denotetur ac *vulgare*, quod vbique inuenitur, in cuius poſſeſſione nullum prorſus meritum, nullaque praeſtantia ineſt.

Contra ſenſui *communi* idea ſubiicienda eſt ſenſus cuiuspiam, qui multorum in communione verſetur, hoc eſt, facultatis iudicandi, in reflexione ſua repraeſentandi modi alius cuiusuis in mente (ex anticipatione) rationem habentis vt *quaſi* cum vniuerſa ratione humana iudicium ſuum conſerat, eoque illuſionem effugiat, cuius ex conditionibus priuatis ſubiectiuis, quae facile haberi pro obiectiuis poſſent, cum iudicio noxia contagio foret. Hoc autem ſit, iudicio tuo cum aliorum, non tam veris, quam potius ſolum poſſibilibus iudiciis comparando, teque in locum cuiusque alius collocando, dum ſolum ab limitationibus, quae propriae diiudicationi noſtrae fortuito adhaerent, cogitationem auocas atque abducis: quod viciſſim eo efficitur, vt id, quod in ſtatu repraeſentationis materia, id eſt, ſenſatio eſt, quantum fieri poteſt, omittatur, ſolumque ad proprietates formales repraeſentationum tuarum, ſtatusue repraeſentationum tui, animum aduertas. Iam quidem haec reflexionis operatio fortaſſe nimis artificioſa videtur, quam vt facultati queat, quem ſenſum *communem* vocamus, attribui; verum ſic modo videtur ſpeciemque habet, formulis abſtractis enunciata; per ſe autem nihil naturae conuenientius eſt, quam vt ab illecebris et permotione nobis temperemus, cum iudicium quaerimus, quod eſſe pro regula debeat vniuerſali.

Sequuntur normae intelligentiae communis, quae huc quidem, vt partes critices guſtus, non pertinent, ſed tamen facere poſſunt ad decreta illius illuſtranda. Quae quidem ſic ſe habent: 1) vt ex temet ipſo cogites; 2) vt ex loco cogites cuiusque alterius; 3) vt ſemper tibi ipſi conuenienter cogites. Illa prima norma eſt *mentis ab opinione praeiudicata liberae*, altera mentis *dilatatae*, tertia denique mentis *ſibi conſtantis*. Prima eſt norma rationis numquam

passiuae. Inclinatio ad rationem passiuam, proinde ad rationis heteronomiam *opinio praeiudicata* vocatur; omniumque opinionum praeiudicatarum maxima et grauissima est, cum regulae naturae, quas intelligentia illi per legem propriam illius essentialem fundamento substernit, vt haud subiectae cogitentur, hoc est, *superstitio.* *Vacuitas* ab superstitione atque libertas dicitur *cultus ingenii* mentem omnemque vitam quasi collustrans *); quia, quamquam in hoc verbo etiam vis inest liberationis ab opinionibus praeiudicatis, tamen illa in sensu eminenti opinio praeiudicata dici meretur, propterea quod caecitate, in quam superstitio praecipitat, quamque adeo tamquam officium quoddam ea postulat, necessitas, vt nos ab aliis ducamur, proinde status rationis passiuae praesertim distinguitur. Quod alteram mentis ingenii normam attinet, alias quidem illum solemus limitatum angustumque et circumscriptum (quod contrarium est *dilatato* et amplo) vocare, cuius dotes animi haud sunt ad magnum vsum (intensiuum in primis) idoneae. Sed hoc loco non facultate cognitionis sermo est, sed *ingenio mentis* conuenienter vtendo: quod, vt maxime curtus angustusque ambitus sit gradusque, ad quem naturae munus in homine pertinet, tamen virum declarat *ingenii mentis dilatatioris* ampliorisque, si subiectiuas iudicii conditiones priuatas, quibus tot alii coarctati compressique tenentur, despicere potest, et ex *statione vniuersali* (quam eo tantum determinare poterit, vt in stationem se

*) Facile intelligitur, cultum ingenii in thesi quidem facilem, sed in hypothesi rem esse arduam tardeque efficiendam; quoniam, vt ratione sua haud passiue, sed semper sibi ipse legem ferens se gerat, admodum quidem homini facile erit, qui modo fini essentiali suo conueniens esse et consentaneus vult, neque id, quod intelligentiam suam superat, nosse cupit; verum, cum vix euitari possit sciendi cupiditas res eas, quae vim omnem fugiunt notionemque nostram, neque aliorum penuria vnquam videatur, qui istum scientiae ardorem se posse exstinguere maxime fideuter polliceantur; sequitur, vt difficile arduumque negotium sit, rationis negatiuae (qua proprie cultus ingenii efficitur) in mentis ingenio (praesertim publico) vel construandae, vel instaurandae.

aliorum cogitatione transferat) suo ipsius iudicio considerat et reflectit. Tertia denique mentis ingenii *sibi constantis* norma omnium difficillime poterit attingi, et solum quoque ambabus illis primis coniungendis, habituque ex frequentiori illarum vsu parto potest attingi. Dici potest: earum normarum primam intelligentiae normam esse, alteram facultatis iudicandi, rationis tertiam. —

Iam filum his inculcatis missum denuo prehendens, sic sentio: gustum maiori iure sensum communem dici posse, quam intelligentiam communem, facultatemque iudicandi aestheticam magis quam intellectualem nomen posse sensus communis *) gerere, si adeo vocabulo sensus vti de effecto velis solius ad animum reflexionis: tum enim sensum intelligimus sensum voluptatis. Posset adeo gustus per facultatem definiri iudicandi de eo, quo sensus noster in quadam perceptione data nullo interueniente conceptu *vniuerse communicabilis* reddatur.

Dexteritas hominum cogitata cum aliis communicandi postulat etiam adfectionem quamdam phantasiae ad intelligentiam, vt conceptibus visiones et his vicissim conceptus adiungantur, in vnam cognitionem coeuntes; tum vero concentus ambarum virium animi *legalis* est, sub vi et coactione conceptuum determinatorum. Tum solum, cum phantasia in libertate sua intelligentiam excitat, sine conceptibusque phantasiam conuenienter mouet; tum repraesentatio sui copiam facit, non vt cogitatum, sed vt sensus internus conuenientis cuiuspiam status animi.

Ergo gustus cernitur in facultate communicabilitatem tactuum sensorumue, cum repraesentationibus datis (nullo interueniente conceptu), coniunctorum, ex anticipatione diiudicandi.

Quodsi sumi liceret, solum communicabilitatem vniversalem sensus nostri tactusue per se iam quoddam nobis

*) Gustus posset sensus communis *aestheticus*, sed intelligentia communis sensus communis *logicus* adpellari.

inuitamentum cohibere in se oportere (quod vero iure non potest ex qualitate atque natura facultatis iudicandi solum reflectentis concludi); posset ratio doceri, quare sensus in iudicio gustus velut officium ab vnoquoque postuletur.

§. 41.

De inuitamento pulcri empirico.

Iudicium gustus, quo aliquid pulcrum declaratur, nullum oportere inuitamentum habere pro *ratione determinandi*, satis supra disputauimus. Inde vero non sequitur, vt, posteaquam vt iudicium aestheticum purum, datum fuerit, nullum queat inuitamentum cum eo coniungi. Ea vero coniunctio tantummodo poterit indirecta esse, nimirum gustus, necesse est, primo coniunctus cum quadam re alia repraesentetur, vt cum sola complacentia solius reflexionis de re quadam obiecta praeterea *voluptas* queat *ex exsistentia* illius (quippe in qua vniuersum inuitamentum cernitur) coniungi. Hic enim in iudicio aesthetico locum habet, quod in iudicio cognitionis (de rebus vniuerse) dicitur, a posse ad esse non valet consequentia. Iam illa res alia non potest nisi empirica esse, nempe inclinatio, naturae humanae propria; aut intellectuale quidpiam, vt voluntatis proprietas, quo ex anticipatione possit per rationem determinari: ambobus complacentia exsistentiae inest obiectae rei, atque ita iis fundamentum inuitamentum constitui illius, quod iam per se, nulloque vllius cuiuspiam inuitamenti respectu habito inest.

Empirice capit pulcrum atque inuitat duntaxat in *societate;* adpetituque societatis vt hominis naturae conueniente, et habilitate illius ad eamque inclinatione et procliuitate, hoc est, *socialitate*, ad requisita hominis, vt creatae rei ad societatem conditae destinataeque, proinde vt ad *humanitatem* necessaria proprietate concessa, non potest non gustus vt facultas diiudicandi ea vniuersa, quibus adeo *sensum* possis cum vnoquoque alio communicare, proinde vt adiumentum eorum omnium, quae cuiusque naturalis inclinatio postulat, spectari.

Pro se solo homo desertus ac solitarius in insula desolata nec tugurium, nec se ipsum exornaret, neque flores colligeret, multo minus eos ad se exornandum plantaret; verum solum in societate eius animum subit, non solum hominem, sed in suo genere excultum hominem ac politum esse (quod initium est ciuilitatis): vt talem enim eum diiudicamus, qui ad voluptatem suam cum aliis communicandam promtus est atque idoneus, quique obiecta re quapiam haud exsatiatur, nisi complacentiam illius in communione cum aliis possit sensu percipere. Quisque praeterea ab vnoquoque et exspectat et postulat communicationem vniuersalem, quasi ex compacto quodam originario, ab ipsa humana natura dictato; atque ita sane initio quidem tantummodo illecebrae, veluti colores, ad se pingendum (rocouium apud Caraibas menniumque apud Irokesos), vel flores, testae, plumae auium versicolores, sed temporis progressu etiam pulcrae formae (vt vestium et similium) quae nullam omnino oblectationem, id est, fruitionis complacentiam in se continent, in societate pondus accipiunt et cum magno inuitamento coniunguntur: donec tandem politura ad summum perducta inclinationis expolitae summam efficit, sensationumque tantummodo pretium statuitur, quatenus possunt communicari; vbi tum, etsi voluptas, quam ex eiusmodi re quisque capit, tantummodo tenuis atque exigua est, et per se vllo quodam insigni inuitamento distinguitur, tamen idea communicabilitatis illius vniuersalis pretium eius propemodum infinite auget.

Hoc inuitamentum vero pulcro, per procliuitatem ad societatem, annexum, proinde empiricum, nobis hoc loco nullius momenti videtur, quippe quibus ea solum spectanda sunt, quae ad iudicium gustus ex anticipatione, quamquam solum indirecte, referri possunt. Namque, etiamsi in ea forma inuitamentum quoddam cum ea coniunctum patesceret, tamen gustus transitionem facultatis iudicandi nostrae a fruitione sensitiua ad sensum moralem aperiret; et eo non solum gustus conuenienter ad se occupandum melius duceretur, sed etiam articulus catenae medius facultatum huma-

narum ex anticipatione, a quibus omnis pendeat legislatio, necesse est, vt talis exhibeatur. Tantum quidem de inuitamento empirico rerum sub gustum subiectarum gustusque ipsius dici potest, illud, cum hic inclinationi inseruiat, vt ea maxime perpolita sit, tamen cum omnibus inclinationibus perpessionibusque animorum, maximam in societate varietatem summumque gradum adsequentibus, posse conflari, pulcrique inuitamentum, si eo constitutum fuerit, transitionem a iucundo ad bonum honestumque dubiam admodum atque ambiguam esse posse. An ea vero fortasse per gustum queat, in puritate sua acceptum, promoueri, sane est, quod inuestigemus.

§. 42.

De intellectuali pulcri inuitamento.

Animo bono consilioque factum est, vt, qui omnes hominum occupationes atque negotia, ad quas hi internis naturae donis incitantur, lubenter ad vltimum humanae naturae finem dirigere vellent, scilicet ad honestum moraliterque bonum, notam atque insigne putarent characteris moralis boni, si omnino ex pulcro inuitamentum caperetur. Quibus vero haud iniuria ab aliis contradictum est, ad experientiam prouocantibus, artifices gustus non solum saepius, verum adeo solito, vanos, morosos, perniciosisque animi perpessionibus deditos, fortasse multo minus atque alii principatum sibi laudemque posse principiorum sectandorum moralium vindicare; atque ita videtur, sensum pulcri non solum (vti reuera est) ab sensu morali ad speciem differre, verum etiam inuitamentum, quod cum eo coniungi potest, difficulter posse, nullo modo vero per adfinitatem internam, coniungi.

Equidem lubenter largior, inuitamentum *pulcri artium* (quo etiam artificialem vsum pulcritudinum naturae ad ornatum, proinde ad vanitatem, refero) nullum omnino argumentum esse mentis ingenii honesto siue moraliter bono adhaerentis illudque sectantis, vel adeo modo ad id procliuis ac propensi. Contra ea vero contendo *inuita-*

uentum pulcritudinis *naturae proximum* capiendi rationem (non solum, ad eam diiudicandam, gustum habendi) semper in notis esse, quibus bonitas animi distinguatur; atque hoc inuitamento, si illud habituale sit, saltem tenorem animi sensui morali propensum declarari, si istud lubenter sese cum *contemplatione naturae* coniungat. Sed bene meminisse debebis, me hoc loco proprie pulcras naturae *formas* intelligere, contra *illecebras*, quas ea tum large solet cum illis coniungere, in medio adhuc relinquere, quoniam inuitamentum earum etiam proxime quidem, sed tamen empiricum videtur.

Is, qui solitarius (nulloque consilio statuto, observationum suarum cum aliis communicandarum) pulcram floris agrestis formam, auisue, aut cuiuspiam insecti, id genus aliorum contemplatur, ad eam admirandam, amandamque, atque aegre in natura vniuerse desiderandam, etiamsi eo sibi aliquid detrimenti adferretur, multo minus quidpiam inde ad sese emolumenti redundaret, ex pulcritudine naturae inuitamentum capit proximum, idque intellectuale. Scilicet non solum illius effectum quoad formam illi placet, verum etiam exsistentia, ita vt nullae sensus illecebrae illud attingant, neque ipse vllum quempiam cum eo coniungat.

Atque in eo quidem notatu dignum est, si hic pulcri amator occulte deceptus fuerit, floresque artificiosi (qui naturalibus possunt simillimi confici) in terram infixi, aut scite caelatae aues in arborum frondibus fuerint collocatae, postea que is fraudem aperiret, inuitamentum proximum, quod ante inde ceperat, continuo euaniturum, sed fortasse aliud, nempe vanitatis inuitamentum, cubiculi ad aliorum oculos exornandi, in locum fore eius successurum. Cogitatio, naturam illam pulcritudinem produxisse, visionem, necesse est, reflexionemque comitetur; in eaque sola inuitamentum, quod inde capitur, proximum nititur. Alioquin aut solum gustus iudicium omni omnino inuitamento destitutum relinquitur, aut modo quodpiam cum quodam cum interuentu inuitamentum, nimirum ad societatem relatum coniunctum: quod quidem haud erit in notis

certis atque indubitatis animi ingenii honesti et moraliter boni.

Haec laus pulcritudinis naturae artis pulcritudine excellentior, etiamsi illa per hanc secundum formam adeo vinceretur, tamen inuitamentum proximum excitandi, cum perpolito solidiorique mentis ingenio omnium hominum conuenit, qui sensum moralem excoluerunt. Si quis gustu satis instructus ad pulcra artis effecta et verissime et subtilissime diiudicanda, cubiculo lubenter relicto, in quo pulcritudines illae nitent, vanitatem aut fere gaudia socialia nutrientes, sese ad pulcritudinem naturae conuertit, vt hic quasi voluptatem animi capiat in itinere quodam cogitatorum, quod numquam potest totum enodare; tum hanc ipsam optionem eius verecundi contemplabimur, in eoque mentem pulcram supponemus, quam nullus artium peritus atque amator potest, propter inuitamentum, quod ex rebus obiectis capit, sibi arrogare. — Quod igitur discrimen est duarum rerum tam diuersarum aestimandarum, quae in iudicio solius gustus vix in se inuicem de laude forent certaturae.

Est vis in nobis iudicandi facultatis solum aestheticae, sine conceptibus de formis iudicandi, in solisque iis diiudicandis complacentiam capiendi, quam simul cuique regulam praecipimus, ita vt iudicium istud nihilominus nullo innitamento nitatur, neque eiusmodi producat. — Contra et vis in nobis inest facultatis iudicandi intellectualis, solis normarum practicarum (quatenus sponte sunt atque ex se ad legislationem vniuersalem idoneae) formis complacentiam ex anticipatione determinandi, quam cuique legem statuimus, neque tamen iudicium nostrum in vllo quodam inuitamento nitatur, *sed tamen eiusmodi producat*. Voluptas taediumue in iudicio superiori est voluptas taediumue gustus; altera sensus moralis.

Cum vero ratio eo etiam inuitetur, quod idearum quoque (quibus ea in sensu morali inuitamentum proximum efficit) realitas obiectiua videtur, hoc est, vt natura saltem vestigium prodat nutumue, sese vllam quamdam in

se rationem cohibere conuenientiae sumendae legalis effectorum suorum cum complacentia nostra ab omni inuitamento libera (quam ex anticipatione vt legem agnoscimus cuique propositam, licet argumentis istud nequeamus euincere): cogitur ratio ad inuitamentum in quauis naturae effectione ex hac illius simili conuenientia capiendum; ergo animus non potest de pulcritudine *naturae* cogitare, nisi simul in eo sese sentiat inuitatum. Sed inuitamentum istud secundum adfinitatem morale est; isque, qui illud ex pulcritudine naturae capit, capere istud eatenus potest, quatenus iam antea inuitamentum ex moraliter bono probe fundasset. Quem igitur naturae pulcritudo proxime inuitat, in eo, causa est, quare saltem initia bonae mentis moralis suspicemur.

At inquies: Haec interpretatio iudiciorum aestheticorum ad adfinitatem sensus moralis speciem artificiosioris laboris habere, quam vt vera possit cifrarum scripturae interpretatio haberi, per quam natura ad nos in pulcris formis suis figurate loquitur. At primo hoc proximum pulcritudinis naturae inuitamentum reapse haud frequens neque commune est, sed iis solum proprium, quorum ingenium animi aut ad bonum iam excultum est, aut ad culturam eam praecipue idoneum; et tum analogia iudicii gustus puri, quod, quamuis ex nullo quopiam inuitamento pendeat, quadam nos complacentia persundit, eamque simul vt ex anticipatione vt humanae naturae generatim consentaneam ostendit, cum iudicio morali, quod idem facit ex conceptibus, vel sine distincta, subtilique et studiosa cogitatione, ad par quoddam inuitamentum proximum ex re obiecta superioris, velut ex re obiecta posterioris ducimur: ita tamen, vt illud liberum inuitamentum sit, sed hoc in legibus obiectiuis constitutum. Accedit admiratio naturae, in pulcris effectis suis sese vt artem, non solum fortuito, sed consulto quasi, ex instituto legali atque vt formam finalem sine fine ostendentis: quem finem quidem, cum extrinsecus nuspiam inueniamus, necessario intus in nobis ipsis, atque in eo quidem, quo finis vltimus exsistentiae

nostrae efficitur, nimirum in destinatione morali, quaerimus (de qua quidem ratione possibilitatis eiusmodi formae finalis naturae anquirenda demum in teleologia sermo erit).

Quare complacentia artis pulcrae in puro gustus iudicio haud perinde sit; quam complacentia pulcrae naturae, cum proximo inuitamento coniuncta, itidem facile poterit doceri. Namque ars pulcra aut imitatio naturae est, ad illusionem vsque perfecta: et tum effectum ea edit vt (opinata) pulcritudo naturae; aut ars est cum consilio ad complacentiam nostram aperte spectans atque directa; tum vero complacentia huius effecti proxime quidem per gustum locum haberet, sed non nisi cum interuentu inuitamentum causae, quae fundamento subest, nimirum artis, quae solum per finem suum, numquam per se ipsam, inuitare. Fortasse dices, idem locum habere, cum res obiecta naturae per pulcritudinem eatenus modo inuitat, quatenus illi adiungitur idea moralis; nec hoc vero, sed qualitas illius per se ipsa, qua ad eiusmodi adiunctionem idonea redditur, quae illi proinde interne competit, proxime inuitat.

Illecebrae in natura pulcra, quae tam crebro cum pulcra forma quasi colliquescentes deprehenduntur, aut ad mutationes variationesque luminis (in coloribus ducendis) pertinent, aut soni (in tonis). His enim solae sensationes continentur, quae non modo sensum sensitiuum, verum etiam reflexionem concedunt de forma mutationum istarum variationumque sensuum, atque ita quamdam quasi linguam, qua ad nos natura ducitur, quaeque altiorem in se habere sensum videtur, in se continent. Sic albo colore lilii animus ad innocentiae ideas, atque ad ordinem septem colorum, a rubro inde vsque ad violaceum, 1) ad ideam sublimitatis, 2) audaciae, 3) ingenuitatis, 4) comitatis, 5) modestiae, 6) constantiae, et 7) teneritatis ac mollitudinis componi videtur. Cantus auium laetitiam adnunciat et tranquillitatem rationemque cum exsistentia sua contentam. Certe sic nosmet naturam interpretamur, siue is eius scopus sit, siue non. Verum hoc inuitamentum, quod

hic ex pulcritudine capimus, necessario postulat, vt pulcritudo naturae sit; illudque prorsus perit, simulatque te sentias deceptum, solumque artem esse intelligas, adeo vt tum gustus quoque nihil pulcrum quidquam, visusue quidpiam adliciens queat amplius in eo animaduertere. Ecquid poetae tollunt altius, quam cantum lusciniae, in arboretis solitariis, vespera aestiua tranquilla, luna mollius lucente? Interim non desunt exempla, vbi eiusmodi cantor non inueniatur, vllum quempiam cauponem conuiuas ad aere perfruendum agresti apud se deuertentes eo ad summam eorum complacentiam decepisse, quod puerum lasciuientem, qui cantum illum (arundine in os inserto) naturae simillimum effingeret, in dumeto occultasset. Sed patefacta fraude nemo sustinebit cantum amplius audire antea tam adlicientem reputatum; et sic cum vnaquaque alia aue canora comparatum videtur. Natura sit, oportebit, vel a nobis pro natura reputata, quo in pulcro qua tali proximum capere *inuitamentum* queamus, quin, cum adeo ab aliis, vt illud inde capiant, postulare possimus: quod reapse fit, propterea quod mentem eorum agrestem habemus et humilem, qui *sensu* sunt naturae pulcrae destituti (sic enim receptiuitatem dicimus cuiusdam ex iis contemplandis inuitamenti), atque in coena vinoque fruitionem sequuntur solarum sensationum sensitiuarum.

§. 43.

De arte in genere.

Ars ab *natura*, velut facere ab agere; atque effectum, siue consequens prioris vt *opus* a posteriori qua effectum distinguitur.

Ad proprie quidem effectio per libertatem, hoc est, per arbitrium, actionibus suis rationem constituens, dici ars deberet. Etenim, quamuis apium effectum (orbes scite constructi) opus artes dici solent, tamen hoc tantummodo fit propter analogiam; simulatque scilicet meminerimus, opus illarum in nulla propria deliberatione constitutum esse rationali, continuo illud effectum earum naturae

(impetus) dicimus, atque vt artem ſolum creatori illarum tribuimus.

Cum in inueſtigatione loci vliginoſi, vti nonnumquam accidit, lignum caeſum offenditur, tum illud non dicitur effectum naturae, ſed artis; cauſa illius efficiens finem animo ſcopumque concepit, cui iſtud formam ſuam debet. Alias quidem in vniuerſis quoque artem quamdam deprehendimus, quae ita comparata ſunt, vt repraeſentationem eorum in cauſa exſiſtentiam neceſſe ſit antegreſſam eſſe (vti in ipſis apibus), neque tamen opus ſit, vt effectum ipſum quoque ab ea itidem *cogitatum* eſſe debeat; cum autem quidpiam ſimpliciter artis opus dicimus, vt ab effecto naturae diſcernatur, tum eo ſemper opus hominum intelligitur.

2) *Ars* vt dexteritas hominis atque habilitas item a *ſcientia* diſcernitur (*poſſe* a *ſcire*), vt facultas practica ab theoretica, vti technice a theoria (vti geotheſia a geometria). Et ſic id quoque, quod quis *poteſt*, ſimulatque quid fieri debeat *noueris*, ideoque effectum deſideratum ſatis noris, haud fere ars adpellatur. Solum ea, quae, cum perfectiſſime nouimus, tamen efficiendi dexteritatem continuo habemus, eatenus ad artem pertinebunt. *Camperus* admodum adcurate diligenterque, quomodo bonus calceus eſſe comparatus debeat, deſcribit; nec profecto illum conficere potuit.

3) *Ars* item ab *opificio* diſcernitur; illa ars vocatur *libera;* opificium poterit et *ars mercenaria* dici. Artem ſpectamus, quaſi ſolum vt luſus, i. e. vt occupatio per ſe ipſa iucunda, conuenienter cedere poſſit (ſuccedere); ſed opificium ita, vt qua labor, hoc eſt, vt occupatio per ſe ipſa iniucunda (moleſta), et ſolum effecto ſuo (veluti mercede) adliciat, proinde cogendo poſſit imponi. An in ordine collegiorum fabricatores horologiorum referri inter artifices debeant, ſed fabri inter opifices: id alius diiudicandi ſtationis indiget, quam qualem hoc loco capimus; nempe rationis dotum ingenii, quae huic alteriue iſtorum negotiorum eſſe

fundamento debent. An etiam in ſeptem illis artibus liberalibus non ſint quaedam numeratae, quae ad partes referendae ſcientiae videntur, aliae item cum opificiis comparandae; de eo quidem hoc loco nihil quidquam verborum faciam. Verum in vniuerſis artibus liberalibus nihilominus aliquid, quod coactionem referat, opus eſt, ſiue, quod dicitur, *mechaniſmus*, ſine quo, quae in arte eſſe *libera* debet, ſolaque opus animat, mens nullum omnino corpus haberet et prorſus euaporaretur: haud abs re erit monere (velut in poeſi oratio correcta et locuples, item prosodia et metrum), cum multi educatores recentiores artem liberalem optime putant promoueri, omni coactione ſublata, et labore in ſolum luſum transmutato.

§. 44.

De arte pulcra.

Neque ſcientia pulcri eſt, ſed tantummodo critice, neque pulcra ſcientia, verum ſolum ars pulcra. Namque in ſcientia pulcri quidem ſcientifice, hoc eſt, argumentis deberet conſtitui, aliquid pulcrum putandum ſit, nec ne; iudicium de pulcro proinde, ſi ad ſcientiam pertineret, nullum iudicium guſtus foret. Sed ſcientia pulcra, qua ſcientia, quae, vt talis, pulcra eſſe debeat, inani voce ſonat, et nihilum videtur. Etenim, cum in ea vt ſcientia rationes et argumenta anquireres, facetiis dimitterere. — Quod vocabulo recepto, *pulcrae ſcientiae*, ortum dedit, ſine dubio nihil aliud eſt, quam quod recte animaduerſum fuit, ad artem pulcram perfectiſſimam abſolutiſſimamque multa opus ſcientia videri, velut linguarum priſcarum notitia, multa auctorum claſſicorum lectione, hiſtoria, antiquitatum cognitione, et caeteris generis eiusdem, et propterea has ſcientiae partes hiſtoricas, eo quod iis ad artem pulcram praeparatio neceſſaria et fundamentum efficitur, partim etiam quoniam ipſa effectorum artis pulcrae (eloquentia poeſisque) notitia iis continetur, per commutationem verborum, ipſae ſunt ſcientiae pulcrae adpellatae.

Cum ars, *cognitioni* rei cuiusdam possibilis conuenienter, solum eius efficiendae causa actiones ad id necessarias edit, tum ea *mechanica* est: sed cum ea sensum voluptatis pro fine proximo sibi propositum habet, tum ars vocatur *aesthetica*. Quae ipsa quidem vel ars *iucunda* est vel *pulcra*. Iucunda est, cum finis sibi propositus is est, vt voluptas repraesentationes vt *sensationes* solas, sed pulcra, cum voluptas eas vt *genera cognitionum* comitetur.

Artes iucundae sunt, quae solum destinantur ad fruitionem; cuiusmodi sunt omnes illae illecebrae, quibus conuiuae ad mensam possunt oblectari: veluti narrationes suaues, excitatio conuiuarum ad ingenuam laetamque confabulationem, dexteritas facetiis risuque eos ad certam quamdam hilaritatis temperiem componendi, vbi libere possit, quidquid, vt aiunt, in buccam venit, effutiri, et nemo ad eorum velit, quae loquitur, rationem reddendam teneri, quoniam solum momentanea collocutio spectatur, non vero ad meditandum dicendumue materia. (Quo quidem porro et modus pertinet mensae ad fruitionem adparatae, aut adeo in conuiuiis magnus cantus phonascorum et tibicinum fidiumque: res sane mira, qua vt strepitu suaui non nisi ad hilaritatem intenti animi conseruentur, et, nemine ad modulationis contextum vel minimum aduertente, libera loquacitas alterius cum altero vicino adiuuetur). Quo itidem et omne genus ludicrum pertinet, quod nullum in se amplius inuitamentum cohibet, quam vt tempus sensim sensimque fallatur.

Contra ars pulcra consistit in repraesentandi modo, per se ipso conueniente ac finali, qui, quamquam sine fine, tamen facit ad animi vires ad communicationem socialem excolendas.

In conceptu voluptatis cuiuspiam vniuerse communicandae inest conditio, vt ne ea in voluptate cernatur fruitionis esse, ex sola sensatione, sed reflexionis debeat; atque ita ars aesthetica, vt ars pulcra, ea est, cui facultas iudicandi reflectens pro norma sit, non vero sensatio sensitiua.

§. 45.

Ars pulcra est ars, quatenus esse simul natura videtur.

In artis pulcrae effecto, illud artis esse, non naturae, fieri nobis conscii debemus, sed tamen in eius forma ab omni vi et coactione regularum arbitrariarum tam libera debet forma finalis videri, ac si effectum sit solius naturae. In hocce libertatis sensu in motu lusuque virium cognoscendi nostrarum, qui tamen simul finalis esse atque conueniens debet, posita ea voluptas est, quae sola, ita tamen vt ne in conceptibus nitatur, vniuerse potest communicari. Naturam vidimus pulcram esse, si simul artis speciem haberet; et ars tum demum dici pulcra potest, cum nobis conscii sumus, artem eam esse, cum nobis tamen natura videatur.

Possumus enim, siue pulcritudinem naturae attingat siue artis, vniuerse dicere: *pulcrum id esse, quod in sola diiudicatione* (non in sensatione sensitiua, neque per aliquem conceptum) *placet.* Atqui arti semper certus quidam ac determinatus finis propositus est, aliquid producendi. Quod vero si in sola sensatione (quopiam mere subiectiuo) cerneretur, quam comitari voluptas deberet, hoc effectum, in iudicando, solum interuentu sensus placeret. Sed si finis rem certam determinatamque producendam spectaret, tum, si is per artem feriatur, res solum per conceptus placeret. Vtrumque autem ars haud *in sola diiudicatione*, nimirum non vt ars pulcra, sed mechanica placeret.

Ergo forma finalis in artis pulcrae effecto, quamquam finalis est, tamen haud debet finalis videri; scilicet ars pulcra vt natura *spectanda* est, quamquam illius quidem vt artis nobis conscii sumus. Vt natura autem artis effectum eo videtur, quod vniuersa quidem cum regulis conuenientiae *diligentia*, quibus solis id, quod debet esse, fieri effectum possit, deprehenditur; sed tamen sine vlla *ratione putida*, quae formam scholasticam prodat, conspicua, hoc est, sine vllo adparente vestigio, regulam ob oculos versatam esse artificis, eiusque animi viribus vincula iniecisse.

§. 45.

Ars pulcra est ars ingenii.

Ingenium est munus naturae, arti regulam praecipiens. Cum donum naturae, vt productiua artificis facultas insita atque innata, ipsum ad naturam pertineat, sic quoque enunciari posset: *ingenium* est insita atque innata dos animi, *qua* arti regulam natura praecipit.

Qualis illa cumque huiusce definitionis ratio sit, atque vtrum ea solum arbitraria sit, an, quem verbo *ingenii* solemus subiicere, conceptui consentanea sit, nec ne (quod paragrapho sequente enodabitur); tamen poterit iam in antecessum probari, artes pulcras, pro significatione verbi hoc loco accepta, necessario esse vt artes *ingenii* considerandas.

Etenim vnaquaeque ars regulas supponit, quarum constitutione demum effectum, si artificiosum dici debeat, vt possibile repraesentatur. Sed conceptus artis pulcrae haud permittit, vt iudicium de pulcritudine effecti illius ab vlla quadam regula deriuetur, cuius determinandi ratio in *conceptu* quodam versetur, quae proinde conceptum eius modi constituat, quo fieri queat. Ergo ars pulcra haud sibi ipsa potest regulam excogitare, ad quam opus suum debeat conficere. Cum autem nihilominus nulla regula antegressa opus vmquam possit artis nomen merere, sequitur, vt natura in subiecto (et per facultatis eius tenorem) arti regulam praecipiat, id est, ars pulcra solum esse potest vt opus ingenii.

Ex quo intelligitur, 1) ingenium in *munere naturae* cerni, id efficiendi, cuius nulla potest regula certa ac determinata ostendi: non in dote habilitatis ad ea, quae ex vlla possunt regula quapiam addisci; proinde proprietatem illius esse principem in eo quod ex se nata sit oportere; 2) cum esse quoque ex se nata insania possit, eius opera atque effecta simul esse *exemplaria* debere; proinde, ipsam haud ex imitatione ortam, aliis praeterea ad normam regulamque iudicandi inseruire debere; 3) ipsum non posse, quomodo

opus suum conficiat, describere, aut ad viam scientiae docere, sed vt *naturam* regulam praecipere; ideoque operis cuiusdam auctorem, quod suo ingenio acceptum fert, ipsum, quomodo ei ideae illius praesto sint, nescire, neque in eius potestate esse, vt eiusmodi pro lubitu queat atque ad formam quamdam excogitare, cum aliisque in eiusmodi praeceptis communicare, quibus similia possint opera producere. (Inde quoque Francogallorum vox *genie* a Latino verbo *genii*, proprii illius spiritus homini in natiuitate concessi protegentis ducentisque, cuius instillatione ideae originales illae prouenere, ducta videtur). 4) naturam per ingenium non scientiae, verum arti, regulam praecipere; et id quoque solum, quatenus haec esse ars pulcra debeat.

§. 47.

Illustratio et confirmatio definitionis superioris ingenii.

Quisque in eo conuenit, ingenium prorsus esse *studio imitandi* contrarium. Cum autem discere nil sit nisi imitari, maxima habilitas capacitasque potest, capacitas qua capacitas, neutiquam tamen pro ingenio valere. Verum etiamsi ipse quoque cogites, fingasue, ne solum ab aliis cogitata adprehendas, atque etiam multa ad artem atque scientiam inuenias; tamen hoc nondum vera ratio est, eiusmodi (saepenumero magnam) *mentem* (quae contraria est ei, quam, quia numquam quidpiam nisi solum discere potest et imitari, *stipitem* et varonem vocamus) *ingenii* honore cumulandi: propterea, quod idem quoque *potuisset* disci, proinde tamen in via inuestigandi meditandique ex regulis ordinaria situm est, atque ab eo, quod studio potest ope imitationis comparari, specie nihil quidquam discrepat. Sic cuncta, quae *Newtonus* in immortali opere principiorum philosophiae naturalis, quantum permagno opus erat ingenio ad eiusmodi inuentionem, proposuit, commode disci possunt; verum non potest disci poemata pangere ingeniosa, quamuis plena sint vniuersa poeseos praecepta, quamque praeclara exemplaria illius. In causa est, quod

Newtonus omnes gradus ſuos, qui ei inde a primis geometriae elementis, vsque ad inuenta ſumma et profunda ſua, faciendi erant, non ſolum ſibi ipſi, verum cuique alii, prorſus ſub adſpectum ſubiicere, atque ad imitandam determinate poterat deſcribere; ſed nullus Homerus neque Wielandus docere poteſt, quomodo idearum vbertas earumque veritas in mente oriatur et colligatur, idcirco quia iſtud ipſe neſcit, nec proinde alium quempiam poteſt docere. Igitur in rebus, quae ad ſcientiam ſpectant maximus inuentor ab operoſiſſimo imitatore ac tirone magnitudine quaſique gradu, ſed contra ab eo, quem natura ad artem pulcram inſtruxit, ſpecie differt. Interim in eo nullus ineſt ſummorum virorum, quibus humanum genus tam multa acceptum fert, contemtus ſi cum iis comparaueris, quos natura muneribus ad artem dotauit. In eo ipſo, quod illorum indoles ad perpetuo progredientem perfectionem maiorem notitiarum omnisque, quae inde pendet, vtilitatis, itemque ad alios in iisdem cognitionibus inſtituendos facta eſt, permagna laus conſiſtit illorum prae iis, qui digni ſunt ingeniorum titulo atque honore: quoniam his vspiam ars conſiſtit, propterea quod ei termini ſunt finesque deſignati, vltra quos ea non poteſt longius progredi, qui ſine dubio quoque ex longo tempore contrectati ſunt, nec amplius poſſunt proferri; praetereaque eiusmodi dexteritas non poteſt communicari, ſed cuique proxime ab naturae manu impertiri debet, cum eoque proinde exſpirat, donec natura aliquando alium itidem eadem indole donat, qui non niſi exemplaris indiget, vt naturae munus, cuius ſibi conſcius eſt, ſimiliter in eo agere queat.

Cum donum naturale artis (qua artis pulcrae) regulam praecipere debeat; cuiusnam tandem generis haec regula erit? Ea non poteſt formula quadam comprehenſa praecepto eſſe; alias enim iudicium de pulcro poſſet ex conceptibus determinari: ſed regula a facto debet, hoc eſt, ab opere atque effecto ſeparari et abstrahi, in quo alii ſuum ipſius naturae munus poterunt explorare, quo illud ſibi pro exemplo ſit, non *effictionis*, ſed *imitationis*. Quo-

modo iſtud fieri poſſit, difficile explicatu videtur. Ideae artificis ſimiles excitant ideas tironis, ſimili animi virium ratione ab natura inſtructi. Exemplaria artis pulcrae idcirco ſola ſunt adiumenta, quibus haec queat ad poſteritatem propagari: id quod ſolis non poſſet deſcriptionibus effici (potiſſimum minime in parte artium loquentium); et in his quoque tantummodo veterum, emortuarum, et nunc ſolum vt doctarum adſeruatarum linguarum exempla fieri claſſica poſſunt.

Quam ars mechanica, vt ſola ars ſtudii diligentiaeque, ab arte pulcra vt ingenii arte permagno discrimine abhorret; tamen nulla eſt ars pulcra, in qua haud aliquid mechanici, quod ex regulis prehendi queat et exprimi, ideoque quidpiam *ſcholis probatum* eſſentialem efficeret artis conditionem. Quidpiam enim vt finis ſcopusque cogitandum eſt, quoniam alioquin opus illius nulli prorſus arti poterit tribui: ſolum opus foret fortuiti. Sed ad finem quempiam conſequendum regulis opus eſt certis ac determinatis, a quibus tibi non licet te liberare. Cum vero originalis muneris naturae ratio pars eſſentialis ſit (verum haud ſita) characteris ingenii; homines tenues ſeſe putant haud melius oſtendere, ſe in ingeniis eſſe efflorescentibus, quam ſi ſe ab omni vi coactioneque regularum ſcholaſtica abdicent, et meliorem pompam fieri exiſtimant in equo ferociente, quam domito. Ingenium largam tantummodo ***materiam*** ad opera artis pulcrae ſuppeditare poteſt; ſed tractatio illius ***formaque*** opus habet naturae munere per ſcholam informato, vt fieri illius vſus queat, qui a facultate poſſit iudicandi probari. Si quis autem in rebus, inueſtigationibus propoſitis diligentiſſimis rationis velut ingenium quodpiam loquitur ac decernit, omnino ridiculum erit; haud ſcias, vtrum praeſtigiatorem potius, qui tantum vaporis circum quaque ſpargit, in quo nihil diſtincte iudicari poteſt, ſed eo plura putari, an populum debeas ridere, qui fideliter opinatur, infirmitatem ſuam, artificium perſpicientiae diſtincte cognoſcendi comprehendendique, inde exiſtere, quoniam novae veritates ſibi abunde obiiciantur, quarum (ex definitioni-

bus iuſtis principiorumque exploratione rite inſtituta) dispertitio opus modo ſibi tironum videtur.

§. 48.

De adfectione ingenii ad guſtum.

Ad res pulcras qua tales *diiudicandas*, *guſtu* opus eſt; ſed ad pulcram artem ipſam, id eſt, ad res tales producendas, *ingenio.*

Quod ſi ingenium vt naturae munus ad artem pulcram ſpectetur (quod propria vocabuli ſignificatio poſtulat), eoque conſilio dispeſci debeat in facultates, quae ad eiusmodi naturae donum ſimul requiruntur; neceſſe eſt, vt diſcrimen inter pulcritudinem naturae, ad quam diiudicandam ſolummodo guſtus poſtulatur, et pulcritudinem artis, cuius poſſibilitas (ad quam in eiusmodi re diiudicanda itidem reſpiciendum eſt) ingenio opus videtur.

Pulcritudo naturae *pulcra res* eſt; ſed ars pulcra eſt *repraeſentatio pulcra* cuiuspiam rei.

Ad pulcritudinem naturae qua talem diiudicandam, non opus habeo antea conceptu illius, quid ea res eſſe debeat, id eſt, non neceſſe eſt, vt formam finalem materialem (finem) noſcam, ſed forma ſola ſine notitia finis placet in diiudicatione per ſe ipſa. Sin vero res obiecta vt opus artis data ſit, et qua tale declarari debeat pulcra; primo, quoniam arte ſemper finis ſupponitur in cauſa (eiusque cauſalitate) eius, quid res debeat eſſe, conceptus erit fundamento ſubſternendus; cumque in concentu variorum in re quadam, ad determinationem internam vt fine, rei conſiſtit perfectio, in diiudicanda artis pulcritudine ſimul ſpectanda erit perfectio rei, quae in diiudicanda pulcritudine naturae (qua tali) minime curatur. In diiudicandis quidem, praeſertim animatis, naturae rebus, veluti hominis aut equi, etiam forma finalis obiectiua plerumque ſpectatur, ad earum de pulcritudine iudicandum; tum vero iudicium quoque haud amplius aeſtheticum purum eſt, hoc eſt, ad ſolum iudicium guſtus pertinet. Natura tum haud amplius iudicatur,

vti vt ars conſpicitur, verum quatenus reapſe ars *eſt* (quamquam ſuprahumana); iudiciumque teleologicum aeſthetico pro fundamento eſt et conditione, cuius hoc debet rationem habere. In eiusmodi cauſa, velut ſi dicitur: „en pulcram feminam“ reuera nihil cogitatur aliud, quam: in hac forma natura fines in corpore femineo pulcras oſtendit; namque praeter ſolam formam etiam conceptus proſpiciendus eſt, vt res hoc modo per iudicium aeſtheticum logice hypotheticum cogitetur.

Ars pulcra in eo ipſo praeſtantiam ſuam declarat, quod res, quae in natura deformes aut diſplicentes forent, pulcre depingit. Furiae, morbi, vaſtationes bellorum et ſimilia, poſſunt, vt res perniciofae, perpulcrae deſcribi, atque etiam in tabula depingi; vnum modo deformitatis genus non poteſt naturae conuenienter proponi, niſi omnis complacentia aeſthetica, proinde pulcritudo artis exſtinguatur; nimirum ea, quae *nauſeam* commouet. Etenim, quoniam in mira hac ſenſatione, in ſola opinione poſita, res, quaſi ſeſe fruendam obtruderit, quam tamen vi arcemus, repraeſentatur; fit, vt artificioſa rei obiectae repraeſentatio ab natura huiusce rei ipſius in ſenſatione noſtra non amplius diſtinguatur, illaque fieri non poteſt vt pulcra reputetur. Iam ars ſtatuaria, quia in operibus eius ars cum natura propemodum confunditur, proximam rerum deformium repraeſentationem a fictionibus ſuis excluſit, et eius loco, exempli gratia mortem (in pulcro genio), fortitudinem bellicam (in Marte) per allegoriam attributaue, quae cum gratia diſtinguuntur, proinde duntaxat indirecte interueniente rationis interpretatione, neque ſolum facultati aeſtheticae, proponi concedit.

Tantum de repraeſentatione pulcra rei obiectae, proprie tantum forma conceptus cuiusdam exhibendi, qua hic vniuerſe communicatur. — Haec autem forma vt artis operi pulcrae impertiatur, ſolum guſtu opus eſt, quocum artifex, variis artis naturaeue exemplis, exercitato correctoque, opus ſuum comparat, multisque ſaepenumero operoſis conatibus inſtitutis, eam formam videt, quae ſibi

idonea videtur: idcirco haec non quasi res inspirationis quaedam, vel motus liberi virium animi, sed tardae cuiusdam adeoque molestae emendationis, vt cogitationi consentanea fiat, neque tamen libertate in lusu earum haud noxia exsistat.

Gustus autem cernitur in facultate iudicandi, non vero producendi; et, quid ei conuenit, propterea non opus est artis pulcrae: potest illud opus esse ad artem vtilem et mechanicam, vel adeo ad scientiam pertinens ex regulis determinatis, quae disci possunt, et adcurate debent obseruari. Verum, quae illi impertitur, forma placens tantummodo vehiculum est communicandi, ratione quasi proponendi, cuius respectu quodammodo liberi manemus, cum tamen alioquin ad finem certum adstrictum teneatur. Sic volumus, vt vasa conuiqalia, vel etiam quaestio quaedam moralis, vel sacra oratio hanc artis pulcrae formam habere debeat, quae tamen haud *quaesita* videatur; sed idcirco non ea artis pulcrae opera dicemus. Ad artem pulcram vero carmen, cantus musicus, porticus et similia referuntur, et tum fit, vt in opere, quod artis pulcrae perhibetur, saepenumero ingenium sine gustu, in alio autem gustum sine ingenio, percipiamus.

§. 49.

De facultatibus animi, quibus ingenium efficitur.

Certa quaedam opera, quae, certe ex parte, sese vt artem pulcram exhibere debeant, exspectamus, *anima* carere dicimus; etsi, quoad gustum, nihil in iis, quod reprehendi possit, inueniamus. Carmen esse perquam nitidum potest et elegans, sed anima caret. Historia diligens est et composita, sed caret anima. Oratio solemnis docta est eaque ornata, sed caret anima. Multae consuetudines non sine gratia sunt, sed carent anima; ipsam mulierculam nonnumquam bellam dicimus, facundam et comem, sed anima carere. Ecquid tandem illud erit, quod hoc loco animam vocamus?

Anima in ſenſu aeſthetico principium in animo animans adpellatur. Illud autem, quo iſtud principium mentem animat, materia, quam ad id adhibet, in eo cernitur, quo vires animi conuenienter mouentur, id eſt, luſus iis impertitur, qui ſe ipſum ſeruat, ipſasque vires confirmat.

Iam contendo, hoc principium nihil aliud eſſe, quam facultatem *idearum aeſtheticarum* exhibendarum; ſed ideam aeſtheticam eam phantaſiae repraeſentationem dico, quae multam cogitandi anſam praebet, cui tamen nulla quaepiam determinata cogitatio, hoc eſt, *conceptus*, conueniens eſſe et adaequata poteſt, quam proinde nulla lingua prorſus adſequitur, neque docere poteſt. — Facile intelligitur, eam quaſi quamdam adpendicem eſſe *ideae rationalis*, quae conuerſa conceptus eſt, cui nulla *viſio* (repraeſentatio) phantaſiae eſſe conſentanea poteſt et adaequata.

Phantaſia nimirum (vt facultas cognoſcendi productiua) permagnam vim habet in creando quaſi ex natura quadam alia, ex materia, quam ei vera natura ſuppeditat. Nos ea oblectamur, cum experientia nimium nobis triuialis videtur; et hanc facile transformamus: ſemper quidem ex legibus analogicis, ſed tamen quoque ex principiis, quae altius ſunt in ratione poſita (quaeque nobis perinde apta ſunt atque conueniunt,) atque ea, ex quibus naturam empiricam intelligentia adprehendit; in quo noſtram ab lege adſociationis (vſui empirico illius facultatis adhaerente) libertatem ſentimus, qua lege adſociationis quidem ab natura commodari materia poteſt, haec autem a nobis ad longe aliud quid, id nimirum, quod naturam ſuperat, tractari.

Eiusmodi repraeſentationes phantaſiae poſſunt *ideae* vocari: partim idcirco, quia ad aliquid ſaltem tendunt, quod vltra experientiae terminos ſitum eſt, atque ita ad exhibitionem conceptuum rationalium (idearum intellectualium) propius accedere conantur, quod iis ſpeciem induit realitatis obiectiuae; partim vero, et quidem praecipue, propterea, quod iis, vt viſionibus internis, nullus conceptus poteſt prorſus aptus eſſe atque adaequatus. Poeta audet

ideas rationales naturarum inuisibilium, regnum beatorum, regnum inferni, aeternitatem, creationem et caetera generis eiusdam ad sensum reuocare; vel etiam ea, quorum quidem exempla sunt in experientia obuia, veluti mortem, inuidiam, vitia omnia, item amorem, gloriam et similia vltra cancellos experientiae, ope phantasiae, rationem in consequendo maximo quodam praeeuntem, aemulantis in ea perfectione ad sensum reuocare, cuius nullum vspiam in natura rerum exemplum inuenitur; proprieque poesis est, in qua idearum aestheticarum facultas in tota vi sua sese potest monstrare. Sed haec facultas, per se sola spectata, proprie tantummodo naturae munus est (phantasiae).

Quodsi igitur cuipiam conceptui repraesentatio phantasiae supponatur, quae ad eius exhibitionem pertinet, sed per se sola tantum cogitandi copiam facit, quantum numquam potest in conceptu determinato comprehendi, proinde conceptum ipsum infinito modo aesthetice dilatat; phantasia in eo creatrix est, facultatemque idearum intellectualium (rationis) excitat et commouet, vt plus in repraesentatione emota cogitetur (quod ad conceptum quidem rei obiectae pertinet), quam in ea adprehendi potest, et doceri.

Illae formae, quibus haud ipsa quidem cuiuspiam conceptus dati exhibitio efficitur, sed solum, vt repraesentationibus phantasiae secundariis, consequentia cum eo coniuncta eiusque adfinitas cum aliis exprimuntur, *attributa* (aesthetica) vocantur obiectae rei, cuius conceptus, vt idea rationalis, non potest adaequate exhiberi. Sic aquila Iouis, cum fulgure in vnguibus, attributum regis praepotentis caelorum, pauoque reginae caeli splendidae. Ea non, vti *attributa logica*, id quod in conceptibus nostris sublimitatis maiestatisque inest creationis, verum longe aliud quid repraesentant, quod copiam phantasiae facit, sese ad vim repraesentationum adfinium expandendi, quibus fit, vt plus cogitari queat, quam conceptu possit verbis determinato exprimi; *ideamque* largiuntur *aestheticam*, quae ideae illi rationali sit pro logica exhibitione, proprie autem

ad mentem animandam, propterea quod illi ea profpectum aperit campi repraefentationem adfinium immenfi. Sed ars pulcra hoc agit non folum in pictura vel arte ftatuaria (vbi nomina attributorum folent vfurpari); fed poefis et eloquentia animam, opera animantem fua, tantummodo ab attributis depromunt aefthetici rerum obiectarum, logicis vicinis, et phantafiae motum impertiunt, pius in eo, quamquam implicite, cogitandi, quam in conceptu, proinde vocabulo quodam determinato, poffit comprehendi. — Breuitatis caufa rem cogor ad pauca exempla reuocare.

Cum rex magnus in carmine quodam fic dicit: „E vita, age, difcedamus non querentes, non de vlla re „quauis dolentes; propterea mundum tunc beneficiis cu„mulatum relinquimus. Sic fol, curfu diei confecto, „fuaue fpargit in caelo lumen, et vltimi, quos in aera mit„tit, radii fuprema eius fufpiria funt pro mundi falute;" tum ideam is rationalem mentis in vita extrema cofmopoliticae animat per attributum, quod phantafia (in fuauitatibus peracti pulcri diei aeftiui recordandis, quas vefpera ferena nobis in memoriam reuocat) illi repraefentationi focium adiungit, quo copia fenfationum repraefentationumque fecundariarum excitatur, cuius nullum poteft vocabulum inueniri. Partim vero conceptus adeo intellectualis viciffim poteft pro attributo effe repraefentationis fenfuum, atque ita fenfus per ideam fuprafenfibilis animare; verum duntaxat, dum aefthetica, quae confcientiae conceptus intellectualis fubiectiue adhaeret, ad id adhibentur. Sic poeta quidam in defcribendo pulcro die exoriente: „Sol, inquit, fcaturiuit, velut tranquillitas fcaturit e vir„tute." Confcientia virtutis, fi vel mente modo et cogitatione in locum virtutis ftudiofi nosmet translocemus, vim in animo fenfationum fpargit fublimium et tranquillantium, infinitumque in laetum futurum tempus profpectum aperit, quod nullum verbum poteft, conceptui determinato congruens, adfequi *).

*) Haud fcio an vmquam aliquid dictum fit fublimius, cogitatumque vllum quodpiam fublimius enunciatum videatur, quam

Vno verbo, idea aesthetica, repraesentatio est phantasiae socia cuidam dato conceptui adiuncta, quae cum tanta repraesentationum partium varietate in vsu earum libero copulata est, vt illius nullum quodpiam, quod conceptum determinatum designet, vocabulum inueniri queat, quod proinde ad conceptum multa in nominando addi cogitatione patitur, cuius sensus facultates cognoscendi animat et cum lingua, vt sola litera, animam coniungit.

Quamobrem vires animi, quibus (ad certam quamdam rationem) in animo coniungendis *ingenium* efficitur, phantasia sunt, et intelligentia. Cum modo in phantasia ad cognitionem vtenda, phantasia coactioni subiecta sit intelligentiae et limitationis, vt consentanea sit aptaque illius conceptui; sed respectu aesthetico phantasia libera sit, vt praeter illum ac conceptum concentum, sed sponte, materiam largam inexplicatam suppeditet intelligentiae, quam haec in conceptu suo simul respexit, quam ea vero non tam obiectiue ad cognitionem, quam subiectiue ad vires cognoscendi animandas, proinde indirecte tamen quoque ad cognitiones: ingenium proprie in ratione consistit felici, quam nulla potest scientia docere nullaque diligentia discere, earum ad conceptum quemdam datum inueniendarum, et m quoque *verbi* eligendi, quo tenor animi eo effectus, t comitatio conceptus, possit cum aliis communicari. Hoc donum naturae posterius proprie id est, quod anima dicitur; namque ad ineffabile in animi statu in certa quadam repraesentatione exprimendum et vniuerse communicabile reddendum, siue in oratione expressio consistat, siue in pictura, siue in plastice; facultate opus est, lusum phantasiae celeriter praeteruolantem adprehendendi, in con-

in illa supra teutplo *Isidis* (matris *naturae*) inscriptio: „Cuncta „sum, quod est, quod fuit, et quod futurum est, meumque „peplum nullus mortalium aperuit." *Segnerus* vsus est hac idea, per *ingeniosam* tabulam aeneam physicae suae praefixam, ad tironem, quem ducere in hoc templum paratus erat, ante sacro quodam horrore replendum, quo animus debet ad solemnem attentionem componi.

ceptuque (qui propter id ipsum ex se natus est simulque nouas regulas aperit, quae ex nullis potuerunt principiis antegressis exemplisue concludendo elici) coniungendi, qui sine regularum vinculis possit communicari.

* * *

Quodsi, his dissectis atque concisis ad definitionem supra propositam eius, quod *ingenium* vocatur, respexerimus, inueniemus: *primo*, munus naturae illud esse ad artem, non vero ad scientiam, regulae distincte cognitae antegressae tractationem viamque illius debent determinare; *deinde* illud, vt naturae munus ad artem, certum determinatumque conceptum operis, vt finis, proinde intelligentiam, sed quoque repraesentationem (licet indeterminatam) materiae, hoc est, visionis, ad huius conceptus exhibitionem, proinde adfectionem phantasiae ad intelligentiam supponere; *tertio* illud non tam in fine proposito exsequendo in exhibitione *conceptus* cuiusdam determinati sese, quam potius in tractatione prodere vel expressione *idearum aesthetIcarum*, quibus larga illius finis materia continetur, proinde phantasiam, ab omni regularum manuductione vacuam liberamque, tamen vt ad exhibendum datum conceptum conuenientem proponat; *quarto* denique, formam finalem subiectiuam haud quaesitam fortuitam in concentu libero phantasiae cum intelligentiae legalitate eiusmodi rationem ac tenorem harum facultatum supponere, quam nulla regularum obseruatio, siue scientiae, siue imitationis mechanicae efficit, sed solum potest subiecti natura producere.

Quibus itaque positis, ingenium versatur in originalitate exemplari muneris naturae subiecti cuiusdam in vsu *libero* facultatum cognoscendi suarum. Tali modo opus ingenii (pro eo, quod in eo ingenio est, non doctrinae possibili siue scholae, attribuendum) exemplar est non imitationis (tum enim id, quod in eo ingenii est animamque operis continet, perderetur), verum sectatio in gratiam ingenii alius, quod eo ad suam ipsius originalitatem

ſentiendam excitatur, libertatis a coactione regularum ita in arte exercendae, vt eo haec ipſa nouam regulam nanciſcatur, qua naturae munus ſe vt exemplare prodat. Quoniam autem ingenium in naturae alumnis eſt, cuiusmodi ſunt vt rara phaenomena ſpectanda; exemplum eius aliis bonis naturis ſcholam aperit, hoc eſt, inſtitutionem methodicam ad regulas, quantum eae ex operibus illis ingenioſis eorumque proprietate deriuari potuerunt: atque his quidem ars pulcra eatenus imitatio eſt, cui natura per ingenium quoddam dedit regulam.

Verum ea imitatio vertitur in *adfectationem*, cum tiro cuncta *imitatur*, vsque ad ea, quae vt monſtra ſolum ingenium coactum eſt concedere, quoniam non poterunt, idea haud infirmata, remoueri. Hic animus in ingenio ſolus laus eſt; et certa quaedam *audacia* in oratione omninoque nonnulla a communi regula deflexio belle decent illud, ſed nullo modum dignum eſt, quod imitere, ſed per ſe ſemper in vitio erit, quem tollere conere, de quo vero ingenium quaſi quodam priuilegio liberatum eſt, cum motus eius nulla imitatione exprimendus anxia ſollicitudine iacturam faceret. Altera adfectionis ſpecies in *modorum* conſiſtit *aucupio*, nimirum ſolius *originalitatis* generatim, vt ab imitatoribus, quoad eius fieri poſſit, recedas atque abhorreas, cum tamen munere naturae illo careas, quod opus eſt, vt *exemplaris* videare. Eſt quidem duplex modus cogitatorum tractationis comparandorum: alter eſt *modus aeſtheticus* (*Maniere*), alter *methodus* ſeu *modus* logicus, in eo ſeſe inuicem diſtinguentes, quod modi aeſthetici nulla alia norma eſt, quam *ſenſus* vnitatis in exhibitione, ſed modus logicus in eo *principia* ſequitur determinata; ad artem pulcram ideo tantummodo modus aeſtheticus valet. Sed opus artis tum demum dicitur *modos aucupatum*, cum ideae tractatio in eo ad mirabilitatem *inſtituitur*, neque ideae aptatur. Pretioſum, contortum, adfectatum, ad ſe tantummodo a vulgari (ſed ſine anima) diſtinguendum, actionis ſimile illius eſt, quem ſeſe dicimus loquentem audire, aut qui conſiſtit atque incedit, quaſi in ſcena collocatus ſpectandus foret, quod ſemper malum prodit artificem.

§. 50.

De coniunctione gustus cum ingenio in operibus artis pulcrae.

Si quaeritur, quid caput sit in rebus artem pulcram spectantibus, vtrum, vt in iis ingenium, an gustus se prodat, idem est, ac si quaereretur, vtrum plus in phantasia in iis, quam a facultate iudicandi penderet. Cum autem ars ratione ingenii magis ingeniosa, respectu gustus autem ars *pulcra* dici meretur; hoc posterius certe vt conditio sine qua non caput est, quod in arte vt arte pulcra diiudicanda spectandum est. Vbertas et idearum originalitas minus ad pulcritudinem necessariae sunt, sed sane quidem conuenientia phantasiae illius in libertate sua cum intelligentiae legalitate. Omnis enim phantasiae vbertas in libertate sua legibus vacua nil producit nisi insaniam; sed iudicandi vis est facultas ad intelligentiam illam aptandam.

Gustus perinde, atque iudicandi facultas in genere, disciplina est ingenii, cui is alas admodum praecidit, quodque moratum reddit politumue; simul vero hoc instituit, quo sese debeat et quam longe expandere, vt fini conueniat, et, dum claritatem ordinemque infert in vbertatem cogitatorum, ideas reddit firmas, durantisque et simul vniuersalis adsensus, aliorumque imitationis, et culturae perpetuo progredientis capaces. Quodsi ergo in pugna vtriusque facultatis quidpiam deberet in quodam opere perdi, id potius a parte fieri ingenii deberet: et facultas iudicandi, quae in caussis artis pulcrae e propriis principiis sententiam pronunciat, libertati potius vbertatique phantasiae, quam intelligentiae, derogari patietur.

Quapropter ad artem pulcram et *phantasia* postulabitur, et *intelligentia* et *anima gustusque* *).

*) Phantasiae, intelligentiae et ingenii per gustum demum *coniunctio* efficitur. *Humius* in historia Anglos, monstrat, quamvis in operibus suis nulli in orbe terrarum populo respectu argumentorum trium proprietatum priorum, *separatim* spectatorum quidpiam concedant, tamen in ea, quibus illae coniunguntur, vicinis suis, Francogallis, esse inferiores oportere.

§. 51.

De partitione artium pulcrarum.

Pulcritudo (ſine naturae pulcritudo ſit ſiue artis) idearum aeſtheticarum poteſt *expreſſio* vocari; ita tamen, vt in arte pulcra haec idea per conceptum rei obiectae excitetur, in natura pulcra vero ſola de viſione data reflexio, ſiue conceptus eius, quid eſſe debeat obiecta res, ad ideam et excitandam et communicandam idonea ſit, cuius res illa obiecta vt *expreſſio* conſideratur.

Quodſi igitur pulcras artes velimus partiri; nullum, certe ad periclitandum, aptius principium poſſumus atque accommodatius ad eam rem eligere, quam analogiam artis cum expreſſionis modo, quo homines in loquendo vtuntur, ad ſe, quoad eius fieri poteſt, plene perfecteque inuicem, id eſt, non ſolum quoad conceptus, ſed etiam quoad ſenſationes, communicandos *). — Haec conſiſtit et in *articulatione*, et in *geſticulatione*, et *modulatione*. Sola horum trium expreſſionis modorum coniunctione plena efficitur loquentis communicatio. Cogitatum enim, viſioque et ſenſatio eo ſimul et coniunctim ad alterum transferuntur.

Quamobrem triplex tantummodo genus eſt pulcrarum artium, ars *loquens*, ars *fingens* et ars *luſus ſenſationum* (vt externarum ſenſuum impreſſionum). Atque ea partitio etiam per dichotomiam poſſet fieri, ita vt ars pulcra in artem expreſſionis aut cogitatorum aut viſionum diſpeſceretur; ſed ars exprimendarum viſionum rurſus diuideretur vel ſecundum formam, vel ſecundum materiam (ſenſationem). Verum ea tum nimis abſtracta, neque ita conceptibus vulgaribus conſentanea videretur.

1) Artes loquentes ſunt *eloquentia* et *poeſis*. *Eloquentia* in arte conſiſtit munus intelligentiae vt luſum phantaſiae

*) **Lector hanc formam deſcriptionis pulcrarum artium poſſibilis non vt theoriam diiudicabit ſtudioſe propoſitam. Ea modo periculum eſt ex variis illis, quae et poſſunt fieri et debent.**

liberum tractandi; sed *poesis* in arte versatur lusum phantasiae liberum vt munus intelligentiae exsequendi.

Quocirca *orator* negotium adnunciat idque ita exsequitur, quasi solum idearum *lusus* sit, ad spectatores demulcendos. *Poeta* solum adnunciat *lusum* oblectantem idearum, et tamen tam multa inde exsistunt ad intelligentiam, quasi istud solum sibi propositum fuisset. Coniunctio concentusque vtriusque cognoscendi facultatis, et sensitiuae et intellectualis, quarum nulla potest altera supersedere, quae tamen quoque sine vi at coactione mutuaque iactura non facile possunt coniungi, non consulta atque ex proposito esse debet, sed sponte sic aptata videri; alioquin enim non ars *pulcra* foret. Idcirco quidquid arcessitum est anxiumque euitandum est: etenim ars pulcra duplici respectu esse ars libera debet: cum vt ea ne tamquam opus mercenarium in labore versetur, cuius quantitas potest ex certa quadam ac determinata mensura iudicari, cogi, vel emi; tum, vt animus occupetur ille quidem, sed ita tamen, vt, nullius alius finis respectu habito, (mercede vacua) satiatum se sentiat atque excitatum.

Itaque orator quiddam quidem, quod non pollicetur, impertit, quippe lusum phantasiae oblectantem; sed demit quoque illi aliquid, quod pollicetur, et quod tamen negotium est ab se indictum, nimirum vt intelligentia conuenienter occupetur. Contra poeta pollicetur purum solumque lusum indicit idearum, sed praestat aliquid negotio dignum, nempe intelligentiae ludendo alimentum se praebiturum, et conceptibus suis per phantasiam vitam daturum; proinde reapse ille minus, sed hic plus praestat, promisso.

2) Artes *fingentes*, quibus proposita est idearum expressio in *visione sensitiua* (non per repraesentationes solius phantasiae per verba excitatas) sunt vel ars *veri sensitiui*, vel *putatitii sensitiui*. Illa vocatur *plastice*, haec altera *pictura*. Vtraque figuras conficit in spatio ad exprimendas ideas: illa figuras effingit duobus sensibus noscibiles, visui

tactuique (quamquam tactui minus respectu pulcritudinis) haec soli visui. Idea aesthetica (archetypon) vtrique in phantasia fundamento subest; sed figura illam exprimens (ectypon) aut in extensione corporea (vti res obiecta ipsa exstat) aut pro modo, quo ea se in oculo depingit (ex adparentia eius in superficie) datur atque proponitur; aut, si in extensione corporea offeratur, relatio ad certum quemdam finem scopumque, aut modo species illius, reflexioni statuitur pro conditione.

Ad *plasticen*, vnam pulcrarum artium, fingentium rationem, pertinet *ars statuaria* et *architectura*. *Illa* in ea arte versatur, quae conceptus rerum, vti *possent in natura exstare* corporum formis exhibet (sed tamen vt ars pulcra respectu habito formae finalis aestheticae); *altera* arte continetur, conceptus rerum, *duntaxat per artem* possibiles, cuius formae determinandae ratio non natura est, sed quidam arbitrarius finis, ad hoc consilium, sed simul tamen aesthetice conuenienter, exhibendi. In architectura certus quidam *vsus* rei artificiosae caput est, ad quem vt conditionem, ideae aestheticae adstringuntur. In arte statuaria sola *expressio* idearum aestheticarum potissimum respicitur. Sic hominum, deorum, animalium et id genus aliorum statuae pertinent ad statuariam; sed templa, palatia in vsum publicorum conuentuum, vel etiam habitationes, arcus, columnae, cenotaphia et quae sunt de genere eodem in memoriam exstructa, spectant architecturam. Quid? quod omnis supellex (opus scrinarii et similes res vtensiles) possunt ad id eligi et adhiberi: eo quod conuenientia operis ad certum quemdam vsum essentiam efficit *operis architectorii;* contra solum *opus plasticum*, duntaxat ad conspiciendum effectum, quod debet per se ipsum placere, vt exhibitio corporea sola naturae imitatio est, respectu tamen habito idearum aestheticarum: in quo vero *verum sensitiuum* haud eo debet progredi, vt desinat vt ars et opus arbitrii videri.

Ars pictoria, vt alterum genus artium fingentium, quod *speciem sensitiuam* artificiose cum ideis coniunctam exhi-

bet, in artem pulcrae *descriptionis naturae*, et pulcrae operum suorum *compositionis* diuideretur. Altera *propria pictura* foret, altera *ars hortensis*. Illa enim tantum speciem praebet corporeae extensionis; haec vero hanc extensionem ad veritatem, sed speciem tantummodo fructus ad aliosque scopos vsus, quam solum ad lusum phantasiae in intuendis formis. Haec posterior nihil aliud est, quam exornatio soli cum eadem varietate (graminibus, floribus, fruticibus atque arboribus, ipsisque aquis, collibus, vallibusque), qua natura illud exhibet adspectui, modo aliter et certis quibusdam conuenienter ideis, componit. Pulcra autem rerum corporearum compositio data tantummodo oculo est, velut pictura; sed sensus tactus nullam potest repraesentationem eiusmodi formae sensitiuam suppeditare. Ad picturam in sensu latiori praeterea ornatum cubiculorum per tapetes, abacos, omniaque pulcra supellectilia, quae solum ad *conspectum* faciunt, referrem; artem item ad gustum vestiendi (annulos, armillas et similia). Namque area variis floribus consita, cubiculum variis figuris ornatum (ipsoque feminarum ornatu simul comprehenso) in die festo quoddam picturae genus constituunt, quod, vti proprie sic dicti, (quibus haud fere, historiam *docere*, vel cognitionem naturae) solum conspiciendi causa adest, ad phantasiam in libero idearum lusu oblectandam, et sine certo ac determinato fine iudicandi vim aestheticam occupandam. Opus vniuersi huius ornatus sane sit, mechanice, varium diuersumque, atque artificibus opus habeat prorsus diuersis; tamen iudicium gustus de iis, quae hac in arte pulcra sunt, eatenus vno atque eodem modo determinatum est: nempe ad formas (nullo respectu ad finem habito) ita, vti sese oculo obiiciunt, singulas vel in compositione sua, pro eo atque phantasiam adficiunt, diiudicandas. — Quomodo autem ars fingens ad gesticulationem possit in lingua quadam (secundum analogiam) accenseri, eo docetur, quod animus artificis hisce figuris eius, quid et quomodo cogitarit, expressionem proponit corpoream, ipsamque rem quasi mimice loquentem facit: qui quidem lusus admodum frequens est phantasiae nostrae, rebus inani-

mis, ipsius formae conuenienter, animum supponentis, qui ex iis loquitur.

3) Ars *pulcri sensationum lusus* (quae gignuntur extrinsecus), qui nihilominus tamen vniuerse est communicandus, non potest nisi rationem diuersorum graduum tenoris (intensionis) sensus, ad quem pertinet sensatio, id est, tonum illius spectare; atque in hac laxiori vocabuli significatione in lusum artificialem sensationum auditus ea potest et visus, proinde in musicen et colorum artem dispesci. — Notatu dignum est: hos duos sensus, praeter receptiuitatem impressionum, quantum opus est ad rerum externarum, ope illarum, conceptus hauriendos, etiam peculiaris cuiusdam cum iis coniunctae sensationis capaces esse, quae haud certo definiri potest, vtrum sensus iis, an reflexiô fundamento videatur; eamque quasi adfectabilitatem tamen interdum posse deesse, quamquam sensus caeteroquin, quoad vsum ad obiectas res cognoscendas, nullo modo vitiosus sit, verum fere adeo apprime subtilis. Nimirum non potest certo adfirmari: vtrum color tonusue (sonus) solum sensationes gratas excitet, an per se iam lusus sit pulcer sensationum, et qua talis complacentiam formae in diiudicatione aesthetica contineat. Quodsi celeritatem motuum luminarium aereorumque consideres, vim omnem nostram facultatemque, temporis describendi rationem per eam proxime in perceptione diiudicandi; crederes, solam harum oscillationum in partibus elasticis corporis nostri *effectionem* sentiri, sed *temporis* per eas *descriptionem* haud percipi nec iudicari, proinde cum coloribus et tonis solum iucunditatem coniungi, non vero pulcritudinem compositionis. Quodsi autem e contrario consideres *primo* rationem mathematicam, quae de proportione istarum oscillationum in musica potest eiusque diiudicatione doceri, colorumque distinctionem, vti par est, iudices, ex musices analogia; si *deinde* exempla, quamuis rara, hominum consulas, qui visu omnium acerrimo non colores, neque acutissimo auditu potuerunt tonos discernere, item in iis, qui hoc valent, perceptionem qualitatis mutatae (non

ſolum magnitudinis gradusque ſenſationis) in diuerſis colorum tonorumue ſcalae intenſionis, ſi porro numerum perpendas eorum ad diſcrimina *comprehenſibilia* eſſe determinatum: coactum te intellexeris, ſenſationes vtrorumque haud vt ſolam ſenſuum impreſſionem ſpectare, verum vt effectum diiudicandae formae in luſu ſenſationum multarum. Sed diſcrimen, quod ex vna alteraue in cauſa diiudicanda muſices proficiſcitur, definitionem eatenus mutaret, vt eam aut, quod ipſi fecimus, pro pulcro ſenſationum (per auditum) luſu, aut ſenſationum *gratarum* et ſuauium declarares. Tantummodo ex illa ſuperiore definiendi ratione muſica prorſus vt ars *pulcra*, ex altera vero vt *grata* ars et ſuauis (ſaltim ex parte) repraeſentabitur.

§. 52.

De coniunctione artium pulcrarum in vno eodemque opere.

Eloquentia cum exhibitione pictoria, cum ſubiectorum ſuorum, tum rerum ſibi ſubiectarum, in *fabula ſcenica;* poeſis cum muſica, in *cantu;* cantus vero ſimul cum exhibitione pictoria (theatrali) in *opera;* luſus ſenſationum in muſica cum luſu figurarum, in *ſaltatione;* et ſic porro poteſt coniungi. Poteſt etiam exhibitio ſubtilitatis, quatenus ea ad artem pulcram pertinet, in *tragoedia rhythmica, carmine didactico*, vel *oratorio* cum pulcritudine coniungi; et in his coniunctionibus ars pulcra artificioſior eſt; an vero et pulcrior (cum tam varia diuerſaque complacentiae genera inuicem ſe peruagentur), in quibusdam cauſis dubitari poteſt. Sed in vniuerſa arte pulcra eſſentiale conſiſtit in forma, obſeruationi diiudicationique conſentanea ac finali, vbi voluptas ſimul cultura eſt animumque componit ad ideas, proinde maioris eiusmodi voluptatis oblectationisque illum reddit capacem; non in materia ſenſationis (illecebris aut permotione), vbi ſolum fruitio ſpectatur, nihil quidquam in idea relinquens, mentem hebetans, obiectam rem paullatim taedioſam, animumque, per conſcientiam tenoris

fui in iudicio rationis inconuenientis, fibi ipsi iniquum reddens et morosum.

Nisi artes pulcrae, prope longeue, cum ideis moralibus coniungantur, quae solae complacentiam in se cohibent et continent in sese consistentem, haec mala, quae modo recensuimus, tandem experientur. Tum tantum distrahendo animo inseruiunt, quod eo magis indigemus, quo frequentius iis vtimur, vt taedium animi e nobis ipsis conceptum eo dispellatur, quo nosmet inutiliores reddamus, et nobis ipsis iniquiores. Omnino pulcritudines naturae superius consilium maxime promouent, si mature, ad eas et obseruandas, et iudicandas, et admirandas adsuefiamus.

§. 53.

Comparatio pretii aesthetici artium pulcrarum inter se inuicem.

Omnium artium *poesis* (quae propemodum tota originem ab ingenio ducit, minimeque praeceptis vult exemplisue duci) locum supremum tenet. Animum dilatat eo, quod phantasiam libertati adserit intraque carceres dati cuiuspiam conceptus, ex immensa formarum possibilium cum eo conuenientium varietate, ea suppeditat, quae eius exhibitionem cum vbertate coniungit cogitatorum, cui nulla par prorsus et adaequata est linguae expressio, atque ita sese ad ideas euehit. Animum firmat ea et corroborat, eo quod illa fit, vt is facultatem liberam spontaneamque et ab determinatione naturae vacuam in se persentiscat, naturae, vt phaenomeni, ex adspectibus et contemplandae et diiudicandae, quos ea haud sponte praebet, nec sensui, neque intelligentiae in experientia, eamque proinde in gratiam quasique ad schema rerum sensibus inaccessarum vtendi. Ludit ea in specie, quam ex lubidine efficit, neque ea tamen decipit; si quidem suam ipsam occupationem pro lusu declarat, qui nihilominus ab intelligentia potest et ad rem suam conuenienter atque ex consilio adhiberi. — Eloquentia, quatenus in ea artem intelligimus persuadendi, id est, per speciem pulcram fal-

lendi (ars oratoria) et non eloquentiam ſolam genusque orationis, in dialectica verſatur, a poeſi modo tantum mutuante, quantum neceſſe eſt ad animos, ante diiudicationem, oratori in commodum eius conciliandos, eamque libertate priuandam: proinde ea neque fori cancellis poteſt, neque ſacris ſuggeſtibus commendari. Namque cum de legibus ciuilibus, de iure ſingulorum hominum, aut de animis ad veram notitiam religioſamque officii obſeruationem inſtituendis et determinandis agitur: tum infra dignitatem tam grauis negotii erit, vel modo veſtigium luxuriantis ingenii ac phantaſiae, multo magis autem artis ad perſuadendum captandumque animum in gratiam vllius cuiuspiam, prodere. Ea enim etſi nonnumquam ad fines per ſe legitimos et laudabiles adhiberi poteſt, eo tamen ſub reprehenſionem cadit, quod hoc modo normae mentesque corrumpuntur, quamuis obiectiue actio cum legibus conveniat; propterea quod haud ſatis eſt, vt id, quod rectum eſt, facias, ſed etiam vt ſolum idcirco, quia rectum eſt, patres. Praeterea ſolius diſtincti conceptus horum humanae curae generum, cum viuida in exemplis exhibitione coniuncti, nullaque regula orationis aurem permulcentis, verborumue decentiae iam perquam idonea cum animis humanis contagio eſt ad ideas rationis (quibus coniuncte eloquentia efficitur), quam vt neceſſe foret perſuaſionis machinas in eo adhiberi; quae, cum pariter poſſint ad excuſandum occultandumque vitium atque errorem adhiberi, ſuſpicionem ſecretam de dolo artificioſo non omnem poſſunt delere. In poeſi omnia et fide aguntur et ſincere. Ea ſe profitetur ſolum luſum in phantaſia oblectantem, et quidem ſecundum formam, cum legibus intelligentiae conuenienter acturam; neque intelligentiam cupit per exhibitionem ſenſitiuam obrepere atque illaqueare *).

*) Fateri cogor: pulcro memet carmine ſemper eſſe oblectatum, cum lectio orationis optimae oratoris Romani aut noſtri in ſenatu ſupremo ſacroue ſuggeſtu ſemper mihi cum ſenſu ingrato quodam artis improbandae coniuncta fuerit, quae homines velut machinas in rebus grauibus ad ferendam mouere ſententiam nouit, quae in cogitatione tranquilla omnem vim pondusque

Poſt poeſin, *ſi de illecebris agatur et animi commotione,* artem eam collocarem, quae in loquentibus proxime ad eam accedit cum eaque quoque facillime poteſt coniungi, nimirum *artem muſicam.* Ea namque, quamquam per ſolas ſenſationes loquitur ſine conceptibus, proinde haud, vt poeſis, quidpiam reliqui facit ad meditandum, tamen animum commouet plurifariam, et, quamuis modo praetereundo, tamen magis intime; ſed ſane quidem magis in fruitione conſiſtit, quam cultura (luſus cogitatorum, qui iuxta ea excitatur, ſolum in effectis eſt adſociationis quaſi mechanicae); eiusque, per rationem diiudicatae, pretium vilius eſt, quam cuiusque alius artium pulcrarum. Idcirco, velut quaeuis fruitio, crebriori opus habet viciſſitudine, neque frequentiorem repetitionem haud perfert, niſi taedium enaſcatur. Illecebrae illius, qui tam vniuerſe communicari poteſt, in eo poſitae videntur: quod quaeque orationis expreſſio quemdam in contextu tonum habet, ſententiae illius conuenientem; quod hic tonus plus minusue adfectum loquentis deſignat contraque quoque producit in audiente, qui tum in hoc viciſſim quoque ideam excitat, quae in oratione eiusmodi tono exprimitur; et quod, quemadmodum modulatio lingua quaſi vniuerſalis eſt ſenſationum cuique homini perſpicua, ars muſica eam per ſe ſola in vniuerſa vi ſua virtuteque, nimirum vt linguam adfectuum, exercet, atque ita, ex lege adſociationis, ideas aeſtheticas cum iis coniunctas vniuerſe communicat; quod

in iis perdat, oportebit. Facundia et eloquentia (coniuncte rhetorica) ad artem pulcram pertinent; ſed ars oratoria, vt ars infirmitatibus vtendi hominum ad ſuos ſcopos (quamuis ab optima ſint mente profecti vel reapſe ipſi optimi videantur) nulla prorſus *obſeruantia* digna ſunt. Iam ea vero emerſit, cum Athenis tum Romae, ad ſummumque gradum ſeſe tempore euexit, quo respublica ad interitum properaret, verusque amor patriae eſſet extinctus. Qui, praeter claram rerum perſpicientiam, dictionis et vbertate pollet et puritate, et praeter fecundam phantaſiam ad exhibendas ideas ſuas idoneam, in communionem venit veri genuinique boni ſeriam, is vir bonus ille eſt dicendi peritus, qualem *Cicero* vult eſſe, quamuis ideali iſti ipſi haud ſemper conſtiterit.

vero, quoniam ideae illae aesthetice in nullis conceptibus consistunt cogitatisque determinatis, forma harum sensationum componendarum (et harmonia et melodia) solum, loco formae linguae, eo seruit, vt per tenorem illius aequabilem (qui, quoniam in tonis proportione nititur numeri oscillationum aeriarum in tempore eodem, quatenus toni aut simul aut singuli coniunguntur, mathematice potest certis quibusdam legibus subiici), idea totius cuiusdam connexi aesthetica vbertatis cogitatorum nomine carentis, certo cuidam themati congruenter, quo, qui in cantu dominatur, adfectus efficitur, exprimatur. In hac forma mathematica, quamquam haud conceptibus proposita determinatis, solum haeret complacentia, quam sola super tali inuicem se comitantium sibique succedentium sensationum copia reflexio cum hoc eorum lusu vt conditionem pulcritudinis ad vnumquemque valentem coniungit; eaque sola est, vi cuius gustus ius sibi arrogat, de cuiusque iudicio in antecessum pronunciandi.

Sed illecebrarum permotionisque animi, quas musica producit, mathesi profecto ne minima quidem pars est; sed ea tantummodo conditio est sine qua non illius impressionum proportionis, cum coniunctarum, tum succedentium, qua fieri potest, vt comprehendantur, eaeque inter se inuicem ne turbentur, impediatur, sed vt ad motum continuum et animationem animi per adfectus cum illis consonantes atque ita ad fruitionem sui gratam concinant.

Contra cum pretium artium pulcrarum aestimatur ex cultura, quam animo parant, facultatumque dilatatio, quae in iudicandi vi ad cognitionem debent conuenire, mensura fiat; tum musica in pulcris artibus eatenus (sicut in iis, quae simul ex iucunditate aestimantur, fortasse supremum) locum vltimum capit, propterea quod solum ludit in sensationibus. Proinde artes fingentes hoc quidem respectu, longe eam antecedunt; dum enim phantasiae lusum excitant liberum et intelligentiae tamen simul conuenientem, vna negotium faciunt, propterea quod opus conficiunt, quod conceptibus intelligentiae pro vehiculo est perdurabili,

et sese per se ipsum commendante, ad coniunctionem eorum cum facultate sensitiua atque ita quasi vrbanitatem superiorum cognoscendi virium promouendam. Vtrumque genus artium iter longe diuersum instituit; illud a sensationibus ad ideas determinatas; hoc ab ideis determinatis ad sensationes. Illius manent et *perdurant* impressiones, sed huius duntaxat fugiunt ac *transeunt*. Phantasia illas reuocare potest et iis sese suauiter oblectare; hae vero aut prorsus exspirant, aut, temere casuque a phantasia repetitae, potius molestae sunt nobis, quam iucundae. Praeterea in musica inest certa quaedam vrbanitatis inopia, ita, vt, in primis pro ratione instrumentorum, vim suam et contagionem longius, ac volumus (ad vicinitatem), extendat, et sic se ipsa quasi obtrudat, proinde libertati aliorum, praeter coetum musicum, deroget; id quod non fit ab artibus, loquentibus ad oculos, propterea oculos modo auertere debeas, cum nolis impressioni illius aditum patere. Atque cum eo quidem fere pariter comparatum est, atque cum oblectatione ex odore late diffuso. Is, qui mappam odoratam e marsupio promit, circumcirca omnes excipit inuitos, cogitque, cum ducere spiritum volunt, simul vt fruantur; vnde ea quoque consuetudo desiit *). — In artibus fingentibus arti pictoriae principatum tribuerim; partim, quoniam, vt ars delineatoria, cunctis artibus fingentibus fundamento subest; partim quod ea multo longius in regionem idearum penetrare potest, et campum quoque visionum, his conuenienter, dilatare, quam reliquis concessum videtur.

S c h o l i o n.

Eorum, *quae solum in diiudicatione placent*, ab iis, quae *delectant* (in sensatione placent), vti saepius ostendi-

*) Qui in religiosis exercitationibus domesticis et cantum carminum sacrorum commendarunt, non cogitarunt, se tali religioso cultu *tumultuante* (eoque ipso plerumque Pharisaico) magnam populo molestiam creare, propterea quod vicinos cogunt, vt vel in communionem cantus veniant, vel meditationem mittant.

mus, discrimen internum est et essentiale. Id quod delectat, non potest, velut quod in diiudicatione placet, ab vnoquoque homine postulari. Delectatio (etiamsi causa illius itidem insit in ideis) semper in sensu vniuersae vitae hominis promouendae, proinde quoque salutis corporeae, hoc est, rectae valitudinis, consistere videtur; ita vt, qui vniuersam delectationem proprie in sensatione corporea poneret, Epicurus eatenus fortasse non falso senserit, se ipsumque perperam intellexerit, si complacentiam intellectualem ipsamque practicam referret ad voluptatem. Hoc posteriori discrimine ad oculos statuto, sibimet poterit enodare, qui fiat, vt ipsi, qui eam sensu percipit, voluptas possit displicere (velut laetitia hominis egentis, sed bene ab natura informati de hereditate a patre relicta se quidem amante, sed parco atque auaro), aut vt summus dolor ei, qui illum percipit, tamen queat placere (moestitia luctusque viduae de morte mariti praeclare meriti), aut vt possit insuper voluptas placere (velut in artibus, quas tractamus), aut dolor (velut odium, inuidia, cupiditas vlciscendi) nobis praeterea queat placere. Complacentia vel displicentia hic ratione nititur, eademque est quae *probatio reprobatione;* verum voluptas et dolor solum in sensu possunt prospectuue ad *bene maleue* (qualis eius cumque causa sit) *sese habendum* niti.

Omnis liber lusus sensationum successiuus et mutuus (quarum causa nullo in fine inest) delectat et voluptatem mouet; quoniam sensum promouet rectae valitudinis: siue ex diiudicatione rationali in re illi subiecta atque in hac ipsa voluptate complacentiam sentiamus, siue non; eaque voluptas crescere ad adfectum potest, quamuis ex re obiecta ipsa nullum inuitamentum capimus, certe non id, quod magnitudini quasique gradui adfectus foret aequabile. Quos quidem in *ludum fortunae* possumus, et *tonorum* et *cogitatorum* describere. Ludus *fortunae innitamentum* postulat, seu vanitatis, seu vtilitatis, quod vero permultum abest, vt tantum sit, quantum inuitamentum ex modo, quo nobis illud studemus comparare. Lusus deinde *tonorum*

postulat *sensationum* vicissitudinem, quarum quaeque relata est ad adfectum, sed sine adfectus cuiusdam multitudine et gradu, ideas aestheticas excitat. Lusus denique cogitatorum solum ex vicissitudine nascitur repraesentationum in facultate iudicandi, qua nulla quidem, quae vllum quodpiam in se inuitamentum contineret, cogitatio nascitur, sed animus tamen animatur.

Quantam voluptatem lusus pariant, nulla quoque vtilitate proposita, omnes nostri docent coetus vespertini; nullus enim propemodum sese poterit sine lusu occupare. Verum adfectus et spei, et metus, et gaudii, et irae, ludunt, dum quouis momento partes permutant, adeoque viuidi sunt, vt iis, quasi motione interna, vniuersa in corpore actio vitalis esse promota videatur, vti alacritas animi inde enata planum facit, quamuis nihil quidquam lucri feceris, neque didiceris. Cum vero lusus fortunae non sit lusus pulcer, hoc loco illum in medio relinquemus. Contra et musica et ridendi materia ambae in generibus sunt lusus idearum aestheticarum, vel etiam repraesentationes intellectuales; quibus postremo nihil cogitatur, et quae solum vicissitudine sua possunt, et tamen viuide delectare; quo sane docent perspicue, animationem in vtraque solum corpoream esse, quamuis ab animi ideis excitetur, sensumque rectae valitudinis, motu intestinorum lusui illi consentaneo, vniuersam, tam subtilem celebratam et animosam, voluptatem effici coetus hilarioris. Non diiudicatio harmoniae tonorum vel facetiarum et salium, quae cum pulcritudine sua duntaxat pro vehiculo videtur, verum promoto in corpore vitalis actio, adfectus viscera ac diaphragma commouens, vno verbo sensus rectae valitudinis (quae non potest sine eiusmodi causis sentiri) voluptatem constituunt, quod ex eo percipimus, quod corpori etiam per animum possis accedere eoque vti vt medico illius.

In musica iste lusus a sensatione corporis pergit ad ideas aestheticas (rerum adfectibus obnoxiarum), tum ab his reuertitur, sed coniunctis viribus, ad corpus. In ioco (qui pariter atque illa potius ad artem iucundam, quam

pulcram, adnumerandus videtur) lusus incipit a cogitatis, quibus singulis, quatenus sensitiue sese exprimunt, etiam corpus occupatur, dumque intelligentia in hac exhibitione, in qua, quae exspectauerat, haud videt, subito remittit, effectionem istius remissionis sentimus in corpore per organorum oscillationem, qua aequilibrii promouetur instauratio, quaeque vim exserit in valetudine benignam.

In iis omnibus, quae visum debent viuidum et concutientem mouere, aliquid inepti atque absoni insit, necesse est (quod proinde non poterit per se intelligentiae placere). *Risus cernitur in adfectu ex mutatione repentina exspectationis intentae in nihilum.* Haec eadem mutatio, intelligentiae profecto quidem haud iucunda, tamen indirecte ad momentum perquam viuide laetos reddit. Ergo causa in contagione repraesentationis cum corpore eiusque effectione mutua in animo consistere debebit; et quidem non, quatenus repraesentatio obiectiue est sub voluptatem subiecta (quomodo enim spes potest frustrata delectari?), sed eo tantummodo, vt ea, qua solus repraesentationum lusus, virium in corpore vitalium aequilibrium producat.

Fac quempiam narrare: Indianum quemdam, ad mensam cuiusdam Angli Suratae, cum vidisset lagenam cereuisia plenam aperiri omnemque cereuisiam, in spumam mutatam effluere, multis exclamationibus magnam mirationem testatum, ad Angli interrogationem: quid islic tandem mirum videtur? respondisse: non miror, effluere cereuisiam, sed id miror, quomodo cogere eam in illam potueris; risum edimus, et magnopere delectamur: non idcirco quidem, quia nos fere videmus hoc inscio prudentiores, aut alia de causa, quam nobis intelligentia gratam in eo ostenderet; verum quod exspectatio nostra, quae intenta erat, subito in nihilum dilabitur. Fingas porro heredem cognati ditis, huius funus maxime solemne parantem, queri: sibi id minus ex voto succedere; nam quo plus, aiere, pecuniae hominibus meis, vt vultus moestitiam simulent, distribuo, eo conspiciuntur laetiores; tum cachinnum tollemus, et in causa est, quod exspectatio

quaedam repente vertitur in nihilum. Bene notandum eſt: eam non in contrarium exſpectatae rei poſitiuum — quippe quod ſemper aliquid eſt ſaepiusque poteſt nobis triſtitiam adferre, ſed in nihilum verti oportere. Si quis enim narranda hiſtoria magnam in nobis exſpectationem excitat, in eaque extrema falſitatem illius continuo perſpicimus, diſplicentia perfundimur; velut cum homines narrantur vna nocte prae inſigni moerore canos crines accepiſſe. Contra, cum ad eiusmodi narrationem compenſandam alius homo facetus moerorem fuſe depingit mercatoris, quem cum vniuerſis mercium opibus ex India Europam repetens, in graui tempeſtate earum omnium facere iacturam coactus, in tantum idcirco moerorem incidiſſe, vt propterea in eadem nocte illi *capillamentum* caneſceret; tum in riſum erumpimus, nosque oblectamur, quoniam errorem noſtrum in re, quam alioquin parum curamus, vel potius ſectatam ideam noſtram, velut pilam, aliquamdiu huc illuc agitamus, dum animus ſolum eſt prehendere illum firmiterque tenere. Non ex pudore homini mendaci ingenioque ſtupido incuſſo voluptatem capimus; nam per ſe quoque hac poſtremo narrata hiſtoria riſus ingens moueretur coetui; illudque haud ſolemus attentione dignum iudicare.

Iam vero notari meretur: in omnibus cauſis eiusmodi ſemper iocum oportere quidpiam in ſe continere, quo ad momentum poſſimus illudi; quapropter, cum illuſio in nihilum euanuerit, animus rurſum reſpicit, vt eam denuo experiatur, atque ita celeriter intentus relaxatusque huc illuc agitatur ac titubat: quod, quoniam ſaltus ad illud, quod neruum quaſi intenderat, motum animi cum eoque congruentem motum corporis internum efficiat, neceſſe eſt, qui neceſſario perdurat, laſſationemque producat, ſed praeterea quoque hilaritatem (quae in effectis ſunt motionis ad rectam valitudinem conducentis).

Namque, ſi ſumſeris, cum omnibus cogitationibus noſtris ſimul vllum quempiam in organis corporis motum coniunctum eſſe; facile comprehendes, quomodo repentinae illi animi modo in hanc modo in aliam ſtationem

translocationi, ad rem obiectam contemplandam, mutua partium elasticarum in intestinis contentio laxatioque, ad diaphragma propagata, queat respondere (eius similis, quam homines persentiscunt, titillationis impatientes): in qua pulmones spiritum gradibus celeriter succedentibus eiiciunt, atque ita motionem efficiunt valetudini saluberrimam, quae sola, non vero quae in animo aguntur, vera causa voluptatis est ex cogitatione reapse nihil repraesentante. — Voltarius dicere solebat: deum ad multas compensandas vitae aerumnas res nobis duas concessisse, et *spem*, et *somnum*. Poterat et *risum* adiungere; si modo, quibus is in prudentibus excitetur, adminicula facile in promtu forent, neque ingenium lepidum vel originalitas facetiarum, quibus ad eam rem opus est, aeque rarius esset, atque frequentius munus naturae est, *abscondite*, vt mystici scrutatores, *praecipitanterque*, velut ingenia, et *molliter*, instar tenerorum fabularum Romanensium auctorum (interdum fere etiam eiusmodi philosophorum moralium), singendi.

Poterit, opinor, igitur commode Epicuro concedi, vniuersam voluptatem, quamuis conceptibus effectam, quibus ideae aestheticae excitantur, sensationem *animalem* esse, hoc est, corpoream; neque tamen quidpiam eo de sensu *intellectuali* obseruantiae ideis moralibus debitae, quae non cernitur in voluptate, verum in sui ipsius (humanae in nobis naturae) obseruantiae qua super necessitatem illius euehimur, quin ne de ipsa quidem *gustus* ignobiliori, detrahetur.

Quidpiam ex vtroque compositum inest in *natiuo*, quod in sinceritate consistit naturae humanae originaria tributa erumpente contra artem simulandi alteram naturam factam. Ridemus simplicitatem simulationis nesciam; et tamen quoque de simplicitate laetamur naturae, artem istam euertente. Exspectasses morem quotidianum adfectatae et ad pulcram speciem caute institutae professionis; sed natura innocens est et incorrupta, quam non sperasses deprehendere, quamque is, qui eam ostendit, aperire nolebat. Pulcra specie, sed falsa, cuius permagna esse vis solet in

iudicio noſtro, repente hic in nihilum conuerſa, quaſique nequam in nobis denudato, motus animi ſucceſſiue efficitur ad duas directiones contrarias, corpus ſimul ſalubriter concutiens. Sed ſinceritate animi, quae infinite melior eſt vniuerſe more recepto, (certe initiis illius) haud omni tamen in homine exſtincta, grauitas aeſtimatioque miſcetur in hocce luſu facultatis iudicandi. Quoniam autem phaenomenon eſt ad breue tempus conſpicuum, velumque artis ſimulandi mox rurſum obtenditur; fit, vt ſimul quidam ſeſe dolor immiſceat, qui in motu verſatur teneritudinis, qui apte poſſit vt luſus cum eiusmodi vſu benigno coniungi et reapſe quoque coniungitur, et praeterea quoque illi, qui materiam praebet, anxietatem de eo, quod nondum ſit ad morem hominum expolitus, ſolet compenſare. — Idcirco ars *natiui* repugnantia eſt; ſed vt ratio natiua in perſona ficta proponatur, ſane poteſt fieri, et ars pulcra eſt quamquam eadem rara. Cum natiuo aperta ſimplicitas, quae naturam ſolum propterea haud adulterat, quoniam, quid ars conſuetudinis ſit, non callet, non confundenda videtur.

Ad ea, quae exhilarantia, voluptati ex riſu finitima ſunt, et ad mentis rationem exemplarem, nec ſane vero ad munus naturale artis pulcrae pertinent, poteſt etiam modus *facetus* referri. Facetiae in ſenſu bono ſcilicet donum denotat naturae, pro lubidine animum quodam modo componendi, ita vt cunctae res longe aliter quam conſueto (adeo retro), et tamen certis quibusdam rationis principiis convenienter in eiusmodi animi tenore, diiudicentur. Qui eiusmodi mutationibus inuoluntarie obnoxius eſt, moroſus dicitur; qui eas vero voluntarie et conuenienter (ad viuidam exhibitionem interuentu diſtincti contrarii riſum moventis) recipere poteſt, is eiusque oratio iocoſus adpellatur. Interim hic modus magis ſpectat artem ſuauem et iucundam, quam pulcram ac venuſtam, idcirco, quia res arti pulcrae propoſita ſemper quamdam in ſe dignitatem oſtendere debet, ideoque certam quamdam in exhibendo grauitatem poſtulat, velut guſtus in iudicando.

CRITICES FACVLTATIS IVDICANDI AESTHETICAE

SECTIO ALTERA.

DIALECTICE FACVLTATIS
IVDICANDI AESTHETICAE.

---

§. 55.

Iudicandi facultas, quae esse dialectica debet, in primis ratiocinans sit, necesse est; id est, iudicia illius vniuersalitatem postulent, eamque ex anticipatione *): in eiusmodi enim iudiciis opponendis dialectica consistit. Idcirco iudiciorum aestheticorum sensitiuorum (de iucundo et iniucundo) ratio insociabilis non dialectica est. Etiam pugna iudiciorum gustus, quatenus suum quisque gustum testatur, proprium nulla gustus dialectica efficitur; si quidem nemo cogitat iudicium suum statuere regulam vniuersalem. Igitur nullus cuiuspiam dialectices conceptus relinquitur, qui posset gustum attingere, praeter conceptum dialectices *critices* gustus (non gustus ipsius) ratione *principiorum* illius: cum scilicet de causa possibilitatis iudiciorum gustus generatim conceptus inter se inuicem pugnantes per naturam necessarioque exsistunt. Ergo critice transscendentalis gustus tum solum partem, quae nomine indui dialectices facultatis iudicandi aestheticae poterit, continebit, cum antinomia principiorum huiusce facultatis depre-

*) Iudicium ratiocinans dici quodque potest, quod vt vniuersale se adnunciat; eatenus enim esse pro propositione potest in ratiocinatione. Contra iudicium ratiocinatum solum illud poterit vocari, quo vt ratiocinii conclusio, proinde vt ex anticipatione fundatum, cogitatur.

hendetur, quae legalitatem eius, proinde et possibilitatem internam, dubiam reddit atque incertam.

§. 56.

Delineatio antinomiae gustus.

Frior locus communis gustus pronunciato continetur, quo se quisque gustu destitutus contra reprehensionem cogitat muniri: *suus cuique gustus proprius est.* Hoc idem est, atque ratio determinandi huiusce iudicii solum subiectiua est (voluptas vel dolor); neque iudicii vllum ius est in adsensum necessarium aliorum.

Alter deinde illius locus communis, qui vel ab iis adeo vsurpatur, qui iudicio gustus ius concedunt, quae ad quemque valent, pronunciandi, hic est: *de gustu non est disputandum.* Id quod hanc vim habet: ratio determinandi iudicii gustus poterit etiam obiectiua esse, sed non potest ad conceptus determinatos reuocari; proinde de iudicio ipso non potest quidquam per argumenta *decerni,* quamquam sane quidem commode de eo ac iure *certari.* Nam *certare* et *disputare* in eo quidem idem sunt, vt per mutuam iudiciorum resistentiam concentum illorum conentur producere, sed in eo differunt, quod *disputatio* id efficit speret ex conceptibus determinatis vt argumentis, proinde *conceptus obiectiuos* sumit, vt iudicii rationes. Vbi autem hoc vt inconcessum spectatur, ibi et disputatio itidem vt inconcessa diiudicanda erit.

Facile intelligitur, inter hos duos locos communes desiderari sententiam, non prouerbialiter quidem vsitatam, sed tamen in cuiusque sensu contentam: *de gustu certandum est* (quamquam haud disputandum). Haec vero sententia contrarium continet enunciati superioris. De quo enim licebit certare, de eo et sperandum est posse conueniri; proinde rationes iudicii sperandae erunt, quae non solum valoris priuati sint, ideoque non tantum subiectiuae; cui nihilominus decretum istud: *suus cuique proprius gustus est,* e diametro contrarium videtur.

Quamobrem respectu principii gustus haec sese offert antinomia:

1. *Thesis.* Iudicium gustus haud nititur conceptibus; alioquin enim de eo posset disputari (argumentis decerni).

2. *Antithesis.* Iudicium gustus nititur conceptibus; alioquin enim, quamuis permagna illius diuersitas sit, posset ne de eo quidem certari (necessaria aliorum cum hoc iudicio adsensio postulari).

§. 57.

Solutio antinomiae gustus.

Fieri nullo modo potest, vt pugna principiorum illorum, iudicio gustus suppositorum (quae nulla alia sunt, quam, quae supra proposuimus in analytica, duae illae iudicii gustus proprietates) tollatur, nisi ostenderis: conceptum, ad quem res obiecta in hoc iudiciorum genere refertur, in vtraque norma facultatis iudicandi aestheticae non in vno eodemque sensu accipi; hunc sensum duplicem, rationemue, diiudicationis facultati iudicandi nostrae transscendentali necessarium esse; neque vero speciem, in confundendo vno cum altero, vt illusionem naturalem posse euitari.

Ad vllum quempiam conceptum iudicium gustus se referat necesse est; alioquin enim nullo pacto posset necessarium cuiusque valorem postulare. Verum idcirco illud non erit *ex* quodam conceptu euincendum, quoniam conceptus aut determinabilis esse potest, aut per se indeterminatus et simul indeterminabilis. Superioris generis est conceptus intellectualis, per praedicata visionis sensitiuae, quae potest ei respondere, determinabilis; sed generis alterius conceptus rationalis est transscendentalis suprasensibilium, vniuersae visioni illi fundamento constitutorum, qui proinde non vlterius potest theoretice determinari.

Iam iudicium gustus res spectat sensibus obnoxias, sed non ad earum *conceptum* intelligentiae determinandum;

neque enim iudicium eſt cognitionis. Proinde illud tantummodo iudicium priuatum eſt, vt repraeſentatio ſingularis ad ſenſum voluptatis relata; atque eatenus ſecundum ſuum valorem ad ſolum indiuiduum iudicans adſtrictum foret: res illa *mihi* eſt res complacentiae obnoxia, aliis ea aliter fuerit; — ſuus cuique guſtus eſt.

Nihilominus ſine dubio in iudicio guſtus dilatata repraeſentationis rei obiectae (ſimul etiam ſubiecti) relatio continetur, in quo extenſionem huiusce iudiciorum generis, vt cuique neceſſariam, fundamus; cui proinde vllus quipiam conceptus fundamento ſubſit, neceſſe eſt: verum conceptus, qui nullo modo poteſt per viſionem determinare, per quem nihil cognoſci, nec proinde *argumentum* poteſt iudicii guſtus *duci*. Eiusmodi conceptus autem ſolus eſt conceptus rationalis purus ſupraſenſibilium, qui obiectae rei (itemque ſubiecto iudicanti) vt rei ſub ſenſus ſubiectae, proinde vt phaenomeno, fundamento videtur. Neque enim, eiusmodi reſpectu haud ſumto, ius non poſſet iudicii guſtus in valorem vniuerſalem conſeruari: quodſi, in quo illud nititur, conceptus foret ſolum confuſus conceptus intellectualis, fere perfectionis, cui dari poſſet congruens pulcri viſio ſenſitiua; fieri ſaltem per ſe poſſet, vt iudicium guſtus in argumentis fundaretur, id quod theſi repugnat.

Atqui omnis repugnantia euaneſcit, cum dico: iudicium guſtus in conceptu nititur (rationis cuiusdam generatim pro forma finali ſubiectiua naturae iudicandi facultati), ex quo vero ratione rei obiectae nihil quidquam poteſt, nec cognoſci, nec probari, ſi quidem is per ſe indeterminabilis eſt, ad cognitionemque inutilis; ſed eodem illo fit, vt iudicium iſtud ſimul valorem ad vnumquemque vanciſcatur (in quouis quidem vt iudicium ſingulare, proxime comitans viſionem): quoniam ratio determinandi illius fortaſſe in conceptu ineſt illius, quod vt ſupraſenſibile poteſt humanae naturae ſubſtratum ſpectari.

Solutio antinomiae cuiusdam pendet ex poſſibilitate, vt duae enunciationes ad ſpeciem pugnantes ſibi inuicem

reapſe haud repugnare queant, ſed vna conſiſtere, quamuis enodatio poſſibilitatis conceptus illarum vim cognoſcendi noſtram ſuperet vincatque. Hanc ſpeciem quoque naturalem eſſe rationique humanae ineuitabilem, item quare ea ita ſit maneatque, etſi pugna putatitia ſublata haud decipiat, inde quoque poteſt doceri.

Nempe conceptum, in quo iudicii vniuerſalitas niti debet, in vtroque iudicio pugnante in vna eademque ſignificatione ſumimus, de illoque duo praedicata oppoſita enunciamus. In theſi proinde enunciari deberet: iudicium guſtus haud conceptibus nititur *determinatis;* ſed in antitheſi: iudicium guſtus tamen conceptu quodam nititur, quamuis *indeterminato* (ſcilicet ſupraſenſibilis phaenomenorum ſubſtrati); et tunc nulla foret pugna illorum.

Nihil quidquam amplius praeſtare poſſumus, vt hanc pugnam in iure guſtus mutuo remoueamus. Sed fieri nullo pacto poteſt, vt principium obiectiuum guſtus determinatum proponamus, ex quo iudicia illius, et deriuari poſſint, et explorari probarique; tum enim illud nullum guſtus iudicium foret. Principium ſubiectiuum, nimirum idea in nobis ſupraſenſibilium indeterminata, ſolum vt vna clauis explicandae huiusce facultatis nobis quoad ipſos illius fontes occultae indicari poteſt, ſed nulla re vlterius doceri.

Antinomiae propoſitae hoc loco atque explanatae verus conceptus fundamento ſubeſt guſtus, ſcilicet vt facultatis iudicandi aeſtheticae ſolum reflectentis; et tum ambo principia ſpecie pugnantia inuicem vidimus coniungi, propterea quod *ambo poſſunt vera eſſe,* quod etiam ſatis eſt. Contra ſi pro ratione guſtus determinandi (propter repraeſentationum, quae iudicio guſtus fundamento eſt, ſingularitatem) vt quidam faciunt, *iucunditas,* aut, quod aliis placet (ob eius vniuerſalitatem) principium *perfectionis* acciperetur, ex eoque guſtus definitio inſtitueretur; orietur inde antinomia, nullo modo componenda, niſi ſic, vt doceas, *ambo* ſibi inuicem (ſed non ſolum repugnanter) oppoſita *decreta falſa eſſe:* quod quidem probat, conceptum,

in quo quodque constitutum est, secum ipsum pugnare. Ergo intelligitur, solutionem antinomiae facultatis iudicandi aestheticae iter ingredi simile illius, quod critica instituit in antinomiis rationis purae theoreticae explicandis; antinomiasque pariter et hoc loco et in critica rationis practicae, cogere nos inuitos, vt sensibilia transspiciamus, atque in suprasensibilibus locum omnium facultatum nostrarum ex anticipatione coniungendarum anquiramus.

Scholion I.

Cum in philosophia transscendentali nobis tam crebro nascatur occasio, idearum a conceptibus intellectualibus discernendarum, vtile esse poterit, terminos technicos discrimini illarum conuenientes introducere. Neque quemquam, opinor, improbaturum fore, si quosdam proponam. — Ideae in significatione latissima repraesentationes sunt ex principio quodam (subiectiuo vel obiectiuo) ad rem obiectam quamdam relatae, quatenus nihilominus iis numquam potest cognitio illius effici. Sunt eae aut ex principio quodam solum subiectiuo conuenientiae facultatum cognoscendi inter se inuicem (phantasiae intelligentiaeque) ad quamdam visionem relatae; tumque vocantur *aestheticae;* at ex principio obiectiuo ad conceptum relatae, neque tamen vmquam possunt obiectae rei cognitio esse; dicunturque ideae *rationales;* et tum conceptus ille conceptus est *transscendens*, a conceptu intellectuali, cui semper potest, quae conuenienter respondeat, experientia supponi, et idcirco *immanens* vocatur, diuersus.

Idea aesthetica nulla potest cognitio fieri, siquidem ea est *visio* (phantasiae) cui, qui adaequatus sit, numquam potest conceptus inueniri. Neque *idea rationalis* vmquam fieri cognitio poterit, quoniam *conceptum* continet (suprasensibilium) cui numquam potest visio conuenienter proponi.

Iam ideam puto aestheticam dici posse phantasiae repraesentationem *inexponibilem*, sed ideam rationalem conceptum rationis *indemonstrabilem*. Vtraque supponitur haud

fere prorſus fundamento deſtituta eſſe, ſed (ex definitione ideae generatim ſuperiori) certis quibusdam cognoſcendi facultatum principiis, quo eae ſpectant (illae ſubiectiuis principiis, hae vero obiectiuis) conuenienter gigni.

Conceptus intellectuales, qua tales, ſemper eſſe demonſtrabiles oportebit (ſi demonſtrare, vt in anatomia, ſolum *exhibere* intelligitur); id eſt, res iis conſentanea ſemper, neceſſe eſt, vt in viſione poſſit (pura vel empirica) offerri; namque eo ſolo iis poſſunt cognitiones effici. Conceptus *quantitatis* dari poteſt in viſione ſpatii antecepta, velut lineae rectae et ſic porro; conceptus *cauſae*, in impenetrabilitate, pulſu corporum et caeteris de genere eodem. Proinde vtrique per viſionem empiricam poſſunt inſtrui, id eſt, cogitatio de iis exemplo demonſtrari atque oſtendi; idque fieri poſſe, oportebit: contra nobis haud conſtabit, anne cogitatio inanis ſit, nimirum omni re obiecta deſtituta.

In logica verbis demonſtrabilium et indemonſtrabilium vtimur plerumque tantummodo reſpectu *enunciationum;* cum illae melius duntaxat cum interuentu, hae vero *proxime certae* enunciationes poſſent denominari: namque philoſophiae purae itidem vtriusque generis enunciationes ſunt, ſi illis enunciationes intelligantur verae probandae improbandaeque. Verum per cauſas ex anticipatione ea, vt philoſophia, probare quidem poteſt, ſed minime demonſtrare; niſi prorſus velis a vi poteſtateque vocabuli recedere, qua demonſtrare, oſtendere, exhibere idem denotat, atque (ſiue in argumentis ſiue quoque ſolum in definiendo) conceptum ſimul in viſione exhibere atque proponere: quae, ſi viſio ex anticipatione ſit, illius conſtructio vocatur, ſin autem etiam empirica ſit, nihilominus rei obiectio oſtenſio manet, qua conceptus de realitate obiectiua cauetur. Sic anatomicum dicimus demonſtrare oculum humanum, cum, quem antea diſcurſiue tractauerat, conceptus interueniente organi iſtius analyſi ſub adſpectum ſubiicit.

Ex quo manifestum est, conceptum rationalem substrati omnium visorum supraſenſibilis in vniuerſum, vel etiam eorum, quae reſpectu legum moralium arbitrio noſtro ſubiici fundamento debent, nimirum libertatis transſcendentalis, iam quoad ſpeciem conceptum indemonſtrabilem eſſe, et ideam rationalem, ſed virtutem idem eſſe quoad gradum: propterea quod ſuperiori conceptui per ſe nihil omnino poteſt quoad qualitatem, quod ei reſpondeat, in experientia proponi, in hac altera autem nullum cauſalitatis illius effectum empiricum ad eum gradum adſpirat, quam pro regula praecipit idea rationalis.

Vti vero in idea rationali *phantaſia*, cum viſionibus ſuis, ad conceptum datum haud peruenit; ſic in idea aeſthetica *intelligentia*, per ſuos conceptus, numquam totam phantaſiae viſionem internam, quam cum data quadam repraeſentatione coniungit, adſequitur. Cum autem phantaſiae repraeſentationem ad conceptus reuocare idem ſit, atque eam *exponere:* idea aeſthetica repraeſentatio illius (in luſu eius libero) *inexponibilis* poteſt adpellari. De hoc idearum genere infra quaedam adhuc docendi nobis occaſio naſcetur; iam ſolum moneo: vtrique idearum generi tum rationalium tum aeſtheticarum, eſſe principia oportere; et vtrique quidem in ratione, illarum obiectiua principia, harum ſubiectiua vſus earum.

Quocirca *ingenium* quoque per facultatem poterit *idearum aeſthetícarum* definiri: quo quidem ſimul cauſa aperitur, quare in operibus ingenii natura (ſubiecti), non finis deliberatus, arti (pulcri producendi) regulam praecipiat. Cum enim pulcrum haud ſit ex conceptibus diiudicandum, verum ex tenore phantaſiae finali ad conuenientiam cum facultate conceptuum in vniuerſum; non poteſt regula et praeceptio ſed id ſolum, quod tantummodo natura eſt in ſubiecto, verum non poteſt regulis vel conceptibus comprehendi, h. e. ſubſtratum ſupraſenſibile omnium facultatum illius (quod nullus conceptus intellectualis adſequitur), proinde id, quod reſpectu conuenientiae vniuerſis cognoſcendi facultatibus noſtris impertiendae, finis vltimus

per intelligibilem naturae nostrae rationem datus, aestheticae illi sed absolutae conuenientiae in pulcra arte, quae a quouis debet, vt ei placeat, postulare, pro norma subiectiua esse. Sic quoque solum fieri potest, vt huic, cui non potest principium obiectiuum praescribi, principium subiectiuum fundamento sit, et tamen vniuersale ex anticipatione.

Scholion II.

Atque hoc quidem loco vltro se offert grauissima haec obseruatio: scilicet *tria* esse *genera antinomiae* rationis *purae*, quae vero cuncta in eo conueniant, quod cogant eam, sumtionem alioquin maxime naturalem, rerum sensibus subiectarum pro rebus per se ipsis habendarum, mittere, eas potius pro visis et phaenomenis accipere, iisque substratum intelligibile (quidpiam suprasensibile, cuius conceptus solum idea est nullamque propriam cognitionem admittit) supponere. Sine tali antinomia ratio numquam consilium caperet, eiusmodi principii campum contemplationis suae tantopere coarctantis accipiendi, iacturarumque faciendarum, quibus tot spes alioquin fulgentes prorsus perire debent; nam nunc adeo, cum vsus se illi eo maior respectu practico ad compensandam iacturam illam aperit, ea sese non sine dolore spes illas mittere videtur, atque a pristina sectatione sese liberare.

Cur tria genera antinomiarum sint, in causa est, quod tres sunt cognoscendi facultates, et intelligentia, et iudicandi vis, et ratio, quarum sua cuiusque (vt facultatis cognoscendi superioris) principia sint, necesse est, ex anticipatione; tum ratio, quatenus de his principiis ipsis eorumque vsu iudicat, respectu illorum ad datum conditioni adstrictum necessario postulat absolutum, quod ea tamen numquam potest inuenire, si sensibile, vt ad res pertinens per se ipsas, spectetur, nec ei potius, vt soli phaenomeno, quidpiam suprasensibile (intelligibile natura et extra nos et in nobis substratum) vt res per se ipsa supponatur. Tum erit 1) antinomia rationis respectu vsus intel-

ligentiae theoretici vsque ad abſolutum *facultati cognoſcendi;* 2) antinomia rationis reſpectu vſus iudicandi facultatis aeſthetici *ſenſui voluptatis et taedii;* 3) antinomia reſpectu vſus practici rationis per ſe ipſius legislatoriae *facultati adpetendi:* quatenus harum facultatum omnium principia ſuprema ſunt ex anticipatione, eaeque neceſſariae praeceptioni rationis conuenienter, ex his principiis etiam *abſolute* debent iudicare poſſe ſuamque rem obiectam determinare.

Ratione duarum antinomiarum, et theoretici vſus et practici, facultatum cognoſcendi illarum ſuperiorum *ineuitabiles* eas eſſe, ſi eiusmodi iudicia non ad ſupraſenſibile aliquod obiectarum rerum datarum, vt phaenomenorum, ſubſtratum reſpiciant, docuimus, contra ea vero eas *enodabiles* eſſe, ſi hoc fiat, alio loco oſtendimus. Quod antinomiam quidem attinet in vſu facultatis iudicandi, praeceptioni conuenienter rationis, eiusque hoc loco datam ſolutionem; nulla re alia ea poterit euitare, quam *aut* negando, iudicio guſtus aeſthetico vllum quodpiam fundamento eſſe principium ex anticipatione, omne ius in neceſſitatem adſenſus vniuerſalis vanum eſſe atque inanem errorem, iudiciumque guſtus ſolum idcirco vt verum rectumque reputetur mereri, quoniam *accidit*, vt multis reſpectu illius conveniat, et id quoque proprie haud propterea, quoniam ſub hoc conſenſu principium latere ex anticipatione ſuſpicere, ſed (vt in guſtu palati) quia ſubiecta ſunt fortuito aequabiliter organiſata; *aut* ſumendo, iudicium guſtus proprie iudicium rationis eſſe occultatum atque absconditum de perfectione in re quadam ac relatione variorum in ea ad finem quemdam patefacta, proinde tantummodo propter confuſionem, iſti reflexioni noſtrae adhaerentem, aeſtheticum vocari, quamuis reapſe teleologicum videatur: vbi tum ſolutio antinomia per ideas transſcendentales ſuperuacanea vanaque perhiberi queat, atque ita cum rebus ſenſibus obnoxiis non vt ſolis viſis atque phaenomenis, ſed vt rebus per ſe ipſis, illae guſtus leges poſſent conciliari. Quam vero parum et vnum effugium et alterum proſit, pluribus locis in expoſitione iudiciorum guſtus oſtendimus.

Quodsi autem deductioni nostrae tantum largiare, vt factam eam in recta via esse concedas, etsi nondum omni ex parte satis illustratam, tres ideae emergunt: *primo* suprasensibilium in vniuersum, sine vlteriore determinatione, vt substrati naturae; *deinde* eorumdem suprasensibilium, vt principii formae finalis subiectiuae naturae facultati cognoscendi nostrae; *tertio* eorumdem suprasensibilium vt principii finium libertatis principiique concentus conuenientiaeque illorum cum illa in rebus moralibus.

§. 58.

De idealismo formae finalis cum naturae tum artis, vt vno soloque facultatis iudicandi aestheticae principio.

Ac primo quidem principium gustus aut in eo poni potest, vt hic semper ex rationibus determinandi empiricis, ideoque ex iis, quae tantum ex adsumto et aduentitio (a posteriori) per sensus dantur et offeruntur, aut concedi poterit, eum ex ratione ex anticipatione iudicare. Illud foret *empirismus* critices gustus, hoc *rationalismus* illius. Secundum illud res complacentiae nostrae proposita non discerneretur ab *iucundo;* secundum hoc, si iudicium in conceptibus positum esset determinatis, haud a *bono* distingueretur; atque ita vniuersa *pulcritudo* negando e mundo relegaretur, solumque nomen peculiare, fortasse certae cuipiam vtriusque mixtioni complacentiae generis, eo loco relinqueretur. Verum disputauimus, etiam rationes complacentiae ex anticipatione esse, quae proinde cum principio rationalismi possunt consistere, quamuis nequeant *conceptibus determinatis* comprehendi.

Contra rationalismus principii gustus aut *realismus* formae finalis est, aut *idealismus* illius. Quoniam vero iudicium gustus non est iudicium cognitionis, nec pulcritudo in qualitate cernitur obiectae rei, per se spectatae; rationalismus principii gustus numquam poterit poni in eo, vt forma finalis in illo iudicio cogitetur vt obiectiua, h. e.

vt iudicium theoretice, proinde et logice (etsi tantummodo in diiudicatione confusa), perfectionem rei obiectae, sed modo *aesthetice*, conuenientiam eius repraesentationis in phantasia cum essentialibus iudicandi facultatis principiis in genere, spectet in subiecto. Ergo, ex ipso principio rationalismi, iudicium gustus discrimenque realismum inter et idealismum illius tantummodo potest in eo poni, vt aut illa forma finalis obiectiua in priori casu vt *finis* verus (propositus) naturae (artisue) cum facultate iudicandi nostra conueniendi, aut in altero casu solum vt conuenientia finalis, sine fine, sponte ac fortuito emergens, ad necessitatem facultatis iudicandi, respectu naturae eiusque formarum ex singularibus legibus generatarum, sumatur.

Realismo formae finalis aestheticae naturae, cum scilicet sumseris: productioni pulcri ideam illius in causa efficiente, nimirum *finem* in gratiam phantasiae nostrae, fundamento fuisse, formationes pulcrae naturae in regno organisatae admodum patrocinantur. Flores, quin totarum plantarum figurae, vsui proprio suo superuacanea, sed gustui nostro quasi delecta venustas atque elegantia formationum animalium varii generis; praesertim varietas colorumque compositio harmonica oculis nostris tam placens atque adliciens (in fasano, animalibus testaceis, insectis, vsque ad vulgarissimos flores) quae, dum solum superficiem spectant, et in hac quoque ne figuram quidem rerum creatarum, quae tamen ad fines earum internos esse necessaria posset, prorsus ad intuitionem externam factae videntur: rationi per veros naturae fines sumendos pro facultate iudicandi nostra aesthetica magnum pondus adferunt.

Contra huic sumtioni non solum ratio obsistit normis suis, vt inutilis principiorum multiplicatio, quantum fieri possit, vbique euitetur; sed natura in formationibus suis liberis vbiuis tantam procliuitatem prodit mechanicam ad generandas formas, quae ad vsum facultatis iudicandi nostrae aestheticum quasi factae videntur, ne minima quidem causa suppeditata suspiciendi, ad id quidpiam amplius

opus esse, quam eius mechanismum, solum vt naturam, quo eae, vel sine vlla, quae iis fundamento sit, idea, diiudicationi nostrae esse finales possint. Sed *formationem* naturae *liberam* dico *eam*, qua ex *fluido* quodam *in quiete* euaporanda separandaue parte illius (nonnumquam solum materiae caloris) reliquum solidando formam accipit determinatam telamue (figuram vel texturam) quae, pro materiis specie variis ac diuersis, varia, sed in eadem stricte eadem videtur. Quo vero supponitur, quod in fluido vero semper intelligitur, vt materia in eo tota soluta sit, hoc est, non sola mixtura solidarum in eaque tantummodo natantium partium spectanda videatur.

Formatio tum *adhaerendo* efficitur, hoc est, repente consolidando, non vero paullatim e statu fluido in solidum transeundo, sed per quemdam quasi saltum, eaque transitio et *crystallisatio* vocatur. Vulgarissimum huiusmodi formationis exemplum est aqua congelans, in qua primo radii glaciales exsistunt, in angulis 60 graduum coeuntes, dum alii in quouis eorum puncto itidem adhaerescunt, donec cuncti congelarunt: ita vt interea temporis aqua inter radios glaciales haud paullatim tenacior fiat, sed tam plane liquida sit, quam longe maiori calore foret, et tamen prorsus gelu polleat. Materia se separans, quae momento consolidationis subito elabitur, permagnum materiae caloris quantum est, cuius discessu, cum solum, vt liquecat, postuletur, glacies praesens ne minimum quidem frigidior relinquitur, quam aqua in eo breui ante fluida.

Multa salia, lapides item, figuram crystallinam habentes, eodem modo a terrae quodam genere soluto in aqua, nescio quomodo, gignuntur. Pariter configurationes cauernosae multorum minerum, cubicae galenae, terrae rufae argenti, id genus aliorum, etiam, opinor, etiam in aqua ex partibus adhaerescentibus: dum, vlla quapiam causa coactae, hoc vehiculum relinquunt, et se inuicem in figuris externis determinatis coniungunt.

Sed interne quoque in omnibus materiis, quae solum ardore liquebant et frigescendo rigent, in fractura certa

ac determinata textura deprehenditur, vnde iudicari potest, eas, nisi pondere suo aut aeris contrectatione forent praepeditae, externe quoque figuram ex specie sibi propriam ostensuras fuisse: cuiusmodi in metallis quibusdam obseruatum est, liquefactis externae consolidatis, intus autem adhuc liquidis, exantlanda parte interna adhuc liquida, tardeque adhaerescenda reliqua intus relicta. Multae illarum crystallisationum velut faeces spathi, schistus, flos ferri, saepenumero peruenustas figuras ostendunt, vt eas cumque ars excogitare possit; gloriaque in antro ad Antiparum solum effectum est aquae per gypsum sensim permanentis.

Fluidum sine dubio omnino vetustius est solido, et cum plantae, tum corpora animalia ex alimentis fluidis efformantur, quatenus illud se format quiete: sane quidem in hoc alimento primum ex initiis certis quibusdam originariis fines spectantibus (quae, vti in altera parte docebimus, haud aesthetice sunt, sed teleologice, ex principio realismi diiudicanda); sed praeterea tamen quoque fortasse vt, legi contagionis materiarum vniuersali congruenter, adhaerescendo libereque sese formando. Quemadmodum autem soluta fluida aquea in atmosphaera, quae mixtura est, variorum aeris generum, si deficiente calore ab atmosphaera separantur, figuras niueas gignunt pro varietate aeris tum temperati mixtique saepenumero valde artificiose et peruenuste formatas; saluo principio diiudicandae organisationis teleologico, sane cogitari potest: pulcritudinem florum, pinnarum in auibus, ostrearum, cum quoad figuram tum quoad colores, naturae posse attribui, eiusque facultati libere sese, nullis ad id finibus propositis, secundum leges chemicas, excludenda materia ad organisationem necessaria, etiam aesthetice finalem efformandi.

Quod vero principium *idealitatis* formae finalis in pulcritudine naturae, vt illud, quod in ipso iudicio aesthetico vsque fundamento ponimus, quoque nullum nobis finis illius realismum facultati repraesentatiuae nostrae vti pro ratione explicandi concedit, directo probat, cernitur

in eo quod in pulcritudine generatim diiudicanda mensuram illius ex anticipatione in nobis ipsis quaerimus, facultasque iudicandi aesthetica respectu iudicii, pulcrum quidpiam sit nec ne, ipsa legislatoria est, quod posito realismo formae finalis naturae locum non potest habere; siquidem tum, vt ex natura disceremus, quid pulcrum habendum sit, necesse foret, iudiciumque gustus obnoxium esset principiis empiricis. Namque in eiusmodi diiudicatione non de eo agitur, quid natura sit, vel etiam nobis pro fine sit, sed quomodo eam adprehendimus. Ea sane forma finalis naturae obiectiua foret, si formas suas in gratiam complacentiae nostrae effinxisset; non vero forma finalis subiectiua, quae in phantasiae lusu libero posita esset, vbi gratia quidem est, quo naturam excipimus, non vero gratia, quam ea nobis facit. Ea naturae proprietas est, vt nobis occasionem praebeat, formae finalis internae in ratione virium nostrarum animi in certis quibusdam effectis illius diiudicandis percipiendae, et eius quidem, quae ob causam supraſensibilem debeat pro necessaria atque vniuersali declarari; sed ea non potest finis esse naturae propositus, vel potius a nobis vt talis diiudicari: quoniam alias, quod ea determinaretur, iudicio heteronomia fundamento foret, non vero, vti decet gustus iudicium, libertas competeret, neque autonomia fundamento subesset.

In arte pulcra principium formae finalis multo dilucidius cognosci potest. Etenim, quod hic non realismus illius aestheticus possit, per sensationes (vbi, cum ars esse pulcra debeat, solum suauis ac iucunda foret) sumi: id ei cum pulcra arte commune videtur. Verum, complacentiam per ideas aestheticas non ex finibus certis determinatisque consequendis (vt ars mechanice proposita) pendere oportere, proinde, in ipso principii rationalismo, idealitatem finium, non realitatem, fundamento subesse: vel ex eo iam perspicitur, quod ars pulcra, qua talis, haud vt effectum intelligentiae scientiaeque, sed ingenii spectanda est, ideoque per ideas *aestheticas*, ab ideis rationalibus finium determinatorum interne et per essentiam diuersas, regulam nanciscitur.

Quemadmodum *idealitas* rerum ſub ſenſus ſubiectarum, vt phaenomenorum, vna ſolaque ratio eſt, poſſibilitatis enodandae formarum illorum ex anticipatione determinabilium; ſic quoque *idealiſmus* formae finalis, in pulcritudine artisque diiudicanda, vna ſolaque ſuntio eſt, qua ſola poteſt critica poſſibilitatem explanare iudicii guſtus, ex anticipatione valorem poſcentis ad vnumquemque (neque tamen formam finalem, in obiecta re repraeſentatam, in conceptibus fundantis).

§. 59.

De pulcritudine vt ſymbolo moralitatis.

Ad realitatem conceptuum noſtrorum euincendam, ſemper opus viſionibus videtur. Si conceptus empirici ſunt, viſiones *exempla* dicuntur. Sin vero conceptus puri ſunt intellectuales, viſiones *ſchemata* vocantur. Quodſi autem adeo poſtules, vt obiectiua conceptuum rationalium realitas, hoc eſt, idearum, et quidem in gratiam cognitionis illarum theoreticae probetur, aliquid, quod fieri non poteſt, poſtulabis, quoniam nullo modo vlla iis viſio conuenienter dari poteſt atque offerri.

Omnis *hypotypoſis* (ſubiectio ſub adſpectum ſeu exhibitio) duplex eſt: aut *ſchematica*, cum, quem intelligentia prehendit, conceptui viſio conſentanea ex anticipatione datur ac proponitur; aut *ſymbolica*, cum, quem ſolum ratio cogitare poteſt, cuique nulla ſenſitiua viſio conuenire poterit, conceptui eiusmodi viſio ſubiicitur, quacum actio facultatis iudicandi reſpectu eius, quod in ſchematibus creandis ſequitur, ſolum analogice, cum eo ſolum quoad regulam huiusce actionis, non quoad viſionem ipſam, proinde ſolum quoad reflexionis formam, non vero quoad materiam, conuenit.

Vſus vocabuli *ſymbolici* ab recentioribus quidem logicis receptus, ſed ſenſum inuertens falſusque, cum illud *intuitiuae* repraeſentandi rationi opponitur; nam ſymbolica cogitandi ratio tantummodo *ſpecies* eſt intuitiuae. Nimirum

intuitiua repraesentandi ratio in *schematicam* potest et *symbolicam* describi. Ambae hypotyposes sunt, id est, exhibitiones: non soli *characterismi*, hoc est, designationes conceptuum per signa sensibilia concomitantia, quibus nihil prorsus, quod ad visionem obiectae rei pertineat, continetur, sed quae solum illis, secundum leges in phantasia adsociationis, proinde respectu subiectiuo, adiumento sunt reproductionis; cuiusmodi aut verba sunt, aut signa sub adspectum subiecta (algebraica, ipsa mimica), vt solae conceptuum *expressiones* *).

Omnes proinde, quae conceptibus ex anticipatione subiiciuntur, visiones vel *schemata* sunt, vel *symbola*, illis directae, his indirectae conceptus exhibitiones continentur. Illis quidem demonstratiue, his interuentu cuiusdam analogiae (ad quam et visiones empiricae adhibentur), in qua facultatis iudicandi duplex munus est, primo vt conceptus ad rem visioni sensitiuae subiectam adhibeatur, tumque deinde vt sola regula super illa visione reflexionis ad longe aliam obiectam rem, cuius illa prior tantummodo symbolum est, transferatur. Sic ciuitas monarchica, si ex legibus populi internis regitur, per corpus animatum, verum si per voluntatem regatur cuiusdam singuli absolutam, per solam machinam (vti fere molam manualem) sed vtrimque duntaxat *symbolice* repraesentatur. Ciuitatis enim despoticae et molae manualis nulla quidem similitudo est, sed tamen regulae, super vtraque earumque caussalitate reflectendi. Haec res huc vsque parum est enodata; quamuis altiore indagatione digna videatur; verum hoc loco non possumus in ea immorari. Lingua eiusmodi exhibitionibus indirectis abundat, ad quamdam analogiam, qua fit, vt expressio haud proprium conceptus schema contineat, sed solum symbolum reflexionis. Sic vocabula *fundamenti* (fulcri, basis), *pendere* (supra-

*) **Intuitiua cognitionis ratio discursiuae est (non symbolicae) opponenda. Intuitiua vero aut *schematica* est, per *demonstrationem*; aut *symbolica*, vt repraesentatio secundum solam *analogiam*.**

teneri), ex quo *fluere* (pro ſequi) *ſubſtantia* (quam Lockius vocat accidentium ſuſtentatricem) et innumera alia haud ſchematicae hypotypoſes ſunt, ſed ſymbolicae, expreſſionesque conceptuum non ope viſionis directae, ſed modo ſecundum eorum analogiam, id eſt, reflexionis ſuper re viſioni propoſita ad conceptum longe alium transferendae, cui fortaſſe numquam poteſt directe viſio reſpondere. Si mera repraeſentandi ratio iam liceat cognitio vocari (quod ſane licet, ſi ea principium ſit rei obiectae haud theoretice, quid ea per ſe ſit, determinandae, ſed practicae, quid idea illius nobis vſuique illius finali fieri debeat): vniuerſa noſtra de deo cognitio ſolum ſymbolica erit; isque, qui eam cum proprietatibus, intelligentia, voluntate, id genus aliis, quae ſolae in natura mundana realitatem ſuam obiectiuam oſtendunt, pro ſchematica accipit, in anthropomorphiſmum praecipitabitur, quemadmodum, ſi vniuerſam rationem intuitiuam miſerit, in deiſmum ſe induit, quo quidem nihil omnino, nec reſpectu practico, cognoſcetur.

Iam pulcritudo, aio, ſymbolum eſt boni moralis; atque hoc ſolum ea reſpectu (reſpectu cuique naturali, qui a quouis alio quoque vt officium poſtulat) placet, cum iure quodam ad cuiusque alius adſenſionem, in quo quidem animus ſimul cuiuspiam praeſtantiae elationisque conſcius eſt ſupra ſolam voluptatis per ſenſuum impreſſiones receptiuitatem, aliorumque pretium dignitatemque aeſtimat ad ſimilem normam facultatis ſuae iudicandi. Hoc eſt *intelligibile* illud, quod, vti praecedens paragraphus oſtendit, guſtus reſpicit, quocum ſcilicet facultates cognoſcendi noſtrae ſuperiores conſpirant, et ſine quo inter earum naturam, comparatam cum iis, quae guſtus poſtulat, nil niſi repugnantiae exſiſterent. In hac facultate vis iudicandi ſe non, vti alias in diiudicatione empirica, ſubiectam heteronomiae ſentit legum experientiae: ea reſpectu rerum complacentiae tam purae obnoxiarum ſibi ipſa legem fert, quod idem ratio facit reſpectu facultatis adpetendi; et ſeſe, cum propter hanc internam in ſubiecto poſſibilitatem, tum ob poſſibilitatem externam naturae cum ea con-

venientis adfectam intelligit ad quidpiam in subiecto ipso extraque illud, quod nec natura est, nec libertas, sed tamen cum fundamento libertatis est, nimirum cum supra-sensibili coniunctum, in quo facultas theoretica cum practica communi ignotoque modo in vno coeunt. Quasdam huiusce analogiae partes nominantes, simulque diuersitatem earum indicabimus.

1) Pulcrum placet *proxime* (sed solum in visione reflectente, non vero, vti moralitas, in conceptu). 2) Illud *sine omni inuitamento* placet (bonum morale necessario quidem placet cum inuitamento coniunctum, verum haud cum eo, quod iudicium de complacentia antecedat, sed quod eo demum efficitur). 3) *Libertas* phantasiae (proinde sensualitatis facultatis nostrae) in pulcro diiudicando cum legalitate intelligentiae vt conspirans et conueniens repraesentatur (in iudicio morali voluntatis libertas vt concentus voluntatis cum se ipsa ex legibus rationis vniuersalibus cogitatur). 4) Principium diiudicandi pulcri subiectivum vt *vniuersale*, id est, ad vnumquemque valens, sed per nullum conceptum vniuersalem distinctum, repraesentatur (principium moralitatis obiectiuum itidem vt vniuersale, hoc est, ad omnia subiecta, simul quoque ad omnes eiusdem subiecti actiones, praetereaque distinctum per conceptum vniuersalem, explicatur). Idcirco iudicium morale non solum principiorum constitutiuorum determinatorum capax est, verum *solum* normis in iis fundandis atque vniuersalitate illarum esse potest.

Atque huius analogiae rationem et intelligentia communis habere solet; et nos res naturae artisue pulcras saepenumero nominibus designamus, quae diiudicationem moralem ponere fundamento videntur. Aedificia arboresue maiestatica vocamus et magnifica, aut arua ridentia et laeta; ipsi colores innocentes nominantur, modestique et teneres, quoniam sensationes excitant, quibus quidpiam cum conscientia status cuiusdam animi per iudicia moralia effecti simile continetur. Gustu fit vt quasi transitio a sensuum illecebris ad habituale inuitamentum morale esse possit sine saltu violentiori, propterea quod is phantasiam etiam in

libertate vt finalem intelligentiae determinabilem repraesentat, atque etiam in rebus sensibus propositis vel sensuum destitutis illecebris capere complacentiam docet.

---

§. 60.

ADPENDIX.

De methodologia gustus.

Descriptio critices in doctrinam elementarem et methodologiam, quae scientiam antecedit, non potest ad criticen gustus transferri: siquidem nulla pulcri scientia est, nec esse potest, iudiciumque gustus non potest per principia determinari. Ac scientia quidem in quauis arte, quae *veritatem* spectat in exhibenda re arti subiecta, conditio quidem sine qua non est artis pulcrae, non vero ars ipsa pulcra. Quapropter artis pulcrae tantummodo *modus* est, non vero *methodus*. Artifex ostendere debet, quid et quomodo tiro efficiat; regulaeque generales, quibus postremo actionem suam subiicit, magis facere possunt ad capita illius occasione data in memoriam reuocanda, quam illi praecipienda. In quo tamen certum quiddam ideale respiciendum est, quod arti debet ob oculos versari, quamuis illud ea numquam in exercendo penitus adsequatur. Sola phantasia discipuli ad conuenientiam cum dato quodam conceptu excitandam, per obseruatam expressionem ad ideam haud idoneam, quam conceptus ipse haud adsequitur, quoniam aesthetica est, et per seueritatem critices euitari potest, ne, quae illi proponuntur, exempla continuo pro prototypis, neque fere nulli normae adhuc altiori propriaeque diiudicationi obnoxiis imitationis exemplaribus reputentur, atque ita ingenium, cum eoque etiam libertas phantasiae ipsa in legalitate sua suffocetur, sine qua ars pulcra nulla, ne ipse quidem gustus probus eam diiudicans, esse potest.

Vniuersae artis pulcrae, quatenus summa illius perfectio intenditur, propaedeutice posita non in praeceptis videtur, sed in animi viribus per eas praenotiones excolen-

dis, quas literas vocamus humaniores: propterea, opinor, quod *humanitas* partim *ſenſum communionis* vniuerſalem denotat, partim facultatem, qua nosmet intime poſſumus vniuerſeque *communicare;* quibus rebus coniunctis felicitas illa humanae naturae conueniens efficitur, qua ab circumſcriptione animali diſtinguitur. Et aetas, et populi, in quibus viua ad ſocialitatem *legalem* procliuitas, qua populus ſtabilem rem publicam conſtituit, cum magnis illis difficultatibus conflictabat, quae grauiſſimum problema illud, libertatis (ideoque et aequalitatis) cum quadam coactione (magis obſeruantiae ſubiectionisque propter officium) coniungendae; eiusmodi et aetas et populus, artem idearum politiſſimae partis cum rudiori mutuo communicandarum, remiſſionem dilatationis expolitionisque partis expolitae ad naturalem ſimplicitatem et originalitatem rudioris, atque ita medium illud altiorem inter culturam et naturam frugalem primum debuit inuenire, quo menſura efficitur vera, ex nullis regulis vniuerſalibus docenda guſtus quoque, vt ſenſus hominum communis.

Nec facile ſerior aetas exemplaria illa reddet inutilia et ſuperuacanea; ſiquidem ea vsque ab natura remotior erit, et poſtremo, nullis propoſitis ſibi conſtantibus illius exemplis, vix cogitationem de felici coniunctione coactionis legalis culturae ſummae cum virtute veritateque naturae liberae excellentiam ſuam dignitatemque ſentiente in vno eodemque populo informare poterit.

Cum autem guſtus reapſe in facultate verſetur idearum moralium ſub ſenſus ſubiiciendarum (ope analogiae cuiusdam reflexionis ſuper vtraque) iudicandarum, ex qua, atque ab maiori aptitudine ad ſenſum ex ideis moralibus (qui moralis vocatur) ea voluptas deſcendit, quam guſtus, vt ad humanam naturam in genere, non vero ad ſenſum cuiusque priuatum, valere adfirmat: manifeſtum eſt veram ad conſtituendum guſtum propaedeuticam in ideis euoluendis moralibus culturaque ſenſus moralis verſari; vbi, ſi modo cum hoc ſenſualitas conſpiret, guſtus verus determinatam formam poteſt atque immutabilem induere.

CRITICES FACVLTATIS IVDICANDI

PARS ALTERA.

CRITICE FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.



§. 61.

De forma finali naturae obiectiua.

Principia transſcendentalia copiam faciunt, formae finalis naturae in legibus peculiaribus ſuis, comprehenſibilitati facultatis iudicandi humanae, et poſſibilitati coniunctionis experientiarum peculiarium in quodam ſyſtemate ſumendae; vbi tum in multis illius effectis et ea poſſunt vt poſſibilia exſpectari, quae, quaſi proprie ad noſtram iudicandi facultatem facta eſſent, eam in ſeſe formam ſpecificam ſibi congruam continent, quae varietate ſua et vnitate faciunt ad animi vires (quae in vſu huiusce facultatis mouentur) quaſi confirmandas alendasque, quibusque proinde nomen imponimus formarum *pulcrarum.*

Res autem naturae inuicem vt adiumenta eſſe ad fines, earumque poſſibilitatem ipſam ſolum ex hoc cauſalitatis genere ſatis poſſe intelligi, eius quidem rei nullam prorſus rationem deprehendimus in idea vniuerſali naturae, vt complexus rerum ſenſibus obuiarum. Quod enim formam finalem naturae attinet in legibus peculiaribus ad facultatem iudicandi humanae comprehendendam coniunctionemque ſingularium experientiarum in ſyſtemate quodam poſſibilem ſumendam, repraeſentatio rerum poterat, eo quod ea aliquid in nobis eſt, vt ad internam virium cognoſcendi noſtrarum contentionem finalem, commode ex anticipatione quoque cogitari; quomodo autem fines, qui haud noſtri ſunt, neque naturae (quam intelligentem ſumimus) competunt, tamen peculiare quoddam cauſalitatis genus, certe legalitatem eius prorſus peculiarem conſtituere poſſunt vel debent, nullo modo poteſt vlla ratione quadam ex anticipatione praeſumi. Quid? quod veritatem illius atque exſiſtentiam vel ipſa experientia non poteſt docere; niſi argutatione quadam antegreſſa, quae ſolum finis conceptum in rerum naturam inferat, neque illum vero ab obiectis rebus earumque cognitione empirica depromat, eoque proinde magis vtatur, ad naturam ſecundum analogiam

cum ratione subiectiua repraesentationum in nobis reddendam comprehensibilem, quam ad eam ex rationibus obiectiuis cognoscendam.

Praeterea forma finalis obiectiua, vt principium possibilitatis rerum naturae, tantum abest, vt cum conceptu illius *necessario* cohaereat, vt potius ea illud ipsum sit, quo potissimum prouocatur, ad rationem illius (naturae) fortuitam eiusque formae inde euincendam. Quodsi enim exempli gratia structuram auis, excauationes eius ossium, situm alarum ad motum, caudaeque ad vehendum et sic porro adferas; cuncta haec ais ex solo nexu effectiuo in natura, nulla alia caussalitate peculiari, nempe nexus finalis, adhibita, admodum fortuita esse, nimirum naturam, vt solum mechanismum spectatam, potuisse sexcentis modis aliter formari, neque in ipsam vnitatem ex eiusmodi principio impingere, ideoque extra naturae conceptum, non vero intra illum, ne minimam quidem rationem illius solum deprehensum iri sperare licere.

Nihilominus diiudicatio teleologica, saltem problematice, iure optimo ad indagationem naturae refertur; verum modo, ad eam secundum *analogiam* caussalitatis ex finibus obseruandi inuestigandique principiis subiiciendam, neque tamen vt nobis arrogemus illius ex his *enodationem*. Ea igitur facultatem iudicandi reflectentem, non determinantem, attingit. Conceptus coniunctionum formarumque naturae ex finibus certe *ad principia accedit*, phaenomena illius regulis subiiciendi, vbi leges caussalitatis ex solo illius mechanismo haud suppetunt. Rationem enim adferimus teleologicam, vbi conceptui obiectae rei, quasi is in natura (haud in nobis) inesset, caussalitatem respectu cuiuspiam rei obiectae tribuimus, vel potius ex analogia eiusmodi caussalitatis (qualem in nobis deprehendimus) possibilitatem obiectae rei nobis repraesentamus, proinde naturam vt per facultatem propriam *technicam* cogitamus; contra, nisi illi eiusmodi efficiendi modum attribuamus, eius caussalitatem necesse foret, vt mechanismum caecum

repraeſentari. Quodſi vero e contrario naturae naturas *conſulto* efficientes ſubiiceremus, proinde teleologiae non ſolum principium *regulatiuum* ad ſolam phaenomenorum *diiudicationem*, quibus natura ex legibus peculiaribus poſſet vt ſubiecta cogitari, ſed eo quoque principium effectorum eius a cauſis *conſtitutiuum* fundamento ſubſterneremus; conceptus finis naturae haud amplius ad facultatem iudicandi reflectentem, ſed determinantem pertineret (velut conceptus pulcritudinis vt formae finalis formalis ſubiectiuae), verum, vt conceptus rationalis nouam cauſalitatem in phyſicam introduceret, quam tamen ſolum a nobis ipſis mutuamur aliisque naturis tribuimus, quamuis eas noſtri ſumere ſimiles nolimus.

SECTIO PRIOR.

ANALYTICE FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.

§. 62.

De forma formali obiectiua solum formali, ad differentiam materialis.

Omnes figurae geometricae, quae ex principio quodam describuntur, formam finalem obiectiuam produnt variam, saepenumero admiratione celebratam, nimirum vtilitatis ad multorum problematum ex vno quodam principio, vel fere cuiusque illorum infinitis modis per se solutionem. Forma finalis manifesto hic obiectiua est atque intellectualis, non vero solum subiectiua atque aesthetica. Ea enim conuenientiam figurae exprimit cum genesi multarum figurarum consulto propositarum, per rationemque cognoscitur. Sed tamen forma finali haud efficitur, vt ipse rei obiectae conceptus fieri queat, nimirum is non solum respectu huiusce vsus vt possibilis spectatur.

In figura tam simplici, velut circulo, ratio solutionis in vi inest problematum, quorum quodque per se varium adparatum postularet, et quae vt vna eorum proprietatum huiusce figurae admirabilium quasi per se ipsa efficitur. Quodsi enim verbi causa propositum sit, vt e data linea basis anguloque illi contrario triangulum construatur; problema indeterminatum est, nimirum illud modis infinitis potest solui atque expediri. Verum tamen circulus cunctos istos complectitur, vt locus geometricus triangulorum omnium, huic conditioni conuenientium communis. Vel si duae lineae inuicem se ita debeant secare, vt rectangulum e duabus partibus lineae vnius rectangulo

e duabus partibus alterius aequale sit; solutio problematis multis obstructa difficultatibus videtur. Sed omnes lineae, intra circulum, cuius peripheria illarum quaque terminatur, inuicem se secantes, sponte in ea proportione diuiduntur. Reliquae lineae curuae itidem alias solutiones finales suppeditant, quae in regula, qua constructio illarum efficitur, nullo modo cogitabatur. Vniuersae sectiones conicae et per se, et inter se inuicem comparatae, fecundae sunt principiorum ad solutionem multorum problematum possibilium, vt simplicissima, qua eorum conceptus determinatur, definitio videatur. — Vere oblectamur in contemplando studio atque ardore veterum geometrarum, quo has linearum eius generis proprietates perscrutati, non passi sunt ingeniorum angustorum sese et hebetum quaestione irritari: cui esse bono ista cognitio debeat? velut parabolae, haud lege cognita grauitatis in terra, quam iis vsus illius ad lineam iactus corporum grauidantium (quorum directio in motu vt parallela spectari potest) suppeditasset; aut ellipseos, cum haud diuinarent, etiam in corporibus caelestibus grauitatem inesse, neque legem illius in variis a puncto attractionis distantiis nossent, qua efficitur, vt eam lineam motu libero describant. Interim, dum in eo, inscii, in vsum posteritatis laborarunt, forma finali delectati sunt in essentia rerum, quam tamen totam poterant ex anticipatione in necessitate illius proponere. Plato, qui ipse fuit artifex huius scientiae, super tali rerum conditione originaria, in qua aperienda omni nos possumus experientia supersedere, et super facultate mentis, harmoniae naturarum ex suprasensibili earum principio hauriendae (quo et qualitates accessere numerorum, quibus animus ludit in musice) in enthusiasmum incidit, quo supra conceptus experientiae ad ideas euehebatur, quae sibi tantummodo per commercium quoddam intellectuale cum omnium naturarum origine explicari posse videbantur. Proinde haud mirum est, geometriae ignarum ex schola ab eo esse relegatum, propterea quod ea, quae Anaxagoras ex rebus experientiae obuiis atque obnoxiis, earumque coniunctione collegerat finium, ex visione pura, in mente humana intus

praesenti, deriuari posse putaret. Etenim in necessitate eius quod finale est, atque ita comparatum, quasi consulto sit ac de industria ad vsum nostrum sic institutum, nihilominus tamen essentiae rerum competere originarie videtur, nullo nostri vsus habito respectu, ipsa causa latet tantae admirationis naturae, non tam extra nos, quam in propria nostra ratione; in quo quidem facile locum veniae dabimus, quod ea admiratio per errorem paullatim vsque ad fanatismum accreuerit.

Verum haec forma finalis intellectualis, quamquam obiectiua (nec vti aesthetica, subiectiua) est, nihilominus tamen quoad possibilitatem potest vt solum formalis (haud realis), nimirum vt forma finalis, ita tamen vt nullo fine illi constituendo, proinde teleologia opus foret, commode, potest, sed solum in vniuersum, comprehendi. Figura circularis visio est, per intelligentiam ex quodam principio determinata: vnitate huius principii, quam pro arbitrio sumo vtque conceptum fundamento pono, ad formam visionis (spatium) adhibita, quae itidem solum vt repraesentatio et quidem ex anticipatione in me deprehenditur, vnitas comprehenditur multarum regularum ex constructione conceptus illius promanantium, neque opus erit, vt formae finali huic *finem*, aliamue quamdam rationem illius, subiicias. In eo quidem res haud sic se habet, quam cum in complexu quodam *rerum* extra me, certis quibusdam terminis incluso, veluti horto, ordinem conuenientiamque arborum, arearum, viarum, id genus aliarum offenderem, quae sperare nequeo ex anticipatione e finitione cuiusdam spatii ad regulam arbitrariam designata consecutione effici: quia res exstantes sunt, quae datae esse empirice debent, vt queant cognosci, neque sola in me repraesentatio secundum principium quoddam ex anticipatione determinata. Quapropter forma finalis empirica, vt *realis* pendet e finis cuiuspiam conceptu.

Verum et ratio admirandae formae finalis, quamquam in essentia rerum (quatenus earum conceptus construi possunt) perceptae commode potest, et quidem legitime;

perſpici. Regulae variae, quarum vnitate (ex quodam principio) haec admiratio excitatur, cunctae ſunt ſyntheticae, neque ex quodam obiectae rei *conceptu*, veluti circuli, conſequuntur, ſed opus habent, vt ea res obiecta in viſione data ſit ac propoſita. Eo vero haec vnitas ſpeciem accipit, quaſi fundamentum habeat regularum a vi repraeſentandi noſtra empirice diuerſum, ideoque concentus rei obiectae cum regularum neceſſitate, intelligentiae propria, per ſe fortuitus ſit, proinde ſolum per finem conſulto ad id conſtitutum fieri poſſit. Iam hac ipſa harmonia concentuque, quia, quamuis haec forma finalis maxime perſpicua ſit, tamen haud empirice cognoſcitur, ſed ex anticipatione, ſponte nosmet eo duci deberemus, ſpatium, cuius determinatione (interuentu phantaſiae, conceptui conuenienter) effici vidimus, vt res obiecta ſolum fieri poſſet, haud in qualitate rerum extra me cerni, ſed ſola repraeſentatione in memet contineri, ideoque in figuram, quam *conceptui cuidam conuenienter* deſcribo, *formam* memet *finalem* inferre, neque ab hoc empirice de illa edoceri, proinde ad illam nullius peculiaris finis extra me in re obiecta indigere. Quoniam autem haec deliberatio vſum iam criticum rationis poſtulat, proinde in re obiecta ex proprietatibus eius diiudicanda haud continuo poteſt ſimul contineri; haec poſterior proxime non niſi coniunctionem regularum heterogenearum (pro iis adeo, quae heterogenea in ſe continent) in quodam principio ſuppeditat, quod, quamuis nullam peculiarem rationem illius poſtulet extra conceptum meum omninoque extra meam repraeſentationem ex anticipatione ſitam, tamen ab me ex anticipatione vt verum cognoſcitur. Atqui *miratio* cernitur in offenſione animi ex repraeſentatione regulaque per eam data cum principiis in eo iam inſitis haud coniungenda, proinde dubium, rectene viderim aut iudicauerim, pariente; ſed *admiratio* eſt miratio ſemper reuertens, quamuis dubium euanuerit. *Ergo admiratio* in effectis eſt prorſus naturalibus formae finalis illius obſeruatae in eſſentiis rerum (vt phaenomenorum), quae eatenus quoque non poteſt reprehendi, propterea quod illius formae viſionis ſenſitiuae (quae ſpatium dicitur) cum

facultate conceptuum (intelligentia) coniunctio non solum idcirco, quia ea haec ipsa est nec vlla alia, nobis inenodabilis est, verum praeterea quoque animum dilatat, vt quidpiam amplius, quod vltra illas repraesentationes situm sensitiuas sit quasi diuinet, in quo, quamquam nobis insciis, vltima supremaque istius concentus ratio possit deprehendi. Quam vt noscamus, haud quidem necesse erit, si solum de forma finali repraesentationum nostrarum ex anticipatione agatur; verum vel sola necessitas illam spectandi, rei obiectae nobis, quae nos cogit, admirationem simul instillat.

Quarum modo mentionem fecimus, proprietates cum figurarum geometricarum, tum vero etiam numerorum, ob certam quamdam, ex simplicitate earum structurae haud exspectatam, formam finalem ex anticipatione ad varium cognitionis vsum, vulgo solent *pulcritudines* vocari; sermoque fit velut de hac illaue *pulcra* circuli proprietate, quae hoc illoue modo esset aperta. Verum non est diiudicatio aesthetica, qua eam finalem intelligimus; haud sine conceptu diiudicatio, qua sola forma finalis *subiectiua* in libero virium cognoscendi nostrarum lusu animaduertitur: verum intellectualis ex conceptibus, qua forma finalis obiectiua, scilicet ad varios (in infinitum varios) fines distincte vtilitas cognoscitur. Potius *perfectionem relatiuam* eam dixeris, quam pulcritudinem figurarum mathematicarum. Neque omnino concedi potest facile nomen *pulcritudinis intellectualis;* siquidem alioquin vocabulum pulcritudinis omni significatione determinata, aut complacentia intellectualis omni prae sensitiua principatu priuaretur. Potius *demonstrationem* eiusmodi proprietatum, quoniam hac intelligentia, vt facultas conceptuum, et phantasia, vt facultas exhibitionis illorum, ex anticipatione sese sentiunt confirmatas (quae cum diligentia ac subtilitate ab ratione illata, coniuncte, illius elegantia dicitur), dici pulcra poterit: idcirco, quia hic tamen certe complacentia, quamvis fundamentum eius positum in conceptibus sit, subiectiua est, cum perfectio complacentiam in sese cohibeat obiectiuam.

§. 63.

De forma finali naturae relatiua ad differentiam internae.

Facultatem iudicandi noſtram experientia ad conceptum ducit formae finalis obiectiuae et materialis, nimirum ad conceptum finis ſcopique naturae tum duntaxat, cum adfectio cauſae ad effectum diiudicanda eſt *), quam vt legalem ſpectare eo ſolum nos poſſe intelligimus, vt ideam effecti cauſalitati cauſae illius, tamquam huic ipſi fundamento poſitam conditionem poſſibilitatis ideae effecti, ſubiiciamus. Id vero fieri dupliciter poterit: ſcilicet dum effectum aut proxime vt opus artis, aut ſolum vt materiale arti aliorum entium naturae poſſibilium, proinde vel vt finem, vel vt adiumentum ad finalem aliarum cauſarum vſum, ſpectamus. Poſterior forma finalis dicitur vtilitas (hominibus), vel etiam ſalubritas (cuique rei creatae alii), eaque ſolum relatiua eſt; cum e contrario illa prior forma finalis interna ſit entis naturae.

Flumina, exempli gratia, variam ad incrementum plantarum vtilem terram ſecum ferunt, quam nonnumquam in medio agro, ſaepius quoque in oſtiis ſuis, eiiciunt. Hac terra in quibusdam oris vnda agros obruit, eamque in ripis adluit, et, hominibus maxime adiuuantibus vt ne fluxu ea rurſum reluatur, fecunda terra creſcit, ibique regnum vegetabile locum occupat, vbi antea piſces et animalcula teſtacea nundinarentur. Eiusmodi terrarum incrementa ſine dubio natura ipſa fecit, idque, quamuis tardius, etiam nunc facit. — Iam quaeritur, an iſtud vt finis debeat naturae ſpectari, quoniam vtilitatem adfert hominibus; eius enim, quae ad ipſum regnum vegetabile redundat, haberi nulla ratio poterit, cum tantum vtilitatis rebus creatis marinis detrahatur, quantum terrae accreſcit.

*) Cum in matheſi pura haud de exſiſtentia, ſed tantum de poſſibilitate rerum, nempe de viſione conceptuſ earum conuenienti, proinde minime de cauſa effectoque eſſe ſermo poſſit; ideirco omnis ibi animaduerſa forma finalis ſolum vt formalis, numquam vero vt finis naturae, ſpectanda videtur.

Atque vt vtilitatem certarum quarumdam rerum naturalium vt rebus creatis aliis adiumentorum (si eas vt adiumenta posueris) doceamus, in facili et peruulgato exemplo consistamus. Nullum pinibus solum salubrius, solo arenoso. Iam mare vetustum, antequam a terra recederet, tot tractus arenosos in regionibus nostris borealibus reliquit, vt in hoc ad cuiusque generis culturam inutili solo ampla potuerint pineta progerminare, quorum de temeraria atque insana exstirpatione frequenter solemus maiores nostros incusare; proinde quaeri potest, an vetustissima illa tractuum arenarum adluuio, finis fuerit naturae propositus, ad pineta, quae in iis nasci possent, propaganda. Tantum manifestum est: hac vt fine sumta naturae, illam quoque arenam concedi, sed modo vt finem relatiuum, oportere, cuius quidem ora vetus maritima eiusque receptio adiumentum fuit; namque in serie articulorum sibi inuicem subordinatorum coniunctionis finium quisque articulus vt finis scopusque (quamuis haud fere supremus) spectandus est, cuius causa eius proxima adiumentum videtur. Itidem, si semel boues, oues, equi et caetera generis eiusdem in mundo esse deberent, et gramina debebant in terris, sed herbae quoque salinariae in desertis arenosis crescere, si cameli deberent crescere, vel haec aliaque animalium gramine vescentium genera copiose debebant esse, si lupi, tigres leonesque esse deberent. Ergo forma finalis obiectiua, quae vtilitate ac salubritate nititur, haud est forma finalis obiectiua rerum per se ipsarum, quasi arena per se, vt effectum, non posset, ex causa sua, mari, comprehendi, nisi huic (mari) quidam subiiciatur finis, effectumque, scilicet arena, vt opus artis, consideretur. Ea est forma finalis solum relatiua, rei ipsi, cui tribuitur, tantummodo fortuita; et, quamuis in exemplis adlatis, gramina per se, vt effecta naturae organisata, proinde vt artificiosa diiudicanda sint, tamen respectu animalium, quae iis aluntur, vt modo rudis materia spectantur.

Cum vero homo demum, per libertatem caussalitatis suae, res naturales consiliis suis saepenumero stolidis et insipientibus (varias auium pinnas, ad ornatum vestitus,

versicolores terras plantarumue succos ad fucum atque vnguenta) nonnunquam etiam e consilio sano sobrioque, equum ad vehendum, arietem et in Minorca insula vel ipsum asinum suemque ad arandum, vtiliores arbitratur; in eo ne relatiuum quidem naturae consilium (quoad hunc vsum moremque) sumi poterit. Eius enim ratio rebus valet cum cogitationibus eius arbitrariis conuenientiam tribuere, ad quam ne ipse quidem fuit ab natura praedestinatus. Solum, *si* sumseris, degere in terris homines debuisse, certe quidem nec adiumenta, sine quibus illi vt animantes et ipsi animantes ratione, vt maxime tenuiter, praediti non poterant consistere, possunt deesse; tum vero, quae ad hunc vsum necessariae sunt, naturales res etiam vt fines oporteret naturales considerari.

Ex quo facile intelligitur, formam finalem externam (salubritatem cuiuspiam rei aliis vtilem) solum cum adiunctione, vt exsistentia eius, cui illud proxime remoteue conducit, per se ipsum naturae finis sit, pro fine naturae posse externo haberi. Cum illud vero numquam queat, per solam naturae contemplationem decerni; sequitur, vt forma finalis relatiua, quamuis ea hypothetice fines naturae indicet, nullam tamen nobis copiam faciat iudicii teleologici absoluti.

Nix tutat segetes in terris frigidis contra gelu; commercium ea hominum (per trahas) reddit facilius; Lappo illic bestias inuenit (machlides) quibus commercium illud efficiatur, quae arido, quem ipsae sibi sub niue pedibus effodiunt, musco abunde aluntur, et nihilominus facili negotio domantur, et, in qua se commode tueri possent, libertate priuantur. Aliis populis in eadem zona frigida mare largam animalium copiam suppeditat, quae, praeter cibum vestitumque, quos praebent, lignumque, quod mare iis ad domicilia quasi aduehit, iis et materias concedunt vstorias ad tuguria calefacienda. In quo quidem concursus admirabilis tot naturae ad finem relationum; isque Gronlandus est, Lappo, Iacuta, et sic porro. Neque tamen causa patet, quare omnino

homines illic degere oporteat. Ergo si diceres: *propterea* vapores in aere niuis figura decidere, in mare vndas esse, lignum, quod in calidioribus terris creuisset, eo ferentes, magnaque oleo repleta animalia marina adesse, *quod* causae, vniuersa naturae effecta arcessenti, idea fundamento subsit cuiusdam commodi certis quibusdam rebus creatis miseris: tum istud iudicium foret audacter pronunciatum et arbitrarie. Etenim, etiamsi vniuersa haec vtilitas naturalis haud foret, nihil tamen nos quidquam in sufficientia causarum naturalium ad hanc qualitatem desideraremus; potiusque nobis ipsis temerarium videretur et inconsideratum, eiusmodi constitutionem vel modo optare ab naturaque eiusmodi finem postulare (cum praeterea non nisi maxima discordia homines potuerit vsque ad regiones tantopere inhospitabiles propellere).

§. 64.

De charactere proprio rerum vt finium naturae.

Vt intelligatur, rem quampiam esse tantummodo vt finem posse; hoc est, causalitatem illius originis non in mechanismo naturae quaerendam esse, verum in causa, cuius efficiendi facultas per conceptus determinetur, opus est: vt eius forma non ex solis legibus naturalibus esse queat, hoc est, iis, quae a nobis per intelligentiam solam possint, ad res sensibus obnoxias adhibitae cognosci; verum vt ipsa earum cognitione empirica, quoad causam atque effectionem, conceptus rationis supponantur. Haec *fortuita* eius formae natura in vniuersis naturae legibus empiricis respectu rationis, cum ratio, quae in vnaquaque effecti naturalis forma et necessitatem illius debeat agnoscere, etiamsi tantum conditiones perspicere cupiat, cum eius genesi coniunctas, nihilominus tamen in illa forma data eam non potest necessitatem sumere, ipsa est ratio causalitatis eius ita sumendae, quasi ob id ipsum solum possit esse per rationem; haec vero tum in facultate consistit ex consiliis agendi (voluntate); resque proposita, quae solum vt ex hac possi-

bilis repraesentatur, tantummodo vt consilium possibilis repraesentaretur.

* Si quis in terrae, quae sibi deserta videretur, figuram geometricam, velut sexangulum, in arena descriptam animaduerteret; consideratio eius reflexioque, in conceptu illius occupata, vnitatem principii illius geneseos, licet obscure, rationis ope animaduerteret, atque ita, huic convenienter, arenam, mare finitimum, ventos, vel etiam animalia cum vestigiis eorum, quas nouis, aut quamque aliam causam brutam haud vt rationem diiudicaret possibilitatis huiusmodi figurae: quoniam ei vis fortuita, cum eiusmodi conceptu, tantummodo in ratione possibili, conueniendi, tam infinite magna videretur, vt perinde esset, ac si nulla prorsus foret lex illius naturae, vt proinde nulla quoque causa in natura solum mechanice agente, sed modo conceptus eiusmodi obiectae rei, vt conceptus, quem solum ratio dare potest cum eoque rem obiectam comparare, etiam causalitatem queat eiusmodi effecti continere, proinde haec necessario vt consilium, verum haud consilium naturae, nimirum vt effectum *artis* considerari (vestigium hominis video).

Vt vero aliquid, quod vt effectum naturae cognoscitur, nihilominus tamen etiam vt consilium, proinde vt *consilium naturae*, diiudicetur; nisi forte in eo repugnantia insit, plus postulatur. Dicerem in antecessum: res exstat vt consilium naturae, *cum sui ipsius* (quamquam in sensu duplici) *et causa est et effectum;* in eo enim causalitas inest, cuiusmodi cum solo conceptu naturae, nisi huic substernatur consilium, haud coniungi potest, sed tum quoque, sine repugnantia cogitari quidem poterit, non vero comprehendi. Determinationem huiusce de naturae consilio ideae praesertim exemplo quodam ante illustrabimus, quam eam totam enodemus.

Arbor *primo* aliam gignit arborem ex nota lege naturae. Sed, quam gignit, arbor de eadem specie est, et sic se ipsam gignit secundum *speciem*, in qua ex vna parte vt

effectum, ex altera vero vt caufa, ab fe ipfa perpetuo genita, pariterque, fe ipfam faepius gignens, fefe, vt fpeciem, perpetuo conferuat.

Deinde arbor et fe ipfam gignit vt *fingulum* atque *indiuiduum.* Hoc effecti genus quidem tantummodo incrementum vocamus; quod vero fic accipiendum eft, vt a quauis alia magnitudinis acceffione totum fit ex legibus mechanicis diuerfum, genefique par fit, quamquam fub alio quodam nomine, aeftimandum. Quam fibi addit, materiam haec planta conficit ad qualitatem fpecie peculiarem propriamque, quam non poteft mechanifmus naturae extra illam proferre, fe ipfamque vlterius efformat, per materiam, quae, ex mixtura fua, fui ipfius effectum videtur. Etfi ea enim, quoad partes conftitutiuas, ab natura extra fe acceptas, tantummodo vt eductum fpectandum eft, tamen in feparanda denuoque componenda, hac rudi materia ea facultatis feparandi formandique huiusce generis entium naturalium originalitas deprehenditur, vt vniuerfa ars infinitum quantum ab ea feiuncta remotaque relinquatur, cum periculum facit, ex elementis per analyfin earum acceptis, vel etiam ex materia, ad alendas eas ab natura fuppeditata illa regni vegetabilis producta denuo inftaurandi.

Tertio pars huiusce creatae rei etiam fe ipfa ita gignit, vt conferuatio vnius ex conferuatione alterius mutuo pendeat. Oculus in folio arboris, frondi cuiuspiam alterius infita, in alieno trunco plantam generat fui proprii generis, pariterque propago in trunco alieno. Idcirco in eadem arbore et quaeque frons foliumque vt folum in hoc infita inoculataue, proinde arbor in fefe confiftens fpectari poteft, tantummodo ad aliam adhaerefcens parafiteque fe nutriens. Praeterea folia funt producta quidem arboris, fed eam tamen mutuo conferuant; repetita enim defoliatione ea necaretur, eiusque incrementum ex effectione pendet in ftirpe. Hoc loco tantummodo in praetereundo mentionem faciam naturae ipfius in reparandis creatis rebus laefis adiutricis, dum defectus partis vnius, ad conferuandas

vicinas necessariae, a reliquis suppletur; errorum porro et portentorum in crescendo, cum certae quaedam partes, ob vitia obuia vel impedimenta, sese forment prorsus denuo, ad id, quod adest, conseruandum, remque anomalicam producendam; ea igitur hoc loco leuiter tangam, quamquam proprietates naturarum organisatarum maxime mirabiles attingunt.

§. 65.

Res, qua scopi naturae, entia sunt organisata.

Pro eo, quem in superiori paragrapho exposuimus, charactere, rei, quae, vt productum naturae, tamen simul modo vt scopus naturae cognosci possibilis debet, necesse est, vt ad se ipsam ratio mutua sit vt causae atque effecti, quae dictio est aliquantum impropria et indeterminata, deriuationis indigens a conceptu quodam determinato.

Nexus causalis, quatenus per solam intelligentiam cogitatur, colligatio est seriem (causarum et effectorum) efficiens, vsque deorsum descendens; et res ipsae, quae vt effecta alias vt causas supponunt, harum esse mutuo causae non possunt. Atque hunc nexum causalem dicimus effectiuum. Contra ea vero potest et connexio causalis ex conceptu rationali (scoporum) cogitari, quae, si vt seriem spectares, cum deorsum tum sursum in sese dependentiam cohiberet, in qua res, semel vt effectum designata, tamen sursum causa dici illius rei, cuius effectum est, meretur. In iis, quae actionem spectant (in practicis) nimirum in arte, facile eiusmodi connexionem deprehendimus, velut domus causa quidem est pecuniarum, quae ex locatione redeunt, verum tamen et vice versa repraesentatio huius possibilis reditus causa est exstruendae domus. Eiusmodi nexus causalis vocatur finalis. Illam superiorem fortasse conuenientius nexum dixeris causarum realium, hanc posteriorem vero idealium, quoniam in hac denominatione simul indicatur, non esse plura his duobus posse genera causalitatis.

Ad rem autem vt finem naturae *primo* quidem opus eſt, vt partes (quoad exſiſtentiam formamque) tantummodo queant eſſe per ſuam ad totum relationem. Res enim ipſa finis eſt, proinde ſub conceptu comprehenſa vel idea, quae cuncta, quae in ſe contineri debent, ex anticipatione, oportebit, determinet. Quatenus autem ſolum hoc modo vt poſſibilis cogitatur, res tantummodo opus artis eſt, hoc eſt, productum cauſae rationalis ab materia (partium) ipſius diuerſae, cuius (in arceſſendis coniungendisque partibus) cauſalitas per ideam illius de quodam toto eo poſſibili (proinde haud per naturam extra ſe) determinatur.

Quodſi autem res, vt productum naturae, debeat in ſeſe ipſa et quoad poſſibilitatem internam tamen relationem ad fines continere, nimirum duntaxat vt finis naturae et ſine cauſalitate conceptuum de naturis ratione praeditis extra ſe poſſibilis eſſe; *tum* opus erit, vt partes ipſius eo ſeſe ad vnitatem cuiusdam totius coniungant, quod formae ſuae mutuo ſunt cauſae atque effecta. Etenim hoc ſolummodo fieri poteſt, vt vice verſa (mutuo) idea totius rurſum formam coniunctionemque omnium partium determinet: non quidem vt cauſa — tum enim opus artis foret — verum vt ratio cognoſcendi vnitatem ſyſtematicam formae coniunctionisque omnium variorum, quae inſunt in data materia, illi, qui ea diiudicat.

Igitur ad corpus, quod per ſe debet et ſecundum poſſibilitatem ſuam internam vt finis naturae diiudicari, poſtulatur, vt partes eius cunctae ſeſe inuicem, cum quoad formam tum quoad coniunctionem, mutuo, atque ita totum aliquod ex propria cauſalitate producant, cuius viciſſim conceptus retro (in natura, quae cauſalitatem ex conceptibus eiusmodi producto conuenientem haberet) eius cauſa ex quodam principio fieri, proinde colligatio *cauſarum efficientium* ſimul *vt effectorum per cauſas finales* diiudicari poſſet.

In eiusmodi naturae producto quaeque pars, ita, vti per cunctas reliquas adeſt, etiam vt *reliquarum cauſa* ac

totius exſtans, nimirum vt organum cogitatur: quod vero non ſatis eſt (ea enim quoque organon artis eſſe poſſet atque ita ſolum vt finis omnino poſſibilis repraeſentari); verum vt *organon* partes reliquas (quaeque alteram mutuo) *producens*, cuiusmodi nullum artis organon eſſe poteſt, ſed ſolum naturae omnem organorum (ipſorum artis organorum) miniſtrantis: ac tum ſolum atque idcirco eiusmodi productum, vt *organiſata ſe ipſamque natura organiſans* poterit *naturae finis* adpellari.

In horologio pars organon motus eſt reliquarum, nec vero rota cauſa efficiens producendae alterius: pars quidem propter alteram adeſt, non vero per eam. Idcirco et cauſa producendarum illarum earumque formae efficiendae haud in natura (huius materiae) ineſt, ſed extra eam in natura, quae agere ſecundum ideas poſſit totius cuiuspiam per cauſalitatem ſuam poſſibilis. Quapropter, quominus rota rotam in horologia producit, eo minus quoque horologium efficit alterum, ita vt alia eo materia vteretur (organiſaret); nec proinde ſponte partes ſupplet ſibi ademtas, earumque defectum compenſat reliquarum acceſſione, ſe ipſumue deprauatum corrigit neque emendat: quae cuncta vero poſſumus ab natura organiſata exſpectare. — Ergo natura organiſata non ſolum machina eſt: haec enim ſolum vim habet *motricem;* verum vim *formatricem* habet, et eam quidem, quam cum materiis ea deſtitutis communicat (eas organiſat): ideo vim formatricem ſeſe propagantem, quae haud ex ſola poteſt vi motrice (mechaniſmo) explicari.

Ac de natura quidem eiusque in operibus organiſatis facultate perparum ſtatueris, ſi hanc quoddam *artis analogon* dixeris; tum enim artificem (naturam rationemque) extra illam cogitas. Natura ſe ipſam potius organiſat, et in vnaquaque productorum organiſatorum ſpecie, ad idem quidem exemplar, ſed tamen quoque cum variationibus conſentaneis, ad conſeruationem ſui ipſius pro re nata neceſſariis. Propius fortaſſe ad hanc proprietatem imperſcrutabilem accedes, ſi eam *analogon vitae* vocaueris: tum vero aut materia vt ſola materia proprietate eſſentiae ſuae con-

traria (hylozoiſmo) ornanda erit; aut illi alienum quoddam, quocum in *commercio verſetur* principium (anima) adiungenda: quo vero, ſi eiusmodi productum eſſe naturae productum debeat; materia organiſata vt illius animae inſtrumentum aut iam ſupponitur, illaque ne minimum quidem comprehenditur, aut anima artifex huiusce operis ſtatuenda, atque ita productum naturae (corporeae) detrahendum videtur. Vt vere dicam, organiſationi naturae nihil quidquam ineſt analogici cum vlla quapiam, quam nosmet nouimus, cauſalitate *). Pulcritudo naturae, idcirco quia rebus obiectis ſolum reſpectu reflexionis ſuper viſione earum *externa*, proinde tantummodo ob formam ſuperficiei attribuitur, iure poteſt artis analogon vocari. Sed *perfectio naturae interna*, qualis in iis rebus ineſt, quae ſolum eſſe poſſunt vt *fines naturae* et propterea naturae organiſatae dicuntur, ſecundum nullam vllius cuiuspiam cognitae nobis facultatis phyſicae ſeu naturalis analogiam, quin cum nosmet ipſi ad naturam in ſenſu latiſſimo pertineamus, ne per ipſam quidem analogiam adprime arti humanae conſentaneam cogitari poteſt atque enodari.

Quamobrem conceptus rei, vt finis naturae, haud conceptus eſt intelligentiae rationisue conſtitutiuus, ſed tamen eſſe regulatiuus poteſt facultati iudicandi reflectenti, ex remota cum noſtra ex finibus cauſalitate vniuerſe analogia inueſtigationis rerum huiusce generis ducendae de eiusque ratione ſuprema cogitando perſcrutanda; hoc poſterius quidem haud ad promouendam naturae eiusue cauſae pri-

*) Vice verſa certae cuidam coniunctioni poteſt, quae vero etiam potius in idea quam in exſiſtentia deprehenditur, per analogiam quamdam cum finibus naturae proximis, de quibus diximus, lux adferri. Sic nuper in inſtituta vniuerſa magni populi ad rempublicam transformatione, frequenter vſurpatum ſcite nouimus vocabulum *organiſationis* pro inſtitutione atque ordinatione magiſtratuum et ſic porro, ipſiusque corporis ciuilis. Etenim quodque membrum ſane quidem in eiusmodi toto non ſolum adiumentum, ſed ſimul quoque finis eſſe; dumque ad poſſibilitatem confert totius, viciſſim per ideam totius, ſecundum locum ſuum functionemque, determinatum eſſe debet.

mae cognitionem, ſed potius in gratiam eiusdem practicae in nobis facultatis rationalis, quacum cauſam illius formae finalis in analogia contemplati ſumus.

Naturae itaque organiſatae vnae ſunt ſolaeque in rerum natura, quae, etiamſi per ſe et ſine vlla ad res alias relatione conſiderentur, tamen tantummodo vt fines illius poſſibiles cogitandae ſunt, quaeque proinde conceptui *finis*, qui haud practicus eſt ſed *naturae* finis, realitatem obiectivam, eoque phyſicae fundamentum compararet teleologiae, id eſt, rationis rerum illi ſubiectarum ex peculiari principio quodam diiudicandarum, cuiusmodi alioquin in eam introduci nullo omnino iure poſſet (propterea quod poſſibilitas eiusmodi cauſalitatis nullo pacto poterit ex anticipatione perſpici).

§. 66.

De principio formae finalis internae in naturis organiſatis diiudicandae.

Hoc principium, idemque illius definitio ſic ſonat: *productum naturae organicum eſt id in quo omnia et fines mutuo ſunt et adiumenta.* Nihil in eo fruſtra eſt et ſine cauſa, nihil temerarium et ſine conſilio, aut caeco cuidam mechaniſmo phyſico attribuendum.

Quod principium quidem, quoad originem, ab experientia deriuandum eſt, ab ea nimirum, quae, via quadam et ratione artificioque inſtituta, obſeruatio vocatur; verum ob vniuerſalitatem neceſſitatemque, quam illud de eiusmodi forma finali enunciat, non poteſt ſolum in rationibus niti empiricis, ſed vllum quodpiam, neceſſe eſt, principium fundamento habeat, ex anticipatione, quamuis illud duntaxat regulatiuum foret, illique fines ſolum in idea diiudicantis ineſſent neque in vlla quapiam cauſa efficiente. Quocirca dictum illud principium *norma* poterit formae finalis naturarum organiſatarum internae diiudicandae adpellari.

Notum eſt, diſſectores plantarum et animalium, ad ſtructuram earum inueſtigandam rationesque perſpiciendas, cur atque ex quo conſilio tales partes, quare talis ſitus partium coniunctioque et haec ipſa forma interna iis data fuerit; normam illam: nihil in eiusmodi creata re *fruſtra* eſſe, tamquam prorſus neceſſariam ſumere, eique parem vim auctoritatemque conciliare, quam principio phyſices generalis, quod enunciat: *nihil* quidquam fieri *fortuito*. Ac ſane quidem ab hocce principio teleologice tam minus ſeſe poterunt abdicare, quam ab vniuerſali illo phyſico, quoniam, vti data occaſione principia poſterioris nulla omnino experientia, ita decreti prioris accepta anſa nullus dux relinqueretur in obſeruando rerum naturalium genere, quas ſemel teleologice ſub conceptu rerum naturalium cogitauimus.

Hic enim conceptus rationem in longe alium rerum ordinem ducit, quam ſolius mechaniſmi phyſici, qui nobis hic non amplius ſatis facit. Idea poſſibilitati producti naturae fundamento eſſe debet. Quae vero quia in vnitate verſatur abſoluta repraeſentationis, cum contra materia in multitudine rerum cernatur, quae per ſe non poteſt vnitatem determinatam ſuppeditare compoſitionis; ſequitur, vt, ſi vnitas illa ideae adeo debeat eſſe pro ratione determinandae ex anticipatione legis phyſicae cauſalitatis eiusmodi formae compoſiti, finis naturae ad *vniuerſa*, quae in illius producto ſunt, extendatur. Namque, ſi ſemel eiusmodi effectum *in toto* ad rationem determinandi ſupraſenſibilem vltra mechaniſmum caecum referamus, totum illud quoque ex hoc principio nobis diiudicandum videtur; neque eſt, cur formam eiusmodi rei partim adhuc ab hoc poſteriori vt pendentem ſumamus, quum tunc, diſſimilibus commixtis principiis, nulla omnino certa diiudicandi regula relinqueretur.

Sit ſane, vt, exempli gratia, in corpore animali quaedam partes poſſent vt concretiones ex legibus ſolum mechanicis comprehendi (vt pelles, oſſa, crines). Verum cauſa, qua aptam ad eam rem materiam miniſtrat, et ſic

mutat formatque et suis quamque locis reponit, semper teleologice diiudicanda est, ita vt omnia in eo oporteat vt organisata considerentur, et omnia quoque in certa quadam ad rem ipsam relatione vicissim organon videatur.

§. 67.

De principio diiudicationis teleologicae super natura generatim vt systemate finium.

Ac supra quidem formam finalem rerum naturalem *externam* diximus nullam facere potestatem idoneam, iis simul vt finibus naturae ad rationes vtendi exsistentiae illarum determinandae, effectisque fortuito finalibus earum in idea pro rationibus exsistentiae ex principio causarum finalium. Sic *flumina*, quoniam commercium promouent populorum in intestino terrarum, *montesque*, quia harum fontes continent niuiumque copiam ad earum fontes temporibus conseruandos, *loca* item terrarum *declinia*, quibus hae aquae abducuntur agrique siccantur, idcirco haud continuo pro finibus poterunt naturae reputari; siquidem, etsi haec forma superficiei terrae ad ortum conseruationemque regni et vegetabilis et animalis admodum necessaria fuit, tamen in sese nihil quidquam cohibet, ad cuius possibilitatem tete coactum sentires sumere ex finibus causalitatem. Idem de plantis valet, quibus homo ad necessitatem vtitur vel oblectationem: de bestiis, camelo, boue, equo, cane et caeteris generis eiusdem, quibus partim ad vescendum, partim ad operam et laborem iam multifariam vtitur, et maximam partem nullo prorsus modo potest supersedere. Rerum, quarum, non est, quod vlla per se qua finis spectetur, relatio externa potest tantummodo hypothetice vt finalis diiudicari.

Rem quampiam propter formam eius internam, vt finem naturae diiudicare, longe quiddam aliud est, quam exsistentiam huiusce rei pro fine naturae reputare. Ad hanc posteriorem adsertionem non solum conceptu opus est finis cuiusdam possibilis, sed cognitione scopi naturae, id quod

relatione illius indiget ad quidpiam supraſenſibile, omnem noſtram naturae cognitionem teleologicam longe ſuperante; namque finis ipſius exſiſtentiae naturae vltra naturam anquirendus videtur. Forma interna ſolius cuiuspiam culminis graminei originem ſuam ſolum ex regula finium poſſibilem, humanae iudicandi facultati noſtrae idonee, poteſt probare. Quodſi autem inde receſſeris, ſolumque vſum eorum reſpexeris, quem alia naturae entia ſibi concedunt, relictaque proinde organiſationis internae contemplatione, ſolum externas ſpectaueris relationes finales, quomodo gramen pecori, hominique pecus adiumento neceſſario exſiſtentiae ſit; nec videbis, quare neceſſe ſit, vt homines exſtent (ad quos, ſi forte de Neo-Hollandis cogites, haud ita facile poterit reſponderi): ad nullum vmquam finem categoricum peruenies, ſed vniuerſa haec relatio finalis conditione nititur vsque longius proferenda, quae vt abſoluta (exſiſtentia rei vt ſcopi) prorſus extra contemplationem mundi phyſico-teleologicam ſita videtur. Nec vero eiusmodi res tunc finis naturae eſt; ſiquidem ea (eiusque vniuerſa ſpecies) pro naturae eſt producto habenda.

Ergo ſolum materia, quatenus organiſata eſt, conceptum illius vt conceptum naturae neceſſario in ſe cohibet, quoniam haec forma ſua ſpecifica ſimul eſt productum naturae. Sed hoc conceptu neceſſario ducimur ad ideam vniverſae naturae vt ſyſtematis ex regula finium; cui vero ideae omnis naturae mechaniſmus ex principiis rationis (certe ad phaenomenon naturae in eo experiendum) ſubiici debet. Principium rationis illi tantummodo ſubiectiue proprium eſt, nimirum qua norma: omne in mundo ad vllum quidpiam bonum et vtile eſt; nihil in eo fruſtra eſt ac temerarium; exemploque, quod natura in productis ſuis proponit organicis, monemur ac iubemur, vt ne quidquam ab ea legibusque eius, quam quod in toto finale ſit, exſpectemus.

Per ſe patet, hoc non eſſe principium iudicandi facultatis determinantis, ſed ſolum reflectentis, porro illud regulatiuum eſſe, non vero conſtitutiuum, nos eoque

tantummodo ducem nancisci, ad res naturae respectu rationis cuiusdam determinantis, iamiam datae, ex ordine legali nouo contemplandas, physicamque ex alio quodam principio, nimirum caussarum finalium, saluo tamen caussalitatis illius mechanismo, dilatandam. Caeterum ea re minime decernitur, an vlla res quaepiam, quam ex hoc principio diiudicamus, *consulto* sit finis naturae; an gramina boni adsint cuiue, et an hacc caeteraeque res naturae adsint hominibus. Vtile est, ipsas res nobis iniucundas peculiarique respectu incongruas ac discrepantes ex hac parte considerasse. Sic exempli caussa dici posset: vermes, quibus homines infestantur in vestibus, crinibusue aut lectis, ex sapienti naturae consilio in stimulo esse ad puritatem et munditiem, quae iam per se est adiumentum grauissimum valetudinis conseruandae: muscas porro moscitanos aliaque insecta pungentia, quibus deserta Americana feris populis tam molesta redduntur, tot esse aculeos actionis istorum hominum, ad paludes deriuandas, densas syluas aeris meatum arcentes excaedendas, eoque, solo item colendo, sedem simul salubriorem reddendam. Ea ipsa, quae homini in organisatione eius interna aduersari videntur, si hoc modo tractentur, prospectum largiuntur oblectantem, nonnumquam quoque erudientem in ordinem rerum teleologicum, ad quem, sine eiusmodi principio, sola nos contemplatione physica numquam perduceremur. Quemadmodum nonnulli taeniam homini vel bestiae, in quo inest, quasi ad resarciendum certum quemdam defectum organorum vitalium datam esse iudicant: ita quaererem: anne somnia (quibus numquam somnus caret, quamuis solum raro eorum memineris) institutio naturae finalis sit, quippe quae in vniuersis viribus corporeis remittendis, eo conferunt, vt interuentu phantasiae magnaeque illius sedulitatis (in hoc statu plerumque vsque ad adfectum accrescentis) organa vitalia intus moueantur; vti ea quoque stomacho nimis repleto, vbi hic motus eo magis necessarius est, in somno nocturno plerumque eo maiori alacritate ludit; vt proinde sine hac vi intus atque inquietudine fatigante, qua de caussa somnia incusamus

(quae tamen fortasse reapse remedia sunt), somnus, in ipso statu sano, adeo fortasse vitae foret exspiratio.

Etiam pulcritudo naturae, nimirum concentus eius cum lusu libero virium cognoscendi nostrarum in adprehendendo diiudicandoque illius phaenomeno, hoc modo vt forma finalis obiectiua in toto suo potest, vt systema, cuius homo in articulis est, considerari; si semel diiudicatio illius teleologica per fines naturae, quos res organisatae nobis suppeditant, copiam nobis fecerit ideae de magno systemate finium naturae. Possumus eam vt gratiam *), qua nosmet natura excepit, spectare, vt praeter vtilitatem tam large et pulcritudinem illecebrasque disperserit, eamque idcirco amare, quemadmodum, propter immensitatem illius, eam venerabundi contemplamur, nos ipsosque in hac contemplatione meliores persentiscimus: quasi natura proprie hoc consilio theatrum suum exstruxerit atque exornarit.

Haud quidquam aliud hacce paragrapho dicere volumus, nisi, si semel in natura aperuissemus facultatem, producendi effecta, quae tantummodo ex conceptu causarum finalium possunt a nobis cogitari, nos longius progredi, et ea quoque, quibus (quorumue, quamuis finali, relatione) haud fere cogimur, vt vltra mechanismum causarum caecе efficientium aliud quoddam illorum possibilitatis principium anquiramus, tamen vt ad systema finium pertinentia diiudicare posse; quoniam iam idea posteriori, ratione fundamenti illius, vltra nos mundum sensibilem perducimur: vbi vnitas principii suprasensitiui non solum

*) In parte aesthetica diximus: *naturam nos pulcram cum gratia* contemplari; propterea quod formam illius libera prorsus (nulloque inuitamento capta) complacentia prosequimur: namque in hoc solo gustus iudicio ratio minime habetur, quem in finem haec pulcritudines naturae exstent: vtrum vt nobis iis voluptas excitetur, an vt fines sint sine vlla earum ad nos relatione. Verum in iudicio teleologico etiam ad hanc relationem animum aduertimus; et tum *vt gratiam naturae spectare* possumus, quod ea, propositis tot formis pulcris, nostram voluerit culturam promouere.

ad certam quamdam rerum naturae formam, ſed ad totum naturae, vt ſyſtema, eodem modo valens conſideranda videtur.

§. 68.

De principio teleologiae vt principio interno phyſices.

Principia ſcientiae cuiusdam aut *intus* in ea poſita ſunt, et *domeſtica* dicuntur; aut in conceptibus conſtituta, quibus ſolum locus extra eam eſſe poteſt, et *externa* principia vocantur et *peregrina.* Scientiae, quibus principia peregrina continentur, doctrinis ſuis lemmata fundamento ſubiiciunt; id eſt, vllum eae quempiam conceptum, cum eoque rationem ordinandi, ab alia quadam ſcientia mutuantur.

Vnaquaeque ſcientia per ſe ſyſtema eſt; neque ſufficit, vt in ea ex principiis aedificemus ideoque technice agamus, verum ea quoque, quaſi aedificium in ſeſe conſiſtens, architectonice quoque tractanda elaboranda, neque velut adiunctionem partemque alius cuiusdam aedificii, ſed vt totum quoddam per ſe tractanda, etſi poſthac fieri tranſitus poterit ex hoc in illud aut mutuo.

Quodſi igitur in gratiam phyſices in illiusque contextum conceptus de deo inferatur, vt forma finalis naturae intelligatur, et deinde haec forma finalis viciſſim vſurpetur, ad, deum eſſe, euincendum: neutrius ſcientiae vis valorque interna eſt fallacique dialecttice quaeque in diſcrimen vocatur, eo quod iis fit, vt fines confundantur.

Vocabulum finis naturae huic confuſioni tam ſatis cauet, ne phyſica atque occaſio, quam ea ad res ſibi ſubiectas *teleologice* diiudicandas praebet, cum contemplatione dei ideoque deriuatione *theologice* commiſceatur; neque parum intereſſe putandum eſt, vtrum vocabulum illud cum verbo permutetur finis diuini in ordinanda natura, an ſere adeo finis diuinus aptior piaeque menti conuenientior declaretur, quoniam poſtremo tamen formae illae in natura finales a ſapiente mundi auctore deriuandae viderentur;

verum vt diligenter nos modesteque ad vocabulum adstringamus, quod tantumdem enunciat, quantum scimus, nempe finis naturae. Antequam enim ipsam naturae caussam quaeramus, in natura generationumque illius itinere eiusmodi producta inuenimus, quae secundum notas leges experientiae in ea gignuntur, ex quibus physicae res sibi subiectae iudicandae sunt, proinde earum quoque caussalitas ex regula finium in ea ipsa quaerenda videtur. Idcirco terminos suos haud transuolare debet, vt id, cuius conceptui nulla omnino potest experientia conuenire, et quod absoluta demum physice gradiendi iure queas, in eam ipsam vt principium domesticum inferamus.

Qualitates naturales, quae ex anticipatione demonstrari possunt, ideoque quoad possibilitatem ex principiis vniuersalibus sine vlla experientiae accessione perspici, tamen haud poterunt, quamuis formam finalem technicam in sese cohibeant, quoniam simpliciter necessariae sunt, vllo modo ad teleologiam naturae, vt viam methodumque physicae propriam ad quaestiones illius soluendas, adnumerari. Analogiis arithmeticis et geometricis, itemque legibus mechanicis vniuersalibus, etiamsi coniunctio diuersarum specie ab se inuicem prorsus liberarum regularum in principio maxime aliena in iis et admirabilis videatur, idcirco nullum ius inest, quo esse queant teleologicae in physica rationes explicandi; et quamquam dignae sunt, quae in vniuersali formae finalis rerum naturae in vniuersum theoria sub contemplationem vocentur, ea tamen aliorsum, nempe ad metaphysicam pertineret, nullumque principium physices internum constitueret: vti sane in legibus finium naturae empiricis in rebus organisatis non solum licet, verum etiam euitari non potest, quo minus *ratio diiudicandi* teleologica pro principio vsurpetur physices respectu peculiaris cuiusdam classis rerum ei propositarum.

Igitur physice, vt diligenter intra suos sese terminos contineat, temperat sibi atque abstinet a quaestione prorsus, vtrum fines naturae *ex consilio* sint an *inconsulto;* id enim immixtio foret in negotium alienum (nimirum meta-

physices). Sufficit, vt ex legibus naturae, quas nobis solum sub idea finium possumus vt principium cogitatione informare, res sint vnae solaeque *enodabiles*, et hoc solum modo, secundum internam formam earum, adeoque tantummodo interne *cognoscibiles* videantur. Vt ne igitur ne minimam arrogantiae suspicionem excitemus, ac si quidpiam, quod nullo pacto ad physicam pertinet, nimirum causam supranaturalem, nostris cognoscendi rationibus immiscere velimus; loquimur quidem de natura in teleologia, quasi forma finalis in ea consulto sit, sed simul tamen ita, vt naturae, hoc est, materiae, istum finem tribuamus; quo (quoniam de eo nulli esse errori locus potest, propterea quod nemo fere sponte materiae inanimi in sensu verbi proprio finem attribuet) indicare volumus, hoc vocabulo hoc loco duntaxat principium denotari facultatis iudicandi reflectentis, non vero determinantis, ideoque nullam eo peculiarem causalitatis rationem introduci debere, verum etiam solum ad vsum rationis aliud inuestigationis genus, quam quod ex legibus est mechanicis, addatur, vt harum imperfectio, ad ipsam conquisitionem empiricam omnium naturae legum singularium, expleatur. Idcirco in teleologia, quatenus ad physicem accensetur, rectissime de sapientia dicimus, de parsimonia, de prouidentia, de beneficentia naturae, neque eam tamen naturam facimus intelligibilem (quippe quod absurdum foret); sed neque tamen audemus, aliam supra illam intelligibilem naturam, vt fabricatorem atque architectum, statuere quoniam hoc temerarium foret: verum eo solum genus quoddam causalitatis naturae, ad quamdam cum nostra analogiam debet in vsu rationis technico designari, vt regula ob oculos versetur, ex qua certa quaedam sunt naturae producta inuestiganda.

Ecquid autem causae est, quare teleologia nullam soleat partem physices theoreticae peculiarem absoluere, sed vt propaedeutica transitione ad theologiam numeretur? Hoc fit propterea, vt studium naturae ex mechanismo in eo firme teneatur, quod obseruationi nostrae experimen-

tisue ita subiicere possimus, vt illud instar naturae, saltem quoad legum similitudinem, ipsi possemus producere; tantum enim duntaxat perspicimus, quantum ex conceptibus ipsi efficere possumus atque absoluere. Verum organisatio, vt finis naturae internus, omnem infinite superat facultatem similis per artem exhibitionis: atque institutorum quidem externorum naturae pro finalibus putatarum (veluti ventorum, pluuiarum et similium) physice mechanismum quidem contemplatur; sed relationem eorum ad fines, quatenus haec esse conditio debet ad caussam necessaria, nullo ea modo potest exhibere, quoniam haec connexionis necessitas tota coniunctionem nostrorum conceptuum spectat, non vero qualitatem rerum atque naturam.

SECTIO POSTERIOR.

DIALECTICE FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.

§. 69.

Quid antinomia sit facultatis iudicandi?

Facultatis iudicandi *determinantis* per fese nulla principia funt, quibus *conceptus rerum obiectorum* fundentur. Ea non autonomia eft; fiquidem ea tantummodo ad leges datas, conceptusue, vt principia adfumit. Ob eam ipfam caufam neque periculo fuae ipfius antinomiae expofita eft, neque pugnae principiorum. Sic vim iudicandi transfcendentalem, conditiones in fefe cohibentem fubfumendi ad categorias, vidimus per fe haud *nomotheticam* effe; fed tantum conditiones indicare, quibus conceptui cuidam dato, vt legi intelligentiae, realitas (vfus) dari poffit: qua de re numquam fecum ipfa poterit (certe fecundum principia) in disfenfionem incidere.

Verum facultas iudicandi reflectens ad legem debet nondum datam adfumere, quae proinde reapfe tantummodo principium eft reflexionis fuper rebus obiectis, quarum nobis prorfus deeft lex obiectiua, conceptusue obiectae rei ad principium caufarum obuiarum idoneus. Cum nullus cognofcendi virium vfus concedi fine principiis liceat, facultas iudicandi reflectens in eiusmodi caufis fibi ipfa effe principio debebit: quod, quoniam haud obiectiuum eft, nullamque cognofcendae rei obiectae rationem poteft ad confilium idoneam fubiicere, vt folum fubiectiuum principium, ad vfum virium cognofcendi finalem effe debet. Ergo refpectu eiusmodi caufarum facultati iudicandi reflectenti normae funt, et quidem neceffariae, ad leges naturae in experientia cognofcendas, vt iis conceptus nancifca-

tur, etiamſi rationales forent; cum ſimpliciter earum indiget, ad naturam ex legibus empiricis ſolum cognoſcendam. — Harum igitur normarum facultatis iudicandi reflectentis pugnae, proinde antinomiae, eſſe locus poterit: quo quidem quaedam nititur dialectice, quae, ſi cuiusque duarum normarum pugnantium in natura virium cognoſcendi fundamentum ſit, dialectice poteſt naturalis vocari, illuſioque ineuitabilis, in critica, ne decipiat, denudanda atque enodanda.

§. 70.
Repraeſentatio huius antinomiae.

Ac ratio quidem, quatenus in natura occupatur, vt complexu rerum ſub ſenſus externos ſubiectarum, niti legibus poteſt, quas intelligentia partim ipſa ex anticipatione naturae praeſcribit, partim per determinationes empiricas in experientia obuias, in infinitum poteſt dilatare. Verum legum quidem peculiarium, quae nobis ſolum innoteſcere per experientiam poſſunt, permagna eſſe varietas disſimilitudoque poteſt, ita vt facultatem iudicandi ſibi ipſi eſſe principio oporteat, vt vel modo in naturae phaenomenis legem anquirat et expiſcetur, propterea quod ea opus habet duce, ſi cognitionem experientiae contextam atque continuam ſecundum legalitatem naturae perpetuam, vnitatem illius ex legibus empiricis vel modo debeat ſperare. In hac igitur vnitate fortuita legum ſingularium fieri poteſt, vt facultas iudicandi in reflexione ſua a duabus normis proficiſcatur, quarum vnam ſibi intelligentia ſola ex anticipatione miniſtrat, altera vero peculiaribus experientiis naſcitur, quibus ratio mouetur, ad diiudicationem naturae corporeae eiusque legum ex peculiari quodam principio inſtituendam. Tum itaque fit, vt hae duae normae haud facile ſimul conſiſtere poſſe videantur, proinde dialectica quaedam emergat, qua iudicandi vis in principio reflectendi confunditur.

Prior norma illius hoc *pronunciato* continetur: omnis rerum materialium earumque formarum geneſis, vt ex legibus ſolum mechanicis poſſibilis, diiudicanda eſt.

Altera dein *norma* in *antithesi* versatur: quaedam naturae materialis producta non possunt, tamquam ex solis legibus mechanicis possibilia diiudicari (eorum diiudicatio opus habet longe alia causalitatis lege, nimirum lege causarum finalium).

Quae quidem decreta inuestigationis regulatiua, si nunc in constitutiua mutares, possibilitatis ipsarum obiectarum rerum, sic se haberent:

Thesis: Omnis rerum materialium genesis fieri potest ex legibus solum mechanicis.

Antithesis: Nonnullae illarum geneses fieri non possunt ex legibus solum mechanicis.

In hac qualitate posteriori, vt principia obiectiua facultati iudicandi determinanti data, sibi inuicem repugnarent, proinde altcrutra enunciatio necessario falsa foret; verum id tum quidem antinomia foret, neque tamen facultatis indicandi, sed pugna in legislatione rationis. Sed ratio nec vnum potest nec alterum istorum decretorum probare; siquidem possibilitatis rerum ex legibus naturae solum empiricis determinandae nullum nobis esse principium potest ex anticipatione.

Contra prior illa quidem, quam proposuimus, facultatis iudicandi reflectentis norma nullam reuera repugnantiam continet. Cum enim dico: omnia naturae materialis euenta, proinde omnes quoque formae, vt producta illius, quoad possibilitatem, ex legibus mihi solum mechanicis *diiudicanda* sunt; non ita dico, vt ea *fieri ex iis solum queant;* sed hoc volo, me semper *debere* super iis *ex principio reflectere* solius mechanismi naturae, proinde hunc, quoad possim, inuestigare, quoniam, eo haud fundamento posito inuestigationis, nulla omnino propria naturae cognitio esse potest. Quo vero altera norma, data occasione, haud impeditur, quo minus scilicet quarumdam naturae formarum (earumque occasione adeo vniuersae naturae) principium quoddam anquirat, de iisque reflectat, quod quidem ab explicatione secundum mechanismum

naturae, quippe principio caufarum finalium prorfus abhorret. Namque reflexio ex priori norma eo haud tollitur potiusque praecipitur, vt, quoad eius fieri poffit, eam perfequamur; neque eo dicitur, formas iftas non poffe fieri ex mechanifmo naturae. Hoc folum adferitur: *rationem humanam*, in iis hoc modo fequendis, numquam eorum, quibus ratio efficitur fpecifica finis naturae, poffe minimam caufam, fed fane quidem alias legum naturalium notitias inuenire; in quo vero in medio relinquitur, anne in caufa naturae interna nobis ignota coniunctio phyfico-mechanica finiumque in iisdem rebus in quodam principio cohaereant: fed noftra ratio eas non poteft in eiusmodi principio coniungere, ideoque iudicandi vis, vt (ex principio fubiectiuo) *reflectens*, non vero vt (ex principio poffibilitatis rerum per fe) determinans, cogitur, certis quibusdam in natura formis aliud principium, quam mechanifmi, vt caufam poffibilitatis illarum cogitare.

§. 71.

Praeparatio ad enodationem fuperioris antinomiae.

Impoffibilitatem generationis productorum naturae organifatorum nullo modo poffumus ex folo naturae mechanifmo probare, quoniam infinitam illam peculiarium legum naturae, nobis fortuitarum, varietatem, cum folum cognofcantur empirice, fecundum primam rationem internam perfpicere, atque ita principium poffibilitatis naturae internum perpetuo idoneum (quod ineft in ratione fuprafenfibili) nullo pacto adfequi poffumus. Anne facultas naturae productiuae ad ea quoque, quae, vt ad ideam formata finium vel coniuncta, diiudicamus, perinde eorum, ad quae folum re nobis opus videtur naturae mechanica, idonea fit; an porro reapfe rerum vt propriorum naturae finium (vti eas neceffario diiudicare debemus) longe aliud genus caufalitatis originariae, quae nullo modo poteft in natura materiali fubftratoue illius intelligibili ineffe, nempe intelligentia architectonica fundamento fubfit: de eo quidem ratio noftra arctiffime limitata refpectu conceptus cau-

ſalitatis, ſi ex anticipatione debeat conſignari, nihil quidquam certi poteſt docere. — Verum, reſpectiue ad noſtram cognoſcendi facultatem, ſolum naturae mechaniſmum non eſſe rationem poſſe generationis naturarum organiſatarum, pariter indubitato certum videtur. Quapropter *facultatis iudicandi reflectentis* verum decretum hoc eſt, coniunctionis rerum ex cauſis finalibus cauſalitatem oportere a mechaniſmo diuerſam, nimirum cauſae mundi ex finibus agentis (intelligentis) cogitari; quamuis illud maxime temerarium fuerit et haud probandum facultati iudicandi *determinanti*. Superiori caſu illud in ſolis normis eſt iudicandi facultatis, in quo conceptus cauſalitatis ſola idea eſt, cui nullo modo realitatem concedimus, ſed qua tantum vtimur duce reflexionis, quae praeterea vniuerſis explicandi rationibus mechanicis ſemper patet, neque ex mundo ſenſibili emigrat; altero autem caſu illud decretum principium foret obiectiuum, quod ratio praeciperet cuique iudicandi vis ſeſe determinans deberet ſubiicere, in quo vero vltra mundum ſenſibilem in ſupraſenſibilia ſe implicit, et fortaſſe in errores praecipitatur.

Quamobrem vniuerſa ſpecies antinomiae in normis explicandi rationis proprie phyſicae (mechanicae) et teleologicae (technicae) poſita in eo eſt, quod decretum iudicandi facultatis reflectentis cum decreto facultatis determinantis et *autonomiam* prioris (quae ſolum ſubiectiue ad vſum rationis noſtrum reſpectu ſpecialium legum experientiae valet) cum *heteronomia* alterius, quae leges ſequi debet ab intelligentia promulgatas (vniuerſales vel ſpeciales) permutamus.

§. 72.

De variis ſyſtematibus ſuper formam finalem naturae.

Nemo vnquam de vanitate dubitauit principii: de certis quibusdam naturae rebus (organiſatis) earumque poſſibilitate ex conceptu cauſarum finalium iudicandum eſſe, vel modo ſi, vt earum qualitatem obſeruando cognoſcamus, *filum Ariadnaeum* deſideremus, neque tamen

ad primam earum originem inuestigandam accedimus. Ergo quaeri solum poterit: vtrum istud principium tantummodo subiectiue valeat, videlicet solum norma sit facultatis iudicandi nostrae, an principium naturae sit obiectiuum, ex quo illi, praeter mechanismum (ex solis motus legibus), et aliud causalitatis genus competat, nimirum causarum finalium, quibus illae (virium motricium) solum vt causae intermediae subsint.

Iam haec quaestio siue problema contemplationi proposita, prorsus in medio possemus atque inenodatam relinquere; quoniam, si cum posteriori intra terminos solius cognitionis physicae contenti simus, illae normae nobis sufficiunt, ad naturam, quantum vires humanae permittunt, inuestigandam, arcanaque illius occultissima perscrutanda. Igitur quadam quasi rationis nostrae diuinatione, nutuue quasi quodam nobis ab natura dato fit, vt ope conceptus illius causarum finalium fere adeo vltra naturam pertinere, eamque ipsam in summo loco seriei causarum adnectere possemus, perscrutatione naturae (quamuis nondum in ea longe progressi simus) relicta, vel certe aliquamdiu intermissa, ante experiremur percontari, quo ille alienigena in physice, nimirum conceptus finium naturae, ducat.

Hoc quidem loco sane indubitata norma illa in quaestionem transiret, amplum concertationum campum aperientem: vtrum nexus finalis in natura peculiare quoddam causalitatis illius *probet;* an per se atque ex principiis obiectiuis spectata, non potius idem sit ac mechanismus naturae, an vno eodemque fundamento nitatur: quamquam modo, cum istud inuestigationi nostrae in quibusdam productis naturae nimis sit profunde abditum, in principio subiectiuo, nimirum artis, hoc est, causalitatis ex ideis experiamur, vt eas naturae secundum analogiam subiiciamus; id quod nobis quoque saepenumero succedit, nonnumquam quidem minus videtur succedere, quod vero omnino nullam nobis potestatem facit, peculiaris cuiuspiam, a causalitate ex legibus naturae solum mechanicis diuersum

efficiendi genus in phyſicam introducendi. Rationem (cauſalitatem) naturae, propter ſimilitudinem finalem, quam in productis illius deprehendimus, technicam vocabimus, quam in technicam *intentionalem*, et *naturalem* deſcribemus. Superioris ea vis eſt, vt facultas naturae productiua ex cauſis finalibus peculiare quoddam cauſalitatis genus eſſe exiſtimari oporteat; alterius: vt ea facultas proprie eadem ſit ac mechaniſmus naturae, fortuitusque cum noſtris conceptibus technicis eorumque regulis concentus, vt ſola ſubiectiua eorum diiudicandorum conditio, ſalſo pro peculiari generationis phyſicae genere accipiatur.

Cum in praeſenti de ſyſtematibus loquimur explicationis phyſicae, reſpectu cauſarum finalium, probe notandum eſt, ea cuncta dogmatice, hoc eſt, de principiis poſſibilitatis rerum obiectiuis, ſiue ex cauſis intentionalibus, ſiue ſolis naturalibus, inuicem inter ſe diſcrepare, non autem fere de norma ſubiectiua, cauſam eiusmodi productorum finalium ſolum iudicandi: quo poſteriori loco principia *diſparata* commode quidem poſſent coniungi, cum contra in ſuperiori caſu *ex repugnantia contraria* ſe inuicem tollere poſſunt nec ſimul conſiſtere.

Syſtemata reſpectu technices naturae, id eſt virtutis eius productiuae ex regula finium, duo ſunt: et *idealiſmus*, et *realiſmus* finium naturae. Idealiſmus in ſententia cernitur eorum, qui omnem formam naturae finalem eſſe *naturalem* perhibent; ſed *realiſmus* finium ſtatuit, quasdam illius (in rebus organiſatis) *intentionales* eſſe; vnde porro conſecutio vt hypotheſis fundata elici poſſet, technicam naturae, etiam, quod alia omnia eius producta attinet reſpectu totius naturae, intentionalem, hoc eſt, finem eſſe.

1) *Idealiſmus* formae finalis (hoc loco ſemper obiectiuam intelligo, aut *caſualitatis* eſt, aut *fatalitatis*, naturae in forma finali productorum ſuorum determinandae. Principium prius relationem attingit materiae ad rationem formae illius phyſicam, nimirum ad leges motus; alterum rationem earum totiusque naturae *hyperphyſicam* ſpectat. Syſtema *caſualitatis*, quod Epicuro vel Democrito tribui-

tur. ad literam sumtum, tam aperte absurdum est atque absonum, vt nosmet nequeat morari; contra systema fatalitatis (cuius auctor perhibetur Spinoza, quamquam multo videtur antiquius), quod ad quidpiam suprasensibile provocat, quo proinde intellectus noster haud pertinet, haud ita facile refelli potest: propterea quod eius conceptus de ente originario nullo modo intelligi potest. Tantum autem manifestum est: nexum in mundo finalem accipiendum esse in eo vt naturalem (quoniam is ab ente originario et primo, non vero ab eius intelligentia, proinde ab nullo fine illius, verum ex necessitate eius naturae atque inde descendente mundi vnitate deriuatur), proinde fatalismus formae finalis simul eiusdem idealismus videtur.

2) Iam vero *realismus* formae finalis naturae aut physicus est, aut hyperphysicus. Realismus *physicus* fines naturae in analogo constituit facultatis cuiuspiam secundum finem agentis, in *vita materiae* (in ea, vel etiam per principium aliquod internum, animam mundi); diciturque *hylozoismus*. Sed realismus *hyperphysicus* eos ab ratione totius rerum vniuersitatis originaria, vt natura intelligente consulto producente (originarie viuente) deriuat; et *theismus* vocatur *).

§. 73.

Nullum superiorum systematum id, quod pollicetur, praestat.

Ecquid cum vniuersis systematibus istis? Nostra ea volunt de natura iudicia teleologica explanare, et ita rem

*) Ex quo intelligitur: in plerisque rebus rationis purae contemplatiuis, adsertionum dogmaticarum respectu, scholas philosophorum plerumque omnes, quae fieri possunt certae cuiuspiam quaestionis enodationes tentasse. Sic de forma finali naturae modo aut *materiam inanimatam*, aut *deum inanimum*, modo vel *materiam animatam* vel *deum animum* in hanc rem tentarunt. Nobis nihil relinquitur, nisi, si res postulet, vt, cunctis hisce *adsertionibus* obiectiuis missis, iudicium nostrum duntaxat respectu virium cognoscendi nostrarum critice perpendamus, vt principio earum valorem normae comparemus, nisi dogmaticum, certe tamen ad certum rationis vsum idoneum.

adgrediuntur, vt pars veritatem eorum neget, proinde ea pro idealismo declaret naturae (vt artis repraesentatae); pars ea vt vera agnoscat, possibilitatemque naturae ex ideis causarum finalium euincere polliceatur.

1) Systemata idealismum causarum finalium in natura propugnantia partim quidem in principio illarum causalitatem ex legibus motus (quibus fit, vt res naturae finaliter exstent) concedunt; sed negant in ea *intentionalitatem*, nimirum eam consulto esse ad hanc productionem intentionalem determinatam, siue, quod idem erit, finem causam esse. Haec ratio *Epicuri* est, vi cuius discrimen technices naturae a sola mechanico prorsus negatur, et non solum conuenientiae generatorum productorum cum nostris de fine conceptibus, proinde technices, sed ipsarum causarum huiusce ex motus legibus generationis determinandarum, proinde mechanices pro ratione explicandi casus fortuitus sumitur, ergo nihil quidquam, ne species quidem in iudicio teleologico nostro explicatur, proinde idealismus in eo nullo modo probatur.

Contra *Spinoza* omni nos causae possibilitatis finium naturae possibilitate eo putat supersedere, ideaeque isti omnem realitatem demi, quod eos omnino haud esse producta, sed accidenti enti originario adhaerentia, ponit, neque enti huic, vt substrato illarum rerum naturae, respectu earum, causalitatem tribuit, sed solum subsistentiam, et (propter necessitatem illius absolutam, cum rebus naturae vniuersis, vt accidentibus illi inhaerentibus) formis naturae vnitatem quidem rationis, ad vniuersam formam finalem necessariae, cauet, sed simul tamen naturam illis fortuitam, sine qua nulla potest *finium vnitas* cogitari, eripit, cum eaque omne *intentionale*, vti causae rerum naturae originariae omnem intelligentiam, tollit.

Nec vero, quae pollicetur, *spinozismus* praestat. Rationem vult nexus finalis quem haud negat, rerum naturae enodandi indicare, solumque vnitatem adfert subiecti, cui omnes inhaerent. Verum, hoc exstandi modo rerum mundanarum ei concesso, tamen vnitas illa ontologica

idcirco nondum continuo est *vnitas finium*, eamque nullo pacto docet. Nempe vnitas finium est genus illius prorsus peculiare, quae ex nexu rerum (mundanarum) in quodam subiecto (ente originario) nullo modo sequitur, sed necessario relationem ad *caussam* intelligentem inuoluit, adeoque, vniuersis hisce rebus in quodam subiecto coniunctis, numquam tamen exhibet finium relationem; nisi primo inter eas *effecta* substantiae, vt *caussae*, interna; deinde eiusdem, vt caussae per *intelligentiam*, cogitentur. Sine his conditionibus formalibus omnis vnitas sola est necessitas physica, quae, si nihilominus rebus attribuatur, quas nobis vt extra se repraesentamus, in necessitate caeca versatur. Quodsi autem id, quod schola perfectionem rerum transscendentalem (respectu propriae earum essentiae), qua cuncta, quae postulantur, rebus insint, vt res ea sit nec vlla alia, formam naturae finalem vocabis: pueriliter in verbis ludes pro conceptibus. Etenim, si cunctae res cogitandae sint vt fines, proinde rem esse idem notet ac finem esse, reapse nihil erit, quod singillatim mereret vt finis repraesentari.

Ex quo sane intelligitur: Spinozam eo, quod conceptus nostros de forma naturae finali ad conscientiam nostri ipsius in natura vniuersa complectente (simul tamen simplici) reuocaret, illamque formam solum in vnitate inesse crederet naturae, non realismum, sed idealismum formae finalis illius adserendum sibi propositum habuisse, neque eam ipsam tamen efficere potuisse, quoniam sola vnitatis substrati repraesentatione ne idea quidem formae finalis, vel naturalis modo, effici potest.

2) Qui *realismum* finium naturae non solum defendunt, verum etiam explicare putant, peculiare quoddam caussalitatis genus, caussarum nimirum ex intentione efficientium, certe quoad possibilitatem arbitrantur posse sese perspicere. Vt enim potestas sit hypotheseos, saltem *possibilitas* eius, quod pro ratione accipitur, *certa* esse debet, eiusque conceptui, oportebit, realitas obiectiua possit caueri.

Sed possibilitas materiae viuae (cuius conceptui repugnantia inest, quoniam inertia naturalem illius characterem constituit) ne cogitari quidem potest; possibilitas naturae animatae vniuersaeque naturae, vt animantis, tantummodo (in vsum hypotheseos formae finalis in natura magna) tenuiter potest vsurpari, quatenus in organisatione illius, in minimis, per experientiam manifestatur, nullo pacto vero ex anticipatione potest quoad possibilitatem perspici. Igitur in orbem definiatur, necesse est, si formam finalem naturae in rebus organisatis velis e vita materiae deriuare, eamque vitam vicissim non nisi in rebus organisatis noris, proinde sine eiusmodi experientia nullam tibi queas de possibilitate illius cogitationem informare. Ergo hylozoismus id non praestat, quod pollicetur.

Nec *theismus* denique possibilitatem finium naturae potest vt teleologiae clauem dogmatice constituere; quamquam omnium illius enodandae rationum solus in eo principatum tenet, quod per intelligentiam, quam enti originario tribuit, formam naturae finalem idealismo optime eripit, causalitatemque illius generandae intentionalem introducit.

Tum enim primo, iudicandi facultati determinandi idonee, impossibilitas vnitatis finium in materia per solum mechanismum illius deberet euinci, quo iure possis rationem illius vltra naturam certo modo quodam determinatoque constituere. Verum nihil quidquam amplius effici potest, quam vt pro natura cancellisque virium cognoscendi nostrarum (neque enim ipsam rationem internam primam huiusce mechanismi perspicimus) nullo pacto in materia intelligamus principium relationum finium determinatarum quaerendum esse, nobisque nullum prorsus generationis productorum illius, vt finium naturae, diiudicandae modum relinqui, quam qui per intelligentiam supremam efficitur, vt mundi causam. Haec vero ratio est reflectentis, non vero determinantis iudicandi facultatis, neque vllo modo potest nobis potestatem facere adsertionis obiectiuae.

§. 74.

Caufa impoffibilitatis conceptum technices naturae dogmatice tractandi eft inenodabilis ratio finis naturae.

Conceptum (quamuis empirice hypotheticum) tractamus dogmatice, cum eum aliquo quodam obiectae rei conceptu, principium conftituendae rationis, comprehenfum fpectamus, huicque conuenienter determinamus. Sed tractamus illum folum critice, cum eum tantummodo refpectu ad vim cognofcendi noftram habito, confideramus, neque de re illi fubiecta quidpiam decernere audemus. Itaque tractio conceptus dogmatica ea eft, quae folum iudicandi facultati determinanti, fed critica quae reflecteuti legalis eft.

Atqui conceptus rei vt finis naturae conceptus eft, naturam ad caufalitatem, folum per rationem cogitabilem, adfumens, vt ex hoc principio de iis iudicetur, quae de obiecta re funt in experientia data atque oblata. Vt eo vero dogmatice in gratiam facultatis iudicandi determinantis vti poffemus, ante de realitate obiectiua huius conceptus effe certi deberemus, quoniam alioquin nullam rem poffemus naturae ad illum adfumere. Sed conceptus rei vt finis naturae empirice quidem hypotheticus eft, id eft, folum cum certis quibus adiunctionibus in experientia datis poffibilis, fed ab ea tamen haud feparandus atque abftrahendus, fed modo ex quodam rationis principio in diiudicanda re obiecta poffibilis conceptus. Itaque is vt tale principium quoad realitatem obiectiuam fuam (nimirum fibi conuenienter fieri rem quampiam obiectam poffe) nullo modo perfpici poteft dogmaticeque fundari atque conftitui; neque fcimus, vtrum folum conceptus ratiocinans fit et obiectiue inanis, an conceptus ratiocinatus, cognitionemque fundans atque conftituens et ab ratione confirmatus. Ergo is non poteft dogmatice in vfum facultatis iudicandi determinantis tractari, fcilicet non poteft folum haud ftatui ac decerni, an res naturae, vt fines naturae fpectatae, ad genefin

ſuam cauſalitatem generis cuiusdam prorſus peculiaris poſtulent, nec ne; ſed quaeri ne quidem illud poteſt, quoniam conceptus finis naturae ſecundum obiectiuam ſuam realitatem nullo prorſus modo poteſt ex ratione probari (id eſt, is facultati iudicandi determinanti haud conſtitutiuus eſt, ſed reflectenti ſolummodo regulatiuus).

Rem autem haud ſic ſe habere, inde planum eſt, quoniam is, qua conceptus *producti naturae*, neceſſitatem et ſimul tamen naturam fortuitam formae rei obiectae (reſpectu ſolarum naturae legum) in eadem vt fini in ſe cohibet; proinde, niſi in eo ineſſe haud repugnantia debeat, rationem poſſibilitatis rei in natura, et tamen etiam rationem poſſibilitatis huiusce naturae ipſius eiusque ad quidpiam relationis, quod non eſt natura empirice cognoſcibilis, continere debet, vt ex alio quodam cauſalitatis genere quam mechaniſmi naturae queat diiudicari, ſi de poſſibilitate eius velis ſtatuere. Cum igitur conceptus rei, vt finis naturae *facultati iudicandi determinanti* transſcendens ſit, ſi res obiecta per rationem ſpectetur (quamuis forte facultati iudicandi reflectenti reſpectu rerum ſub experientiam ſubiectarum immanens videatur), proinde ei non poſſit iudiciorum determinantium realitas obiectiua impertiri; inde comprehendi poteſt, quomodo vniuerſa ſyſtemata, quae vmquam poſſunt conceptus finium naturae ipſiusque naturae vt totius cuiusdam per cauſas finales cohaerentis dogmatice tractandi, excogitari, neque obiectiue aiendo, nec ſubiectiue negando, vllum quidpiam queant ſtatuere; quoniam, ſi res ad conceptum adſumuntur, ſolum problematicum, praedicata illius ſynthetica (veluti hoc loco: vtrum finis naturae, quem ad generandas res cogitamus, intentionalis an naturalis ſit) eadem iudicia (problematica) de re obiecta ſint, neceſſe eſt, ſiue aientia ſint ſiue negantia, propterea quod neſcias, de quapiam re iudices, an de nihilo. Conceptui cauſalitatis per fines (artis) ſua ſane realitas obiectiua eſt, pariterque conceptui cauſalitatis ex mechaniſmo naturae. Verum conceptus cauſalitatis naturae ex regula finium, multo magis autem

naturae, cuiusmodi nobis nullo modo poteſt per experientiam proponi, talis nimirum, vt cauſae originariae naturae, ſine repugnantia cogitari quidem poteſt, neque tamen ad determinationes dogmaticas idoneus videri; ſiquidem illi, cum capi ex experientia nequeat, etiam ad poſſibilitatem illius haud neceſſarius ſit, nulla re poteſt de realitate obiectiua ſua prouideri. Verum etiamſi hoc eueniret; qui res potero, pro productis artis diuinae determinate declaratas, productis naturae adnumerare, cuius impotentia, eiusmodi ad leges ſuas producendi, eadem illa ipſa ad cauſam ab ea diuerſam prouocatio neceſſaria efficiebatur?

§. 75.

Conceptus formae finalis obiectiuae naturae principium rationis criticum eſt in vſus facultatis iudicandi reflectentis.

Longe aliud eſt, vtrum generationem quarumdam rerum naturae, vel etiam vniuerſae naturae, fieri poſſe dicam ſolum per cauſam, ex finibus ſeſe ad agendum determinantem; an me non poſſe *pro natura propria virium cognoſcendi mearum* de poſſibilitate illarum rerum earumque geneſi iudicare, niſi huius mihi cauſam, ex finibus agentem, proinde naturam cogitatione informem, quae, ſecundum analogiam cauſalitatis intelligentiae, productiua ſit. Superiori caſu quidpiam cupio de re obiecta decernere, debeoque realitatem conceptus ſumti obiectiuam probare; ſed poſteriori ratio tantummodo vſum determinat virium cognoſcendi mearum, naturae illarum peculiari conuenienter, conditionibusque eſſentialibus, cum ambitus illarum, tum carcerum. Ergo principium ſuperius in decreto verſatur *obiectiuo* facultatis iudicandi determinantis, poſterius in decreto ſubiectiuo ſolius reflectentis iudicandi facultatis, proinde in norma illius ab ratione praecepta.

Nimirum prorſus neceſſe eſt, vt naturae conceptum ſubiiciamus cuiusdam finis, ſi eam vel modo in productis

velimus organisatis continuata obseruatione indagare; isque conceptus proinde iam norma absolute necessaria est vsus empirici nostrae rationis. Cum semel receptum sit probatumque eiusmodi filum Ariadnaeum inuestigandae naturae, manifestum est, eam nosmet facultatis iudicandi normam etiam in toto naturae certe tentare oportere, quoniam per eam multae adhuc leges illius poterunt fortasse aperiri, pro limitatis interioris mechanismi naturae cognitionibus alioquin occultae mansurae. Verum respectu vsus posterioris norma illa facultatis iudicandi vtilis quidem est, sed non necessaria, siquidem natura nobis in toto non est vt organisata (in sensu vocabuli, quem supra notauimus, angustissimo) data atque proposita. Contra respectu productorum illius, duntaxat vt ex intentione sic nec aliter formatorum diiudicandorum, vt naturae illorum internae vel modo cognitionem empiricam nanciscamur, norma illa facultatis iudicandi reflectentis essentialiter necessaria videtur: quoniam ipsa de iis, vt rebus organisatis, cogitatio, cogitatione generationis intentionalis cum iis coniuncta, fieri nullo modo potest.

Atqui conceptus rei, cuius exsistentiam formamus cum adiunctione cuiusdam finis vt possibilem iudicamus, cum conceptu naturae illius fortuitae (ex legibus physicis) arctissime coniunctus est. Idcirco rebus naturae, quas solum vt fines fieri posse intelligimus, praecipuum argumentum efficitur pro ratione fortuita totius rerum vniuersitatis, vnumque dependentiae illius atque originis ab ente extramundano, eoque (ob formam illam finalem) intelligente argumentum, et ad intelligentiam communem valens et ad philosophum; vt proinde teleologia nullam absolutionem aperiat enodationis suarum inuestigationum, nisi in quadam theologia.

Ecquid igitur tandem vel perfectissima teleologia euincit? An probat, eiusmodi ens intelligens exstare? Minime; nihilque amplius, quam nos, pro natura virium cognoscendi nostrarum, proinde experientia cum summis rationis principiis coniuncta, nullo modo nobis cogita-

tionem posse de possibilitate eiusmodi mundi informare, nisi sic, vt causam illius supremam cum intentione efficientem cogitemus. Igitur pronunciatum: exstat causa originaria intelligens, haud obiectiue possumus, sed modo subiectiue in vsum facultatis iudicandi nostrae in reflectendo super finibus naturae, qui secundum nullum aliud principium possunt, quam quod causalitatem enunciat causae cuiusdam supremae cogitari.

Quodsi enunciatum supremum dogmatice velimus, ex rationibus teleologicis, probare; nosmet in difficultates impingeremus, vnde nosmet haud possemus expedire. Tum enim ratiocinationibns istis enunciatio fundamento substernenda foret: naturae in mundo organisatae fieri non possunt nisi per causam ex proposito consilio agentem. In quo quidem euitari haud posset, quin sententiam propugnaremus: quoniam eas res tantummodo posita idea finium in nexu earum causali persequimur, eamque ex legalitate eius cognoscere possumus, nobis quoque copiam potestatemque esse, idem etiam cuique naturae cogitanti cognoscentique, vt conditionem necessariam supponendi, proinde obiectae rei, non vero soli subiecto nostro adhaerentem. Sed eiusmodi sententiam non possumus tueri. Cum enim fines naturae vt intentionales proprie haud *obseruemus*, sed modo in reflexione super productis illius, hunc conceptum vt filum Ariaduaeum *cogitando* addamus; patet, nobis eos non esse per rem obiectam datos. Atque etiam fieri non potest, vt ex anticipatione eiusmodi conceptum, secundum realitatem obiectiuam illius, vt ad sumtionem aptum atque idoneum, defendamus. Igitur illud non nisi enunciatum est in conditionibus duntaxat subiectiuis, scilicet iudicandi facultatis viribus cognoscendi nostris consentaneae, positum, quod, si vt obiectiue dogmatici valoris enunciaretur, sic sonaret: Est deus; quod nunc vero, nobis hominibus, formulam concedit circumscriptam limitatamque: formam finalem, ipsi cognitioni nostrae possibilitatis multarum rerum naturalium internae fundamento substernendam, haud aliter cogitare possumus ac docere,

quam, vt eam omninoque mundum tamquam productum causae intelligentis (dei) nobis repraesentemus.

Quodsi autem haec enunciatio in norma absolute necessaria facultatis nostrae iudicandi posita, vniuerso cum contemplatiuo tum practico rationis nostrae vsui quouis *humano* respectu prorsus idonea est; scire auerem, quid nobis tandem derogetur, quod eam non possumus vt ad altiores quoque naturas valentem, nempe ex rationibus obiectiuis puris (quae sane vim nostram facultatemque superant atque excedunt) probare. Quippe extra omnem dubitationis aleam positum est, nos non posse naturas organisatas earumque possibilitatem internam ex principiis solum mechanicis ne satis quidem cognoscere, nedum nobis enodare; idque sic extra omnem dubitationem positum est, vt audacter dicere queas, in hominibus absurdum esse, si eiusmodi velint consilium vel modo capere, vel sperare, neque aliquando posse Newtonum quemdam prodire, qui vel vnius caulem graminis ex legibus naturae, ab nullo consilio ordinatis, docturus sit: verum eiusmodi intellectus homini simpliciter denegandus videtur. Verum tum itidem temerarium foret, si iudicaremus, in natura quoque, cum vsque ad principium illius in enumeratione legum eius vniuersalium nobis notarum peruenire possemus, nullo modo *posse* rationem idoneam possibilitatis rerum orgauisatarum, nullo earum generationi sine subiecto, latere; vnde enim istud scire poterimus? Verisimilitudinum ibi nullus locus est, vbi de iudiciis agitur rationis simplicis et purae. — Ergo de pronunciato: an, quae ex consilio proposito agat, natura vt mundi causa (proinde vt auctor) ei, quod iure naturae fines dicimus, fundamento subsit, obiectiue nullo modo possumus, nec aiendo nec negando, iudicare; hoc modo certum est, nos, si saltem pro eo, quod per propriam naturam nostram intelligere nobis concessum est, (pro conditionibus cancellisque rationis nostrae) iudicare debemus, nihil omnino quidquam aliud posse quam naturam intelligentem possibilitati finium illorum naturae fundamento constituere: quod

ſolum eſt normae facultatis iudicandi reflectentis noſtrae, proinde rationi ſubiectiuae, ſed generi humano neceſſario adhaerenti, conſentaneum.

§. 76.

Scholion.

Haec contemplatio, quae admodum digna eſt, vt in philoſophia transſcendentali vberius pertractetur, hoc loco tantummodo leuiter, illuſtrandi cauſa (non ad ea probanda, quae hic attulimus), attingamus.

Ratio cernitur in facultate principiorum vltimoque poſtulat abſolutum; cum contra intelligentia ei ſemper cum certa quadam, quam dari oportet, adiunctione famuletur. Sine conceptibus autem intelligentiae, quibus realitas obiectiua impertienda eſt, ratio nullo modo poteſt obiectiue (ſynthetice) iudicare, et, qua ratio theoretica, per ſe nulla prorſus principia conſtitutiua continet, ſed ſolum regulatiua. Breui animaduertimus, vbi intelligentia ſequi nequeat, ibi rationem euadere transſcendentem, et in ideis ante conſtitutis (vt principiis regulatiuis), non vero conceptibus obiectiue valentibus ſeſe exſerere; intelligentiam vero, quae non poteſt pari cum ea paſſu ambulare, verum tamen neceſſaria foret ad valorem rebus obiectis, idearum rationis illarum valorem ſolum ad ſubiectum, ſed vniuerſe tamen cunctis huiusce formae, nimirum ad conditionem adſtringere, vt pro natura facultatis cognoſcendi noſtrae (humanae) aut adeo generatim ex conceptu, *quem nobis* poſſumus de facultate naturae rationisque finitae vniuerſe *informare,* non niſi ſic et queat cogitari et debeat; neque tamen adſeratur, rationem eiusmodi iudicii in re obiecta ineſſe. Exempla in medium proferamus, quarum quidem grauitas ac difficultas maior eſt, quam quae hoc loco poſſint lectori vt enunciata confirmata obtrudi, quae vero materiam illi meditandi praebere poſſunt, atque ad id, quod hoc loco proprie nobis propoſitum eſt, illuſtrandum facere.

Intelligentiae humanae prorsus necessarium est, vt possibilitatem rerum atque exsistentiam discernat. Cuius quidem causa in subiecto inest naturaque virium cognoscendi illius. Namque, nisi ad eas exserendas duabus opus partibus foret prorsus dissimilibus, et intelligentia conceptibus, et visione sensitiua rebus obiectis, iis consentaneis; nulla omnino eiusmodi distinctio (possibile inter et exstans) foret. Si scilicet intelligentia nostra intellectiua esset, illi nullae res propositae forent nisi quod exstet. Conceptus (solum possibilitatem spectantes obiectae rei), et visiones sensitiuae (quae quidpiam nobis proponunt, quod eo tamen nobis vt rem obiectam cognoscendum haud concedunt), ambo cessarent. Atqui omnis nostra possibilium ab exstantibus distinctio secretioque posita in eo est, quod possibile tantummodo positionem repraesentationis cuiuspiam rei denotet respectu habito conceptus omninoque cogitandi facultatis, sed exstans atque adparens positionem rei per se ipsius (extra istum conceptum) designat. Ergo distinctio separatioque rerum possibilium ab exstantibus talis est, quae solum subiectiue valet ad intelligentiam humanam, cum scilicet quidpiam etiamnunc in mente agitare possumus, quamuis haud exstet, aut quidquam nobis vt datum repraesentare possumus, etsi nondum vllam de eo cogitationem habeamus. Quamobrem pronunciata: res esse posse, quamuis haud reapse exstent, ex sola proinde possibilitate non posse vllo modo ad exsistentiam concludi, recte valent ad rationem humanam, neque tamen iis probatur, istud discrimen in rebus ipsis inesse. Hoc enim inde non posse elici, proinde enunciata illa sane quidem etiam de rebus obiectis valere, quatenus facultas cognoscendi nostra, vt sensitiue ad conditiones adstricta, in rebus quoque sub sensus subiectis occupatur, non vero de rebus in vniuersum: iam ex petitione rationis irremissibili elucet, vt vllum quidpiam (ratio originaria) vt absolute necessario exstans sumatur, in quo haud amplius possibilitas debeat ab exsistentia discerni, et cui ideae quem aptet nullum prorsus intelligentia conceptum habet, id est, nullum aperire modum potest, quo eiusmodi rem eiusque

exſtandi modum ſibi queat cogitatione informare. Ea enim, ſi *eam cogitat* (vtcumque eam cogitet) ſolum vt poſſibilis repraeſentata eſt. Idcirco conceptus naturae abſolute neceſſariae idea quidem rationis neceſſaria eſt, ſed conceptus problematicus intelligentiae humanae inacceſſus. Verum tamen is in vſum valet virium cognoſcendi noſtrarum, pro natura illarum propria ac peculiari, proinde non de re obiecta ideoque ad vnumquamque naturam cognoſcentem: ſiquidem haud in quoque poſſum cogitationem viſionemque, vt duas conditiones diuerſas virium illius cognoſcendi exſerendarum, proinde poſſibilitatis et exſiſtentiae rerum ſupponere. Intelligentiae, in qua iſti diſcrimini nullus locus foret, haec regula foret: omnes, quas equidem cognoſco, obiectae res *exſtant;* et poſſibilitas quarumdam, quae tamen haud exſtarent, id eſt, natura illarum fortuita cum exſtant, proinde quoque neceſſitas ab ea diſtinguenda, nullo modo poſſet in repraeſentationem eiusmodi naturae venire. Quod vero intelligentiae noſtrae tantam moleſtiam creat, in conceptibus ſuis ad exemplar rationis tractandis, ſolum in eo poſitum eſt: quod illi, vt intelligentiae humanae, id transſcendens (id eſt, conditionibus cognitionis ſubiectiuis impoſſibile) eſt, quod tamen ratio vt ad rem obiectam pertinens ſtatuit pro principio. — In quo quidem ſemper norma valet: vt vniuerſas res obiectas, vbi cognitio illarum ſuperat intelligentiae facultatem, ex conditionibus ſubiectiuis, naturae noſtrae (humanae) neceſſario adhaerentibus, exſerendarum virium illius cogitemus; et, ſi iudicia hoc modo pronunciata (vti etiam reſpectu conceptuum transſcendentium aliter eſſe non poteſt) non principia eſſe conſtitutiua poſſunt, quae, qualis ſit, rem obiectam determinant, tamen ea principia manebunt regulatiua, in vſu immanentia et certa, conſilioque humano congrua et conſentanea.

Quemadmodum rationi, in natura theoretice contemplanda, idea abſolute neceſſitatis cauſae originariae ſumenda eſt; ita ea quoque, in contemplatione practica, propriam ſuam (reſpectu naturae) abſolutam cauſalitatem,

nimirum libertatem, ſupponit, propterea quod ſui ſibi conſcia eſt praecepti moralis. Quoniam autem hic neceſſitas actionis, vt officii, obiectiua, illi, quam, vt euentum, haberet, ſi ratio eius in natura ineſſet, non vero in libertate (id eſt cauſalitate rationali), contraria atque oppoſita eſt, actioque moralis abſolute neceſſaria phyſice vt prorſus fortuita ſpectatur (nimirum cum id, quod fieri neceſſario *deberet*, tamen ſaepenumero haud fit); planum eſt: ſolum ex natura facultatis practicae noſtrae ſubiectiua, vt leges morales qua praecepta debeant (actionesque iis conſentaneae vt officia) repraeſentari, ratioque neceſſitatem illam non per *eſſe* (fieri), ſed eſſe debere enunciet: quod locum non haberet, ſi ratio ſine ſenſualitate (vt conditio ſubiectiua illius ad res naturae obiectas adhibendae), quoad cauſalitatem, proinde vt cauſa in mundo intelligibili, cum lege morali perpetuo conueniente, ſpectaretur, vbi inter debere et agere, inter legem practicam, de eo, quod per nos eſſe poteſt, et theoreticam de eo quod per nos reuera eſt, nullum prorſus diſcrimen foret. Quamuis autem mundus intelligibilis, in quo vniuerſa idcirco ſolum reapſe exſtarent, quoniam (vt aliquid bonum) eſſe poteſt, ipſaque libertas, vt conditio eius formalis, nobis conceptus ſit transſcendens, qui non eſt ad principium conſtitutiuum, rei obiectae eiusque realitatis obiectiuae determinandae, idoneus; tamen haec poſterior, pro ratione naturae facultatisque noſtrae (ex parte ſenſitiuae) nobis vniuerſisque naturis rationalibus cum mundo ſenſibili coniunctis, quantum eas pro natura rationis noſtrae poſſumus cogitare, pro principio eſt vniuerſali *regulatiuo*, quod naturam libertatis, vt formam cauſalitatis, haud obiectiue determinat, ſed, et cum valore quidem haud minori, quam ſi iſtud fieret, regulam actionum ex illa idea cuiuis homini conſtituit pro praeceptis.

Itidem, quod cauſam noſtram praeſentem attinet, concedi poteſt: nosmet mechaniſmi technicesque naturae, id eſt, nexus finalis in ea nullum prorſus diſcrimen reperturos fore, niſi intelligentiae noſtrae ea ratio eſſet, vt ab

vniuerſali ad ſpeciale illi progrediendum ſit, iudicandique proinde facultas reſpectu ſpecialis nullam formam finalem cognoſcere poſſit, proinde nulla iudicia determinantia ferre, niſi legem habeat vniuerſalem, ad quam illud queat adſumere. Cum autem ſpeciale, qua tale, reſpectu vniverſalis, quidpiam fortuitum contineat, ſed ratio tamen in coniungendis legibus naturae ſingularibus quoque vnitatem, proinde legalitatem, poſtulet (quae quidem fortuiti legalitas forma finalis vocatur), deriuatioque legum ſpecialium ex vniuerſalibus, ratione eius quod illae in ſeſe continent fortuiti, fieri non poſſit ex anticipatione determinando rei obiectae conceptu; conceptus formae finalis naturae in productis illius conceptus erit facultati iudicandi humanae reſpectu naturae neceſſarius, non vero ipſarum rerum obiectarum determinationem attingens, proinde principium rationis iudicandi facultati ſubiectiuum, quod vt regulatiuum (haud conſtitutiuum) ad *facultatem iudicandi* noſtram *humanam* itidem neceſſario valet, ac ſi principium obiectiuum foret.

§. 77.

De peculiari naturae intelligentiae humanae, qua nobis redditur poſſibilis finis naturae.

In ſcholio mentionem fecimus peculiarium facultatis cognoſcendi noſtrae (ipſius ſuperioris) rationum quas, facile mouemur, vt tamquam praedicata obiectiua ad res ipſas transferamus; ſed eae ideas ſpectant, quibus conuenienter nulla res poteſt in experientia proponi, et quae tum non niſi pro principiis eſſe poterant regulatiuis in experientia perſequenda. Cum conceptu finis naturae pari modo comparatum eſt, quantum cauſam attinet poſſibilitatis eiusmodi praedicati, qua ſolum ineſſe in idea poteſt; verum conſequens ei conſentaneum (productum ipſum) tamen in natura datum eſt, conceptusque cauſalitatis naturae, vt rei ex finibus agentis, ideam videtur finis naturae in principium illius vertere conſtitutiuum: atque in eo quidem ab omnibus aliis ideis diſtat.

Haec nota diacritica autem consistit in eo, quod illa, quam diximus idea principium rationale est in vsum haud intelligentiae, sed facultatis iudicandi, proinde solummodo in adhibenda intelligentia generatim ad res, quae esse possunt experientiae obnoxias cernitur; et ibi quidem, vbi iudicium haud determinans, sed solum reflectens esse potest, proinde res obiecta quidem in experientia data atque oblata, verum de ea ideae conuenienter ne *determinato* quidem (nedum prorsus conuenienter) *iudicari* potest, sed tantummodo super ea reflecti.

Igitur illud proprietatem attingit intelligentiae *nostrae* (humanae) respectu facultatis iudicandi in reflectendo super rebus naturae. Quod cum ita sit, sequitur, vt hic idea de alia, quae esse possit, intelligentia, quam humana debeat fundamento esse (velut nos in critica rationis purae aliam visionem possibilem mente tenere oportebat, si nostra pro peculiari quodam genere, eo nimirum, cui res obiectae duntaxat sunt pro phaenomenis, haberi debeat), vt dici possit: certa quaedam naturae producta, pro singulari intelligentiae nostrae natura, *a nobis* secundum possibilitatem e consilio sunt vtque fines generata, *consideranda*, neque tamen idcirco postuletur, vt reapse singularis quaedam causa sit, cuius ratio determinandae repraesentatio cuiusdam finis videatur, proinde vt ne negetur, haud aliam quamdam (altiorem) intelligentiam, atque humanam, etiam in mechanismo naturae, id est, in colligatione caussarum, cuius non sola quaedam intelligentia vt causa sumitur, causam possibilitatis eiusmodi productorum naturae possit offendere.

Hic igitur de ratione agitur intelligentiae *nostrae* ad iudicandi facultatem, vt scilicet in ea certam quamdam rationem fortuitam naturae intelligentiae nostrae conquiramus, vt eam qua intelligentiae nostrae propriam ac peculiarem notemus, qua illa ab aliis possibilibus distinguatur.

Atque haec ratio fortuita deprehenditur in *speciali* illo, quod iudicandi vis cogere debet sub *vniuersali* con-

ceptuum intellectualium; namque per vniuersale intelligentiae *nostrae* (humanae) non est speciale determinatum; et fortuitum est, quotuplici modo res diuersae, quae tamen in nota quadam communi conueniunt, perceptioni nostrae queant obuersari. Intelligentia nostra facultas est conceptuum, hoc est, intelligentia discursiua, cui sane fortuitum sit, oportebit, quotuplex et quantopere diuersum particulare fuerit, quod ei in natura dari poterit ac proponi, quodque suis possit conceptibus subiici. Quoniam vero ad cognitionem etiam visio pertinet, et facultas *plenae spontaneitatis visionis* cognoscendi vis foret ab sensualitate diuersa ex eaque haud pendens; potest quoque intelligentia *intuitiua* (negatiue, quippe solum vt haud discursiua cogitari, quae haud ab vniuersali ad particulare atque ita ad singulare (per conceptus) progreditur, cuique illa fortuita naturae in productis suis concinentis cum intelligentia ratio ex legibus *singularibus* haud deprehenditur, qua fit, vt nostrae tam arduum sit, varia illorum ad vnitatem cognitionis colligere; quod quidem negotium intelligentia nostra non nisi concentu notarum naturae cum nostra conceptuum facultate, admodum fortuita, perficere potest, cuius vero haud indiget intelligentia intuitiua.

Igitur intelligentiae nostrae hoc proprium est in vsum facultatis iudicandi, vt in cognitione ex ea, per vniuersale particulare haud determinetur, ideoque hoc ab illo solo non possit deriuari; nihilominus tamen hoc particulare in variis naturae cum vniuersali debeat (per conceptus legesque) conuenire, vt possit ad illud adsumi, qui quidem conceptus pro re nata admodum fortuitus esse debet, in vsumque facultatis iudicandi principio determinato carere.

Vt nihilominus possibilitatem eiusmodi rerum naturae conuenientiae cum vi iudicandi (quam vt fortuitam, proinde non nisi per finem quemdam ad eam spectantem vt possibilem repraesentamus) saltem cogitare possimus, aliam, oportebit, intelligentiam simul cogitemus, cuius respectu, et quidem ante omnem ei attributum finem illam naturae legum cum nostra iudicandi vi conuenientiam, quae nostrae

intelligentiae non nisi per adiumentum coniungendorum finium potest cogitari, vt *necessariam* queamus cogitare.

Nostrae nimirum intelligentiae proprium est, vt in cognitione sua, exempli gratia causae cuiusdam producti, *ab analytice vniuersali* (a conceptibus debeat ad particulare ad visionem empiricam datam) progredi; in quo proinde respectu variorum huius visionis nihil quidquam determinet, verum eam determinationem in vsum facultatis iudicandi ab adsumtione visionis empiricae (si res obiecta productum naturae sit) ad conceptum debeat exspectare. Atqui cogitare quoque intelligentiam possumus, quae, quoniam haud vt nostra discursiua est, sed intuitiua, ab *synthetice vniuersali* (a visione cuiuspiam totius, qua talis) ad particulare pergat, hoc est, a toto ad partes; quae proinde eiusque repraesentatio totius *fortuitam* partium coniungendarum *rationem* in se cohibeat, vt fieri determinata queat totius forma, cuius indiget intelligentia nostra, quam a partibus, vt rationibus vniuerse cogitatis oporteat, ad varias, quae ad eas possunt adsumi, formas, vt consequentia, progredi. Pro natura intelligentiae nostrae e contrario totum naturae reale non nisi effectum concurrentium viribus motricium partium spectandum est. Quodsi igitur haud possibilitatem totius vt ex partibus, vti intelligentiae nostrae discursiuae par est, verum, pro modo intuitiuae (originariae), possibilitatem partium (quod naturam illarum coniunctionemque), nobis velimus, vt a toto pendentem repraesentare; id, pro eadem intelligentiae nostrae peculiari ratione, fieri haud sic potest, vt totum rationem possibilitatis coniungendarum partium (id quod in cognoscendi modo discursiuo repugnaret), sed tantummodo vt *repraesentatio* totius cuiuspiam rationem possibilitatis formae illius contineat, partiumque ad illud pertinentium coniunctionem. Cum autem totum tum effectum (*productum*) foret, cuius *repraesentatio* vt *causa* spectatur possibilitatis eius sed productum causae, cuius determinandae ratio solum in repraesentatione versatur eius effecti, finis dicatur; sequitur, vt solum consequens sit ex peculiari

intelligentiae noſtrae natura, ſi producta naturae ex alio cauſalitatis genere, quam legum naturalium materiae, nimirum non niſi finium cauſarumque finalium nobis vt poſſibilia repraeſentamus, illudque principium haud poſſibilitatem ſpectet earum rerum ipſarum (vel vt phaenomenorum ſpectatorum) ex hoc generandi modo, verum tantummodo diiudicationem illarum noſtrae intelligentiae poſſibilem attingat. In quo quidem ſimul intelligimus, quare in phyſica in enodandis naturae productis per cauſalitatem ex finibus parum adquieſcamus, quia nimirum in ea generationem naturae ſoli noſtrae eam diiudicandi facultati, id eſt, iudicandi vi reflectenti, non vero rebus ipſis in vſum facultatis iudicandi determinantis conuenienter volumus diiudicari. Nec vero in eo opus non eſt, vt probemus, eiusmodi intelligentiam archetypam eſſe poſſe, ſed ſolum in comparanda intelligentia noſtra diſcurſiua, imaginum indigente (ectypa) cum ratione fortuita eiusmodi naturae, ad illam nos ideam (intelligentiae archetypae) duci, eique nullam quoque repugnantiam ineſſe.

Quodſi igitur totum quodpiam materiae, ſecundum formam, vt productum conſideremus partium earumque virium et facultatum ſponte ſeſe coniungendi (aliis materiis, quas hae ſibi inuicem miniſtrant, cogitando additis); generandi modum earum mechanicum nobis repraeſentamus. Verum hoc modo nullus totius vt finis conceptus exſiſtit, cuius poſſibilitate interna neceſſario idea ſupponitur totius cuiuspiam, ex qua ipſa pendet natura partium efficiendique modus, quomodo tamen corpus organicum cogitatione nobis informare debemus. Ex quo vero, vti ſupra diſputauimus, ſequitur, non, vt generatio eiusmodi corporis mechanica fieri nequeat; hoc enim hanc vim haberet, eiusmodi vnitatem in variis coniungendis *cuique intelligentiae* fieri non poſſe (hoc eſt, repugnare) vt ſibi repraeſentet, niſi idea illius ſimul cauſa ſit eius gignendae, hoc eſt, niſi productio ſit intentionalis. Nihilominus iſtud reapſe efficietur, ſi poteſtatem haberemus, res materiales, vt res per ſe ipſas ſpectandi. Tunc enim vnitas, rationem efficiens

poſſibilitatis formationum naturae, ſolum in vnitate poſita foret ſpatii, quod vero nulla generationum ratio realis eſt, ſed tantummodo conditio illarum formalis; etſi illius cum ratione reali, quam quaerimus, aliqua ſimilitudo ſit in eo, quod nulla pars in eo poteſt ſine relatione ad totum (cuius proinde repraeſentatio poſſibilitati partium fundamento eſt) poteſt determinari. Cum autem certe fieri queat, vt mundus materialis vti ſolum phaenomenon ſpectetur, et aliquid vt res per ſe ipſa (quae haud phaenomenon ſit) vt ſubſtratum cogitetur, huic autem viſio intellectualis conveniens (etiamſi non noſtra ſit) ſubſternatur; ratio realis ſupraſenſibilis, nobis quidem haud cognoſcenda, in vſum naturae locum haberet, ad quam ipſi pertinemus, in qua proinde id, quod in ea vt res ſub ſenſus ſubiecta neceſſarium eſt, ex legibus mechanicis, ſed conuenientiam vnitatemque legum peculiarium et formarum ex iis, quas reſpectu illius vt fortuitas diiudicare debemus, in ea, vt re rationi obnoxia (quin totum naturae vt ſyſtema) ſimul ex legibus teleologicis conſideraremus, eamque ex duplici principiorum genere diiudicaremus, explicandi ratione mechanica minima per teleologicam, quaſi ſecum inuicem pugnarent, excluſa.

Ex quo illud quoque, quod alias facile ſuſpicari quidem, ſed difficulter certo adfirmare poteras et probare, intelligi poteſt, principium deriuationis mechanicae productorum naturae finalium poſſe cum teleologico conſiſtere, hoc vero poſterius eo minime ſuperuacaneum reddi poſſe: nimirum in re, nobis vt finis naturae diiudicanda (re organiſata) vniuerſas leges generationis mechanicae, cum notas, tum olim aperiendas experiri poteris, etiamque ſperare in eo proſpero te ſucceſſu vſurum, numquam vero prouocatione ad rationem generandi ab ea prorſus diuerſam, nempe cauſalitate per fines, in gratiam poſſibilitatis eiusmodi producti ſuperſedere; nulloque modo vlla ratio humana (etiam finita, ſecundum qualitatem noſtrae ſimilis, ſed magnitudine eam quaſique gradu quantumuis ſuperans) generationem poteſt vel herbulae ex cauſis

ſperare poteſt mechanicis, intelligere. Etenim, ſi coniunctio cauſarum effectorumque teleologica ad poſſibilitatem eiusmodi obiectae rei facultati iudicandi prorſus neceſſaria eſt, ad eam ipſam experientia duce inueſtigandam; ſi rerum externarum, vt phaenomenorum, ratio idonea fines ſpectans nullo modo poteſt inueniri, ſed haec, quae etiam in natura ineſt, tamen ſolum in ſubſtrato illius ſupraſenſibili quaeri debet, cuius autem vniuerſa nobis, quae eſſe poteſt, cognitio nobis inacceſſa videtur: fieri nullo modo poteſt, vt rationes nexuum finalium enodandorum ex natura ipſa hauriamus, et pro natura facultatis cognoſcendi humanae neceſſe eſt, vt ſuprema ratio in intelligentia originaria vt mundi cauſa anquiratur.

§. 78.

De principio vniuerſalis mechaniſmi materiae cum teleologico in technice naturae coniungendo.

Permultum rationis intereſt, vt mechaniſmus naturae in generationibus eius ne negligatur in iisque explicandis praetermittatur; quoniam ſine hoc nulla poteſt rerum naturae perſpicientia comparari. Etiamſi nobis conceſſeris: ſummum architectum formas naturae, ita vti vsque quaque fuere, proxime creaſſe, easue, quae ſeſe in itinere ſuo ad idem exemplar formant, praedeterminaſſe: tamen eo cognitioni noſtrae naturae minima prouiſum eſt; propterea quod naturae illius agendi modum, eiusque ideas, quibus principia debent poſſibilitatis rerum naturae contineri, nullo modo nouimus, atque ex ea vt deorſum (ex anticipatione) non poſſumus naturam enodare. Sin vero a formis rerum experientiae obnoxiarum, proinde ſurſum (ex adſumto ſiue a poſteriori), quoniam in iis formam inueniri finalem arbitramur, ad eas enodandas, cauſam velimus ex finibus agentem teſtari; tum prorſus per tautologiam explicaremus, rationemque verbis illudere; ne dicam, ibi, vbi cum hoc enodandi modo nosmet in regionem ſupraſenſibilium praecipitamus, quo nos non ſequi poteſt cognitio phyſica,

rationem ad insaniam poeticam seduci, quod ipsum vt caueatur praecipuum illius consilium est.

Ex altera parte norma pariter necessaria rationis praecipit, vt principium finium in productis naturae ne praetermittatur; propterea quod illud, etsi modum exsistendi eorum nobis haud vberius exponat, tamen principium est heuristicum, particulares naturae leges indagandi; etiamsi eo haud vtaris, ad naturam ipsam ex eo enodandam, siquidem eos, quamuis ea vnitatem finium intentionalem aperte exhibet, tamen etiamnunc fines naturae vocamus, nimirum haud vltra naturam rationem possibilitatis anquiramus. Quoniam autem tamen postremo de hac posteriori quaerendum videtur: itidem necessarium est, vt peculiaris caussalitatis modus, qui in natura haud deprehenditur, cogitetur, quam mechanice continet caussarum naturae, propterea quod ad receptiuitatem plurium aliarumque formarum, quam quarum materia ex posteriori capax, capax est, praeterea spontaneitas causae (quae proinde non potest materia vocari) accedat, oportebit, sine qua non potest aliqua formarum illarum ratio adferri. Caute quidem rationi versandum est, antequam id agat, neque vnaquaeque naturae technice, hoc est, facultas illius productiua, quae formam finalem figurae in gratiam solius nostrae adprehensionis in sese ostendit, (vti in corporibus rectis) pro teleologica declaranda, sed tam diu semper pro mechanice possibilis considerandа; sed si in eo principium teleologicum prorsus excludatur, et, vbi forma finalis, in gratiam possibilitatis formarum naturae ab ratione inuestigandae, per causas suas, manifesto sese vt relationem prodit ad aliud quoddam caussalitatis genus, nihilominus tamen vsque velis solum sequi mechanismum naturae, necesse est, vt ratio ad insaniam adducatur, circumuagationemque in fetibus ingenii virium naturalium, quae nullo modo possunt cogitari, in quam per enodandi modum mere teleologicum, qui nullam omnino rationem habet mechanismi naturae, inciderat.

In vna eademque naturae re ambo non possunt principia, vt decreta enodationis (deductionis) vnius ab altero

copulari, id eſt, vt principia dogmatica et conſtitutiua perſpicientiae naturae in vſum facultatis iudicandi determinantis coniungi. Si exempli gratia, vermem ſumo vt productum ſolius mechaniſmi materiae (formationis nouae, quam per ſe ipſa efficit, elementis putredine liberatis) ſpectandum eſſe; nunc non poſſum ab eadem materia, vt cauſalitate quadam ex finibus agendi, idem productum deriuare. Rurſus retro, ſi idem productum ſumam vt finem naturae, nequeo modum generandi illius mechanicum ſperare, eumque vt principium conſtitutiuum ſumere diiudicandi illius ſecundum eius poſſibilitatem, atque ita ambo principia coniungere. Vnus enim explicandi modus excludit alterum; etiamſi ambae rationes poſſibilitatis eiusmodi producti poſitae forent in vna, cuius vero nos haud rationem haberemus. Principium, quo effici debet, vt ambo queant in natura ex iis diiudicanda coniungi, in eo, quod extra vtrumque (proinde quoque extra poſſibilem repraeſentationem naturae empiricam) ſitum eſt, huius vero rationem continet, hoc eſt, in ſupraſenſibili poni debet, et vnaquaeque ambarum explicandi rationum ad id referri. De quo vero cum non niſi cogitationem habere queamus indeterminatam rationis, qua efficitur, vt diiudicari natura poſſit ex legibus empiricis, caeteroquin autem eam nullo propius queamus praedicato determinare; ſequitur, vt vtriusque principii coniunctio non in ratione poſſibilitatis cuiuspiam producti ex legibus datis *explicandae* in vſum facultatis iudicandi *determinantis*, verum in ratione quadam illius *exponendae* in gratiam facultatis iudicandi reflectentis poſſit niti. — Namque explicare eſt a quodam principio deriuare, quod igitur diſtincte cognoſcere debebis et indicare. Iam principium quidem mechaniſmi naturae cauſalitatisque in vno eodemque naturae producto in vno principio ſupremo cohaerere debet, indeque communiter promanare, quoniam alioquin ea non poſſent ſimul in contemplatione naturae ſimul conſiſtere. Quodſi autem hocce principium obiectiue commune, ideoque et communioni normae inueſtigandae naturae independentis poteſtatem faciens eius generis ſit, vt illud quidem indicari poſſit, numquam

vero determinate cognoſci ad vſumque in caſibus obuiis perſpicue doceri; ex eiusmodi principio nulla explicatio poterit, hoc eſt, diſtincta ac determinata deriuatio poſſibilitatis producti naturae hauriri, quod ex illis queat principiis diſſimilibus fieri. Atqui principium commune deriuationis et mechanicae ex vna parte et teleologicae, ex altera vero *ſupraſenſibile* eſt, quod naturae vt phaenomeno ſubiiciendum videtur. De hoc vero reſpectu theoretico ne minimam quidem poſitiue determinatam cogitationem nobis nformare poſſumus. Quomodo igitur ex eo, vt principio, iatura (ſecundum peculiares leges ſuas) nobis ſyſtema ſit, juod cum ex principio generationis ex phyſicis tum ex lecreto cauſarum finalium vt poſſibile queat cognoſci: ıullo modo poteſt explicari; ſed, cum accidit, vt res ›buiae ſint naturae, quae ex principio mechaniſmi (cui ſemper poteſtas eſt in re naturae) quoad poſſibilitatem, nobis non poſſunt, niſi decretis teleologicis nitentibus, ogitari, tantummodo ſumi, audacter licere vtrique conenienter leges naturae inueſtigare (poſteaquam poſſibilitas roducti illius ex vno alteroue principio poteſt ab intelligentia noſtra cognoſci), neque per opinatam repugnaniam irritari, quae in principiis diiudicandi illius emergit: ropterea quod ſaltim poſſibilitas ſalua eſt, vtrumque obectiue quoque in principio poſſe coniungi (cum phaeıomena attingant, quae rationem ſupraſenſibilem ſupponunt).

Itaque etſi et mechaniſmus et techniciſmus naturae eleologicus, reſpectu eiusdem producti et poſſibilitatis llius communi cuidam ſubeſſe principio poſſunt naturae ex egibus peculiaribus; tamen, cum hoc principium *transcendens* ſit, pro circumſcriptione intelligentiae noſtrae mbo principia tum non poſſumus in *explicanda* eadem eneratione naturae coniungere, cum ipſa interna poſſibiitas huius producti tantummodo ex cauſalitate ſecundum ines *intelligi* poteſt, (cuiusmodi ſunt materiae organiſatae). Manet igitur ſuperius teleologiae decretum: pro natura ntelligentiae humanae, poſſibilitatis rerum in natura orga-

nisatarum nullam sumi causam aliam posse vt technice efficientem, solumque naturae mechanismum ad explicanda haec illius producta minus idoneum esse posse; neque tamen eo respectu possibilitatis earum rerum ipsarum quidquam posse ex hocce principio statui.

Quod scilicet cum modo norma sit facultatis iudicandi reflectentis, non vero determinantis, proinde duntaxat subiectiue ad nos valeat, non vero obiectiue ad possibilitatem harum ipsarum rerum (vbi vterque generationis modus in vna possent eademque ratione causaue cohaerere); cum porro, sine vllo ad illum generandi modum teleologice dictum accedente conceptu de mechanismo quodam naturae simul in eo inueniendo, eiusmodi nullo modo queat vt naturae productum diiudicari; norma illa simul necessitatem in se cohibet amborum principiorum in diiudicandis rebus vt finibus naturae coniungendorum, sed non vt vna tota, aut quadam tenus in locum alterius reponatur. Nam illius loco, quod (a nobis saltem) duntaxat vt ex fine cogitatur possibile, nullus mechanismus sumi potest; neque loco eius, quod ex hoc vt necessarium cognoscitur, nulla fortuita ratio, quae cuiuspiam finis indigeret pro ratione determinante, accipi: sed modo vnum (mechanismum) alteri (technicismo intentionali) subordinari, quod sane licet fieri ex principio formae finalis naturae transscendentali.

Vbi enim fines cogitantur, vt possibilitatis quarumdam rerum rationes, ibi etiam et adiumenta sumenda sunt, quarum lex agendi *per se* nullius rei indiget finem supponentis, proinde mechanica esse possit et nihilominus causa effectorum intentionalium subordinata. Idcirco in ipsis naturae productis organicis, multo magis autem, cum, infinita illorum vi commoti, intentionale in coniungendis causis physicis ad peculiares leges nunc etiam (certe per hypotheses licitas) pro *principio vniuersali* facultatis iudicandi reflectentis in gratiam totius naturae (mundi) sumimus, permagna atque etiam vniuersalis legum mechanicarum cum teleologicis coniunctio potest in generationibus

naturae cogitari, principiis diiudicationis illarum haud permutatis, vnoque in alterius locum haud translato; quoniam in diiudicatione teleologica materia, vel, cum forma, quam induit, solum vt ex consilio possibilis diiudicatur, tamen, secundum naturam suam legibus mechanicis convenienter, illi fini proposito quoque adiumentum esse subordinatum potest: quamquam, cum ratio huius coniungibilitatis in eo posita sit, quod neque vnum neque alterum (neque mechanismus, neque nexus finalis) sit, sed substratum supra sensibile naturae, de quo nihil quidquam cognoscimus, rationi nostrae (humanae) vterque repraesentandae possibilitatis modus eiusmodi rerum obiectarum non potest conflari, sed nos non nisi ex copulatis caussis finalibus, in suprema intelligentia fundatum possumus diiudicare, quo proinde explicandi modo teleologico nihil detrahitur.

Quoniam vero incertum prorsus atque indeterminatum est, nostraeque rationi et aeternum indeterminabile manebit, quantum mechanismus naturae vt adiumentum conferat ad vnumquemque in ea scopum; et propter principium, de quo supra exposuimus, intelligibile possibilitatis naturae in vniuersum, adeo sumi potest, eam esse totam posse ex vtraque lege vniuerse conueniente, etsi, quo id fiat, modum minime intelligimus: tamen quoque nescimus, quam late pateat, quae per nos fieri possit, explicandi ratio mechanica, sed hoc tantummodo certum est: quoad vmquam in ea progrediamur, tamen eam semper ad res, quas semel pro finibus naturae agnoscimus, minus idoneam esse, nosque proinde, pro natura intelligentiae nostrae, rationes illas principio cuidam teleologico debere cunctas subordinare.

Atque in eo quidem ius fundatur, et, propter grauitatem studii naturae ex principio mechanismi vsui rationis theoretico nostro, etiam officium: omnia producta euentaque naturae, vel maxime finalia, mechanice explicandi, quatenus in nostra potestate erit (cuius carceres intra hoc inuestigationis genus ostendere non possumus), praeterea

numquam e conſpectu mittendi, nos ea, quae ſola cumque poſſumus in conceptu finium rationis ad ipſam inueſtigationem proponere, naturae eſſentiali rationis noſtrae conuenienter, nulla habita illarum mechanicarum ratione, tamen poſtremo debeamus cauſalitati ex finibus ſubordinare.

ADPENDIX.

METHODOLOGIA FACVLTATIS IVDICANDI TELEOLOGICAE.

§. 79.

An teleologia, vt pars phyſices ſit pertractanda.

Vnaquaeque ſcientia in encyclopaedia ſcientiarum omnium certum debet determinatumque locum habere. Scientiae philoſophicae locus eſſe debet in parte eius theoretica vel practica, quem locum ea ſi in parte habeat theoretica, aut in phyſica, quatenus id, quod ſubiectum eſſe poteſt experientiae, conſiderat (proinde in doctrina corporum, pſychologia, et coſmologia vniuerſali), aut in theologia (de cauſa mundi originaria vt complexu omnium rerum experientiae obnoxiarum) adſignari.

Iam quaeritur: quinam locus teleologiae debetur? Vtrum ea ad phyſicam (proprie ſic dictam) pertinet, an ad theologiam? Alterutrum ſit, neceſſe eſt; nam ad transitionem ab vna ad alteram nulla prorſus poteſt ſcientia pertinere, quoniam haec tantummodo articulationem organiſationemque ſyſtematis, non vero locum in eo denotat.

Eam non ad theologiam vt partem eius pertinere, quamquam eius in ea vſus fieri grauiſſimus poterit, per ſe manifeſtum eſt. Illi enim generationes naturae earumque cauſa propoſitae ſunt; et, quamuis ad hanc cauſam, vt rationem extra ſupraque naturam poſitam (auctorem diuinum) ſpectet, tamen id non facit in vſum facultatis iudicandi determinantis, ſed modo ad diiudicationem rerum in mundo per ideam talem, intelligentiae humanae conue-

nienter, vt principium regulatiuum ducendam, ſolum in gratiam facultatis iudicandi reflectentis in contemplanda natura.

Neque ea magis videtur pertinere ad phyſicam, quae principiorum indiget determinantium, non ſolum reflectentium, vt effectorum naturae docere rationes queat obiectiuas. Et ſane quoque theoriae naturae, aut explicationi phaenomenorum eius mechanicae, per cauſas efficientes, eo nihil quidquam accedit, quod ea pro ratione finium ad ſe inuicem conſiderantur. Exhibitio finium naturae in eius productis, quatenus iis ſyſtema ex conceptibus teleologicis conſtituitur, proprie duntaxat pars eſt deſcriptionis naturae, ad peculiare filum conceptae: vbi ratio quidem munere fungitur praeclaro et ſalubri, practiceque vario modo finali, verum de ortu, internaque harum formarum poſſibilitate nihil quidquam aperit, quod tamen proprie propoſitum eſt phyſicae theoreticae.

Ergo teleologia, qua ſcientia, ad nullam omnino doctrinam pertinet, ſed ſolum ad criticam, et quidem ſingularis cuiusdam cognoſcendi facultatis, nimirum facultatis iudicandi. Ea vero, quatenus principia continet ex anticipatione, viam methodumque et poteſt indicare et debet, qua iudicari de natura ex principio cauſarum finalium debeat; atque ita methodologiae certe negatiua contagio eſt cum tractandi ratione in phyſica theoretica, et quoque cum relatione, quae huic eſſe poteſt in metaphyſica ad theologiam, vt eius propaedeutica.

§. 80.

De principio mechaniſmi teleologico in explicanda re vt fine naturae neceſſario ſubiiciendo.

Poteſtas quidem rationem ſolum mechanicam omnium naturae productorum *experiendi*, per nullos cancellos circumſcripta eſt; ſed *facultas* cum ea ſola *rem efficiendi*, pro natura intelligentiae noſtrae, quatenus ea in rebus occupatur vt finibus naturae, non ſolum admodum limitata eſt,

verum etiam perſpicue carceribus incluſa nimirum ita, vt, ex principio quodam facultatis iudicandi, illa via priori ſola nihil quidquam poſſit ad has res explicandas effici, proinde diiudicatio eiusmodi productorum ſemper a nobis ſimul principio cuidam ſubiici teleologico debeat.

Rationi proinde conſentaneum eſt, atque adeo praeclarum, vt mechaniſmum naturae, ad explicanda producta naturae, tantum perſequamur, quantum fieri veriſimiliter poterit, atque etiam de hoc conatu propterea haud deſperemus, quod fieri *per ſe* nequeat, vt in eius via cum forma naturae finali conueniamus, ſed ſolum idcirco, quia *nobis* vt hominibus fieri non poteſt; propterea quod ad id alia quam ſenſitiua viſione, determinataque cognitione ſubſtrati intelligibilis naturae, ex quo ipſius phaenomenorum mechaniſmi ex legibus ſingularibus reddi ratio poſſet, opus foret, quae omnia facultatem noſtram prorſus ſuperant.

Igitur perſcrutator naturae, vt ne incaſſum laboret, in diiudicandis rebus, quarum conceptus vt finium naturae ſine dubio fundatus eſt (rerum organiſatarum), ſemper vllam quampiam debet organiſationem originariam fundamento conſtituere, quae ipſo mechaniſmo illo vtatur, ad alias formas organiſatas producendas, aut ſuam ad nouas formas (quae tamen ſemper ex illo fine eique conuenienter ſequuntur) explicandam.

Glorioſum eſt, ope anatomiae comparatiuae magnam creationem naturarum organiſatarum perluſtrare, vt videas: anne in iis quidpiam ſimile ſyſtematis, et quidem ex principio generationis, inueniatur; ita vt haud neceſſe ſit, in ſolo principio diiudicationis (quod perſpiciendae generationis illarum nihil quidquam aperit) conſiſtere, animoque deſponſato omnem *naturae* in hoc campo *perſpiciendae* poteſtatem mittamus. Conuenientia tot generum animalium in certo quodam ſchemate communi, quod non ſolum in ſtructura oſſium, verum etiam in conſtituendis ordinandisque partibus reliquis fundamento eſſe videtur,

vbi mira formae ſimplicitas aliis contractis partibus aliis diductis, his inuoluendis, illis euoluendis, tantam potuit formarum varietatem producere, ſpem animo quamuis tenuem iniicit, fore vt in eo ſane quidpiam cum principio mechaniſmi naturae, ſine quo nulla eſſe omnino phyſica poterit, effectum iri videatur. Hac analogia formarum, quatenus, vt maxime diuerſae, tamen archetypo communi conuenienter generantur, confirmatur ſuſpicio adfinitatis verae illarum in generatione a matre communi originaria, per adpropinquationem gradualem vnius animalium generis ad alterum, inde ab eo, in quo principium finium plurimum confirmatum videtur, ſcilicet ab homine, vsque ad polypum, atque ab hoc adeo vsque ad muſcos et lichenes, tandemque ad gradum naturae infimum nobis quidem intelligibilem, ad materiam rudem: ex qua eiusque viribus, per leges mechanicas (earum inſtar, quibus cryſtalliſationes efficit), vniuerſa naturae technica, quae nobis in naturis organiſatis tam incomprehenſa eſt, vt eius cauſa aliud nosmet principium cogitare coactos arbitremur, deſcendere videtur.

Hic igitur *archaeologo* naturae liberum eſt, vt fingat, ex relictis vetuſtiſſimarum conuerſionum veſtigiis, per omnem, qui ei notus eſt, vel quem ſuſpicatus ſit, illius mechaniſmum, magnam illam rerum creatarum familiam (ita enim ea cogitanda foret, ſi adfinitas illa perpetuo contextu nexu gaudere fundamento debeat) exortam fuiſſe. Gremium maternum terrae, quae ipſa e ſtatu ſuo chaotico (quaſi magnum animal) egreſſa eſt, ponere poteſt primo fetus forma parum finali induiſſe, hos viciſſim alios, qui loco generationis ſuo relationique inter ſe inuicem conuenientius ſe efformarent, peperiſſe; donec haec ipſa mater rigens, oſſibusque obducta, partus ſuos ad ſpecies certas determinatasque nec porro degenerantes adſtrinxiſſet, varietasque ita maneret, vti operatione extrema facultatis formandi illius fecundae accidiſſet. — Verum nihilominus tandem huic matri vniuerſali organiſationem tribuere debebit ad has res creatas vniuerſas conſulto intentam, alioquin forma

finalis productorum in regno cum animali tum vegetabili secundum possibilitatem nullo modo poterit cogitari *). Tum autem rationem explicandi non nisi amplius distulit, neque sibi arrogare potest, sese generationem duorum regnorum illorum a conditione causarum finalium liberasse.

Atque ipsa quidem mutatio, cui certa quaedam formarum organisatarum genera fortuito subiiciuntur, cum eius videmus characterem sic mutatum hereditarium fieri atque in vim gignendi recipi, non facile poterit aliter diiudicari, quam vt euolutio per occasionem nascens initii cuiusdam finalis in specie originarie praesentis, ad conseruandum genus; quia generatio sui similium in perpetuo forma finali interna naturae organisatae arcte coniuncta est cum conditione nihil in vim gigendi recipiendi, quia illud quoque in eiusmodi finium systemate ad vnum quoddam initiorum pertineat ineuolutorum originariorum. Quodsi enim ab hocce principio discedas, certo scire non poteris, anne plures partes formae, quae nunc in specie quadam deprehenditur, originem habeant pariter ita fortuitam et temerariam; principiumque teleologiae: vt in ente orga-

*) Hypothesin eiusmodi generis ausum rationis inceptum dicere poteris; paucique erunt, vel in ipsis acutissimis scrutatoribus naturae, qui haud nonnumquam in eam cogitationem incidissent. Haud enim fere absurdum est, quemadmodum generatio aequivoca, per quam generationem intelligimus naturae organisatae per mechanicen materiae rudis et inorganisatae. Illa enim semper foret generatio vniuoca in sensu verbi generalissimo, quatenus modo quidpiam organicum ex re alia itidem organica, quamuis in hoc rerum genere ab eo specie diuersum, gigneretur; veluti si certae quaedam bestiae fluuiatiles paulatim sese ad palustres, atque ex his, aliquot generationibus interiectis, ad bestias terrestres formarent. Neque enim hoc ex anticipatione, in iudicio solius rationis, secum pugnat. Sed experientia nullum eius rei exemplum ostendit; quippe qua potius constat, omnem, quam nouimus, generationem homonymam esse, non solum vniuocam, contrariam generationi ex materia inorganisata, verum etiam productum edere in ipsa organisatione simile generantis, neque vspiam generationem heteronymam, quantum quidem nostra naturae pertinet cognitio empirica, inueniri.

nico nihil quidquam eorum, quae ſeſe in propagando illo conſeruant, vt temerarium iudicetur; eo in vſu admodum ambiguum incertumque fieri, neceſſe foret, et ſolummodo de ſtirpe originaria (quam vero haud amplius nouimus) valere.

Iis, qui eiusmodi finium naturae omnium principium diiudicandi teleologicum, hoc eſt, intelligentiam architectonicam, ſumendum putant, *Humius* ſic occurrit: poſſe quem eodem iure quaerere, qui tandem fieri poſſit talis intelligentia, nimirum, quomodo facultates illae variae proprietatesque, quibus poſſibilitas efficitur intelligentiae, ſimul vi poteſtateque pollentis exſequendi, tam ex finibus potuerint in ente quodam concurrere. Verum hoc dubium vanum eſt atque inane. Tota enim difficultas, qua quaeſtio de generatione prima rei in ſe ipſa finem cohibentis et per ſe ſolam comprehenſibilis implicatur, poſita eſt, in inveſtiganda vnitate cauſae variorum *extra ſe* in hoc producto coniungendorum; vbi, cum haec ratio in intelligentia cauſae producentis vt ſubſtantiae ſimplicis ponitur, illa quaeſtio, quatenus teleologica eſt, ſatis enodatur, cum vero cauſa ſolum in materia anquiritur, vt multarum ſubſtantiarum extra ſe congregatione, vnitas principii formae finali internae formationis eius prorſus deeſt; materiaeque *autocratia* in generationibus, quae ab intelligentia noſtra non poſſunt niſi vt fines comprehendi, verbum eſt inani voce ſonans.

Ex quo fit, vt ii, qui formarum materiae obiectiue finalium rationem poſſibilitatis ſupremam quaerunt, neque ei fere intelligentiam concedunt, totam rerum vniuerſitatem tamen libenter vnam ſubſtantiam faciunt omnia complectentem (pantheiſmus), aut (quod tantummodo explicatio magis determinata illius eſt) complexum multarum vni *ſubſtantiae ſimplici* inhaerentium determinationum (Spinociſmus) duntaxat vt illam conditionem inueniant, vniverſae formae finalis, *vnitatem* rationis; in quo quidem *vni* conditioni problematis ſatis faciunt, nempe vnitati in relatione finium, interueniente conceptu ſolum ontologico

ſubſtantiae ſimplicis, ſed conditionis *alterius*, nimirum relationis illius ad conſequens vt *finem*, quo ratio illa ontologica quaeſtionis adcuratius determinari debet, nihil quidquam adducunt, proinde quaeſtionem *totam* nullo modo expediunt. Praeterea (per rationem noſtram) ea minime explicari poteſt, niſi rationem illam rerum originariam vt *ſubſtantiam ſimplicem*, huiusque proprietatem ad naturam formarum naturae in ea nitentium ſpecificam, nimirum vnitatis finalis, non vt ſubſtantiae intelligentis, relationem vero illarum ad has (propter rationem fortuitam, quam in omnibus, quae nobis vt fines cogitatione formamus, deprehendimus) non vt relationem cauſalitatis nobis repraeſentamus.

§. 81.

De mechaniſmo in fine enodando naturae vt naturae producto ad principium teleologicum ſocio adiungendo.

Quemadmodum mechaniſmus naturae pro iis, quae paragrapho praecedente docuimus, ſufficere ſolus non poteſt ad poſſibilitatem rei organiſatae ex eo cogitandam, ſed (certe pro natura facultatis cognoſcendi noſtrae) cauſae debet ex conſilio efficienti originarie ſubordinari: ſic quoque ſola ratio teleologica eiusmodi rei parum ſufficit, eam ſimul vt productum naturae et conſiderandam et diiudicandam, niſi mechaniſmus naturae illi rei adiungatur, quaſi quoddam inſtrumentum cauſae ex conſilio agentis, cuius finibus nihilominus natura in legibus mechanicis ſubordinata eſt. Poſſibilitas eiusmodi coniunctionis duorum prorſus diuerſorum cauſalitatis generum, naturae in legalitate ſua vniuerſali, cum idea, illam ad ſingularem formam adſtringente, cuius ea per ſe nullam omnino rationem continet, noſtra ratio nullo modo comprehendit; ea in ſubſtrato ineſt naturae ſupraſenſibili, de qua nihil quidquam poſſumus aiendo determinare, praeterquam quod illud res ſit per ſe, cuius tantummodo phaenomenon cognoſcimus. Sed principium: vt vniuerſa, quae vt ad hanc naturam

(phaenomenon) pertinentia vtque illius producta fumimus, etiam ex legibus mechanicis cum ea coniuncta cogitare cogamur, nihilominus vim fuam virtutemque retinet; fiquidem, fine hoc caufalitatis genere, res organifatae, vt fines naturae, tamen nulla forent producta naturae.

Cum igitur (quod fieri aliter non poteft) principium generandarum earum rerum teleologicum accipiatur; vel *occafionalifmus* poterit, vel *praeftabilifmus* caufae formae illius interne finalis fundamento conftitui. Secundum occafionalifmum caufa mundi fuprema, ideae conuenienter, per occafionem cuiusque coitus materiae in eo fefe mifcenti proxime formationem organicam tribueret; fecundum praeftabilifmum vero, illa in prima huiusce fapientiae fuae producta tantummodo initia illatura foret, quibus fit, vt res organica fui fimilem producat, fe ipfamque fpecies femper conferuet ac tueatur, itemque interitus indiuiduorum per naturam fimul interitum fuum accelerantem perpetuo refarciatur. Sumto occafionalifmo productionis rerum organifatarum, omnis omnino natura prorfus in eo perit, cum eaque omnis quoque rationis vfus, de poffibilitate eiusmodi productorum generis iudicandi; idcirco fupponi poteft, neminem hoc fyftema fecuturum fore, qui vllo modo philofophiam curet.

Ac *praeftabilifmus* quidem itidem poteft dupliciter verfari. Quippe qui vnamquamque rem organicam ex fui fimili generatam vel vt *eductum* confiderat, vel vt *productum.* Syftema generationum vt folorum eductorum dicitur fyftema *praeformationis indiuidualis*, fiue etiam *theoria euolutionis;* fyftema generationum vt productorum vocatur fyftema *epigenefeos.* Hoc pofterius itidem poteft fyftema *praeformationis genericae* adpellari; propterea quod facultas productiua gignentium tamen ex initiis internis finalibus, quae generi impertirentur, proinde forma fpecifica virtualiter fuit praeformata. Cui quidem conuenienter theoriam praeformationis indiuidualis contrariam potius *theoriam* poffes *inuolutionis* vocare.

Propugnatores *theoriae euolutionis*, qui quodque indiuiduum a vi naturae formante excipiunt, vt illud credant proxime ex manu creatoris prouenire, tamen non ausi sunt, fieri illud ex hypothesi occasionalismi, profiteri, ita vt coitus in sola formalitate cerneretur, qua summa causa mundi intelligens decreuerit, quemque fetum manu proxima formandum, euolutionemque eius ac nutritionem matri permittendam. Praeformationem professi sunt; quasi haud idem foret, supernaturali modo, in initio aut in progressu mundi, eiusmodi formas orientes fingere, nec potius permagnae parceretur multitudini institutorum supernaturalium per creationem occasionalem, quae necessariae forent, vt embryo in initio mundi formatus per longum tempus illud, vsque ad euolutionem suam, non vires naturae euertentes experiretur saluumque sese conseruaret, propterea quod numerus infinite maior eiusmodi rerum praeformatarum, quam vmquam deberent euolui, cum iisque totidem creationes eo inutiles et superuacaneae redderentur. Verum tamen in eo saltem quidpiam permittere voluerunt naturae, ne prorsus in hyperphysicen inciderent, quae omni potest naturae enodatione supersedere. Tenuere quidem etiamnunc mordicus hyperphysicen suam, vel tum, cum in monstris (quae nullo modo possunt pro finibus naturae reputari) formam finalem admirabilem videbant, etiamsi eâ vel id modo spectaret, vt aliquando anatomicus in ea, tamquam forma finali finibus destituta offenderetur admirationemque sentiret pudibundam. Verum generationem spuriorum nullo modo potuere systemati praeformationis aptare, sed semini rerum mascularum, cui alioquin non nisi proprietatem mechanicam, primo embryonis alimento seruiendi concessissent, tamen insuper vim tribuere ex consilio formantem: quam tamen respectu producti totius ex duabus rebus eiusdem speciei generationis neutri vellent concedere.

Contra in propugnatore systematis *epigeneseos*, etsi, quem respectu rationum empiricarum ad euincendam theoriam suam tenet, principatum neutiquam nossemus; tamen ratio

iam in anteceſſum eius explicandi modo praecipue faueret, quoniam reſpectu rerum, quae originarie poſſunt ſolum ex finium cauſalitate vt poſſibiles cogitari, eo natura ſaltem, quantum generationem attinet, vt ipſa producens, non ſolum vt euoluens, ſpectatur, atque ita tamen minima, quae eſſe poteſt, ſupranaturalium impenſa omnia conſequentia inde a primo initio naturae relinquitur (ita tamen vt de hocce primo initio, in quo omnino naufragium facit phyſica, quam illam cumque cauſarum catenam tentauerit, nihil quidquam determinetur).

Atque in hac quidem theoria epigeneſeos nemo plus praeſtitit, quam illuſtris *Blumenbachius*, cum ad eam probandam, tum ad vera vſus illius principia conſtituenda, partim vſu illius nimium temerario coercendo. Vniuerſam explicandi rationem phyſicam earum formationum inſtituit ab materia organiſata. Namque materiam rudem initio ſe ipſam ex legibus mechanicis formaſſe, ex naturaque inanimi vitam oriri potuiſſe, et materiam in formam formae finalis ſe ipſam conſeruantis ſponte coaleſcere, iure optimo docet rationi aduerſari; ſed ſimul tamen mechaniſmo naturae ſub hoc *principio organiſationis* originariae nobis unperſcrutabili partem concedit indeterminabilem, ſimul tamen haud quaquam obſcuram, cuius, quae in materia ineſt, facultas (ad *vim formantem* ſolum mechanicam, illi vniuerſe inditam, diſtinguendam) in corpore organico *impetus formationis* (qui quaſi ſub ductum ſit inſtitutionemque *facultatis formandi mechanicae* ſubiectus) ab eo adpellatur.

§. 82.

De ſyſtemate teleologico in relationibus rerum organiſatarum externis.

Formam finalem externam dico, cum res naturae alii vt adiumentum inſeruit ad finem. Iam res, quibus nulla eſt forma finalis interna, vel quae nullam ad poſſibilitatem ſuam ſupponunt, velut terrae, aer, aqua, et id genus aliae nihilominus extrinſecus, hoc eſt, cum aliis rebus

comparatae admodum possunt, cum forma finali conuenire; verum hae semper res sint, oportebit, organisatae, nimirum fines naturae, alias enim illae non possent vt adiumenta diiudicari. Sic aqua, aer, terra haud possunt vt adiumenta spectari montium coaceruandorum, quoniam iis nihil quidquam continetur, quod rationem postularet possibilitatis ex finibus, cuius proinde respectu causa eorum numquam possit sub praedicata adiumenti (quod ad id faceret) repraesentari.

Forma finalis externa longe alius conceptus est, quam conceptus internae, quae cum possibilitate est obiectae rei coniuncta, nullo respectu habito, exsistentia eius ipsa finis sit nec ne. De re organisata quaeri praeterea potest: quem in finem ea adest? sed haud facile de rebus, in quibus tantummodo effectum cognoscitur mechanismi naturae. Namque in illis iam causalitatem ex finibus ad internam earum possibilitatem cogitamus, nimirum intelligentiam creantem, eamque facultatem actiuam referimus ad rationem eas determinandi, quippe ad finem. Vna est tantummodo forma finalis externa, cum interna organisationis connexa, quae, missa quaestione, in quem finem haec res sic organisata debuerit exstare, tamen in relatione externa adiumenti fini inseruit. Idque organisatio est sexus vtriusque inuicem inter se ad propagationem spectati sui cuiusque generis; hic enim etiamnunc, vti in singulo potest atque indiuiduo, interrogari: cur eiusmodi par, necesse fuit, exstare? Respondetur: Id hic demum totum quiddam efficit *organisans*, quamquam haud organisatum in vno quodam corpore.

Quodsi igitur quaeras: quem in finem res quaepiam adsit; respondetur aut sic: eius exsistentia generatioque nullo modo causam spectat ex consiliis efficientem, et tum semper origo illius ex mechanismo naturae intelligitur; aut sic: vlla quaepiam ratio intentionalis est exsistentiae eius (vt rei naturae fortuitae), eaque cogitatio difficulter potest a conceptu rei organisatae separari: quoniam, cum semel possibilitati illius internae causalitas subiicienda sit causa-

rum finalium ideaque, quae huic fundamento fubfit, etiam exfiftentia producti huius non poteft nifi vt finis cogitari. Namque effectum repraefentatum, cuius repraefentatione fimul ratio continetur determinandae caufae efficientis intelligentis ad producendum, *finis* adpellatur. Quo proinde cafu dici poteft, vel: finis exfiftentiae rei eiusmodi naturae in ea ipfa eft, nimirum ea non folum finis eft, fed etiam *fcopus;* vel: hic finis extra eam eft in aliis rebus naturae, fcilicet exftat conuenienter non quidem vt fcopus, verum neceffario fimul vt adiumentum.

Quodfi autem vniuerfam naturam perluftremus, in ea, vt natura nullam rem deprehendimus, quae laudem fibi poffet fcopi creationis vindicare; adeoque poteft ex anticipatione probari: id, quod forte naturae effe *finis vltimus* poffet, ex vniuerfis, quae excogitari queunt, determinationibus proprietatibusque quibus exornatur, tamen vt rem naturae, numquam effe *fcopum* poffe.

Si regnum vegetabile confideres, initio poffes per immenfam fecunditatem, qua illud fere fefe fupra quodque folum dilatat, in cogitationem incidere, illud folum effe naturae mechanifmi productum, quod in formationibus oftendat regni mineralis. Verum adcuratior cognitio organifationis in eo fapientiffimae non patitur nosmet in ea cogitatione confiftere, fed anfam praebet quaeftioni: quem in finem adfunt hae res creatae? Si refpondeas: in vfum regni animalis, quod iis alitur, vt in tam variis formis potuerit fefe in terra difpergere; tum redit quaeftio: quem in finem adfunt animalia ifta plantis vefcentia? Forte refpondeas: in gratiam animalium rapacium, quae tantum poffunt iis ali, quae vita praedita funt. Tandem quaeretur: quem in finem haec vna cum illis naturae regnis adfunt? Hominis caufa, ad varium vfum, quem capere ex iis rebus omnibus fua fefe intelligentia docet; isque finis vltimus creationis eft in his terris, quoniam vna folaque natura in iis eft, quae cogitationem fibi formare de finibus poteft atque ex congregatione rerum confulto formatarum per rationem fuam fyftema finium componere.

Posses itidem. cum Linneo equito, viam ingrediens specie conuersam, dicere: animalia plantis vescentia adsunt, vt in incrementum luxurians regni vegetabilis, quo multae illius species suffocarentur, temperetur; animalia rapacia, vt voracitati illorum fines ac termini designentur; tandemque homo, quo, hacc insectante ac deminuente, certum quoddam aequilibrium virium producentium et euertentium naturae constituatur. Atque ita homo, vt maxime certo quodam respectu pro fine reputetur, alio tamen respectu vicissim adiumentorum in ordine haberetur.

Quodsi formam finalem obiectiuam in varietate specierum rerum in terra creatarum et in relatione earum ad se inuicem externa, vt rerum e consilio constructarum, pro principio constituatur; rationi consentaneum est, vt in hac relatione itidem certam quamdam organisationem et systema omnium regnorum naturae ex finibus cogitemus. Verum hic experientia aperte videtur rationis normae repugnare, praesertim quod finem vltimum naturae spectat, quo tamen opus est ad possibilitatem eiusmodi systematis, et quem nuspiam possumus nisi in homine ponere; cum potius respectu huius, vt cuiuspiam multarum illarum specierum animalium, natura cum euertentes vires, tum gignentes minime excipiat, vt cuncta mechanismo illius, sine vllo fine, subiiciantur.

Primum, quod in toto finali quodam rerum naturae ordinando in terra ex consilio institutum esse deberet, sine dubio habitatio earum foret, solumque, et elementum, in quo crescere deberent. Verum adcuratiori cognitione naturae huius fundamenti omnis generationis organicae nullae aliae causae nisi prorsus temere agentes, quin potius euertentes, quam generationem, ordinemque et fines promouentes indicantur. Terra marique non solum monumenta priscarum vastationum, quibus ipsae resque in iis vniuersae, infestatae sunt, continentur; verum vniuersa illorum structura, terrae coria et maris fines habent prorsus speciem virium ferarum omnipotentium naturae in statu chaotico laborantis. Vt maxime conuenienter nunc

quidem figura, ſtructuraque et decliuitas locorum apteque ad aquas ex aere recipiendas, et ad venas fontium inter coria terrae varii generis (ad varia producta) curſumque fluminum inſtituta videatur; tamen adcuratior illius inueſtigatio probat, eos ſolum vt effectum partim ignearum, partim aquearum eruptionum, vel etiam rebellionum oceani exſtitiſſe: cum quoad primam huius figurae generationem, tum potiſſimum ſequentem illius transformationem, ſimul cum interitu primarum generationum organicarum *). Si igitur domicilium, ſolum maternum (terrae) gremiumque maternum maris omnium harum rerum creatarum nullum alium niſi mechaniſmum prorſus naturalem eius generationis teſtatur; quo tandem modo ea quo iure horum productorum aliam poſſumus et poſtulare originem et adſerere? Quamquam homo, quod adcuratiſſima reliquiarum euerſionum naturae illarum (ex Camperi ſententia) probare videtur, non erat in reuolutionibus iſtis comprehenſus; tamen is a caeteris in terra creatis rebus tantopere pependit, vt conceſſo in aliis vniuerſe dominante naturae mechaniſmo, tamquam iis comprehenſus conſiderandus ſit: quamuis per intelligentiam ſuam (maximam certe partem) in vaſtationibus eius potuerit ſeruari.

Verum hoc argumentum plus videtur probare, quam finis contineret, cui propoſitum fuit: nimirum, non ſolum hominem nullum naturae finem vltimum, et ob eandem cauſam, congregationem rerum naturae organiſatarum non finium ſyſtema eſſe poſſe; ſed, adeo ante pro finibus na-

*) Si nomen ſemel receptum *hiſtoriae naturalis* pro deſcriptione naturae manere debeat, id, quod illa ad literam indicat, nempe repraeſentatio priſtini ſtatus *antiqui* terrae, de quo, etiamſi nulla liceat certitudo ſperari, non ſine cauſa coniecturas audemus, *archaeologia naturae*, comparata cum arte, vocari. Ad illam petrefacta, vti ad hanc lapides caelati et ſimilia pertinerent. Etenim cum tamen reapſe in tali (nomine theoriae terrae) ſemper, etſi, quod par eſt, tarde laboratur, tamen hoc nomen non inueſtigationi naturae ſolum commentitiae atque opinatae inditum foret, verum tali, ad quam natura ipſa nosmet inuitat et prouocat.

turae habita naturae producta nullam aliam originem, quam mechanismum naturae, habere.

Verum in superiori enodatione antinomiae principiorum, mechanici et teleologici rerum naturae organisatarum generandarum modi, vidimus: cum respectu naturae ex legibus suis peculiaribus (ad quarum vero contextum systematicum nobis clauis deest), tantummodo principia sint iudicandi facultatis reflectentis, quae scilicet originem illarum haud per se determinant, sed solum enunciant, nos, pro natura intelligentiae nostrae rationisque, eam non posse in hoc rerum genere nisi ex causis finalibus cogitare; maximum, qui esse possit, conatum quin audaciam in periculis mechanice eas explicandi, non solum licitum esse, sed nos quoque per rationem ad id prouocatos, quamuis sciamus, nos eo ex rationibus subiectiuis peculiaris generis circumscriptionisque intelligentiae nostrae (nec forte, mechanismus generationis cum origine ex finibus per se pugnaret) numquam posse suppetere; tandemque in principio suprasensibili naturae (cum extra nos tum in nobis) vtriusque generis possibilitatem naturae cogitandi commode inesse posse rationem coniungendi, propterea quod repraesentandi modus ex causis finalibus duntaxat conditio subiectiua sit vsus rationis nostri, cum ea diiudicationem rerum obiectarum non solum vt phaenomenorum cupit institui, verum etiam haec ipsa phaenomena, vna cum principiis illorum, ad substratum suprasensibile postulat referri, vt certas quasdam leges vnitatis illorum possibiles iudicet, quas non nisi per fines (quorum quidem rationi sunt, qui suprasensibiles videntur) potest sibi cogitatione informare.

§. 83.

De fine vltimo naturae vt systematis teleologici.

Hactenus disputauimus, nos hominem non solum, velut omnes res organisatas, vt finem naturae, verum etiam hic in terris vt *finem* naturae *vltimum*, cuius respectu cunctae reliquae res naturae systema finium constituunt, ex

decretis rationis, non quidem in gratiam iudicandi facultatis determinantis, sed reflectentis tamen diiudicandi caussam idoneam habere. Si igitur in homine ipso illud inueniri oporteat, quod vt finis debet per suam cum natura coniunctionem promoueri; sequitur, vt aut finis eius generis sit, vt ipse queat per naturam beneficam satiari; aut vtilitas est aptaque ad varios fines ratio, quo natura (extrinsecus et interne) possit ab eo adhiberi. Prior naturae finis *felicitas* foret hominis, alter *cultura*.

Conceptus felicitatis haud is est, quem homo forte ab instinctibus suis separet atque abstrahat, atque ita ex natura animali in se ipso depromat: sed in sola *idea* versatur status, quam instinctibus cum adiunctionibus solum empiricis (quod fieri non potest) cupit adaequatam reddere. Sibi eam ipse concipit, et quidem modo tam vario, per intelligentiam suam cum phantasia sensibusque complicatam; quem adeo tam saepe mutat, vt natura, etiamsi tota sit arbitrio suo subiecta, tamen nullo modo posset certam determinatamque legem vniuersalem fixamque accipere, vt cum hoc conceptu vago, atque ita cum fine, quem sibi quisque pro lubidine proponit, consentiat. Verum, adeo si aut hunc finem ad veram naturae necessitatem, in qua species nostra tota secum consentit, reuocare velimus, aut, e contrario, dexteritatem opinatos fines sibi comparandi vel maxime augere: tamen id, quod homo felicitatis verbo intelligit, et quis reapse finis eius naturae vltimus (non finis libertatis) est, ab eo numquam acquireretur; neque enim natura illius eiusmodi est, quae vspiam in possessione ac fruitione desinat et satietur. Contra vero tantum abest, vt natura illi singulares sibi delicias fecerit eumque prae caeteris animalibus beneficiis cumularit, vt potius ei in perniciosis effectis suis, vt pestilentia, fame, inundationibus, frigoribus, impetu maiorum minorumque bestiarum, caeterisque rebus generis eiusdem tam minus parcat, atque cuique animanti alii; quid? quod pugna *dotum* in eo *naturae* illum praeterea in plagas a se ipso excogitatas praecipitet, et alios quoque suae ipsius speciei onere domi-

nationis, bellorumque barbarie, et ad genus aliis, tantis calamitatibus subiiciat, ipsaque, quantum in se est, in euertenda sua ipsius specie occupetur, vt adeo, natura in nos munificentissima, finis illius, si felicitatem spectaret nostrae speciei, in systemate illius his in terris non feriretur, quoniam natura in nobis non est illius capax. Is proinde fere solum articulus est in catena finium naturae: principium quidem ratione huius illiusue finis, in quem natura cum in initiis videtur destinasse, propterea quod se ipsum finem constituit; sed tamen quoque adiumentum conseruandae formae finalis in mechanismo reliquorum articulorum. Vt vna in terris natura, intelligentia praedita, proinde facultate, sibi ipsi pro lubitu fines proponendi, dominus quidem naturae est titulo tenus, et, hac vt systema spectata teleologicum, pro destinatione sua vltimus naturae finis; sed semper cum adiunctione, vt scilicet intelligat velitque, huic sibique ipsi eiusmodi finium relationem impertire, quae ab natura libera sibi ipsa sufficere, proinde scopus esse queat, qui vero nullo modo est in natura quaerendus.

Vt autem aperiamus, in quo in homine saltem *finem* illum *vltimum* ponere debeamus, id, quod natura potest ad eum praeparandum praestare, quid ipsi, vt scopus sit, faciendum videatur, eximendum erit ab omnibusque finibus istis separandum, cuius possibilitas conditionibus nititur, quae solum possunt ab natura exspectari. Atque huius quidem posterioris generis felicitas in terris est, qua complexum intelligimus omnium, qui per naturam extra hominem atque intus in homine fieri possunt, finium; in quo quidem consistit materia omnium finium suorum in hac terra, quibus, si totum finem suum constituit, ineptus redditur, ad scopum suae ipsius exsistentiae figendum cum eoque conspirandum. Igitur omnium finium suorum in natura duntaxat conditio formalis subiectiua relinquitur, nimirum capacitatis, sibi ipsi omnino fines proponendi, et (ab natura in finibus designandis libere) natura normis finium suorum liberorum generatim conuenienter, vt adiumento, vtendi, quid natura, respectu scopi, extra se

positi, efficere possit, quidque proinde vt finis illius vltimus queat spectari. Productio capacitatis naturae rationisque aptae ad fines arbitrarios vniuerse (proinde in libertate eius) est *cultura*. Ergo sola cultura vltimus finis esse potest, qui naturae respectu humani generis iure attribuendus videtur (minime propria illius felicitas in hac terra, vel adeo solum vt instrumentum praecipuum sit, ordinis conuenientiaeque in natura bruta extra se efficiendi).

Verum haud quaeuis cultura ad hunc finem vltimum idonea est. Cultura *dexteritatis* sane praecipua conditio subiectiua est vtilitatis ad fines promouendos in vniuersum, neque tamen idonea, ad *voluntatem* in determinandis eligendisque finibus promouendam, quae tamen ad totum ambitum vtilitatis ad fines essentialiter pertinet. Posterior vtilitatis conditio, quam culturam possis disciplinae adpellare, negatiua est, cerniturque in voluntate a dominio cupiditatum liberanda, quo, ad certas quasdam res naturae fixi, inepti reddimur, ad sponte eligendum, propterea quod adpetitiones patimur nobis pro vinculis esse, quas natura nobis tantummodo pro filis ductitiis concessit, ne determinatio naturae animalis in nobis negligeretur, vel adeo ea laederetur, interea dum nihilominus satis liberi sumus, eas contrahendi remittendique, extendendi et corripiendi, prout rationis fines postulabunt.

Dexteritas haud facile potest in genere humano euolui, nisi per hominum inaequalitatem; cum maxima pars hominum necessitates vitae quasi mechanice, nulla arte adhibita, ad commoditatem otiumque aliorum procurat, qui partes minus necessarias culturae scientiaeque atque artis tractant, atque ab his in statu molestiae, duri laboris tenuisque atque exiguae fruitionis retinetur, ad quam tamen classem nonnihil culturae altiorum paullatim etiam redundat. Molestiae autem progressu illius (cuius fastigium, si procliuitas ad superuacanea necessariis iam incipit detrahere, luxus vocatur) vtrimque pari vi crescit, ab altera parte per vim alienam, ab altera per rationem insatiabilem internam; verum splendida miseria tamen cum euoluendis naturae initiis in

genere humano coniuncta est, ipseque naturae finis, etsi haud noster finis est, tamen in eo impetratur. Conditio formalis, qua fit, vt natura hunc scopum suum solum queat adsequi, ea conditio est statusque in relatione hominum ad se inuicem, cum derogandae libertati inuicem mutuo repugnanti vis legalis in toto quodam, quod *societas ciuilis* dicitur, opponitur; namque solum in ea maxima fieri potest initiorum naturae euolutio. Ad eam vero nihilominus, quamuis ad eam inueniendem prudentes essent homines coactionique illius ad sese subiiciendos sat sapientes, opus foret praeterea totum aliquod *cosmopoliticum*, hoc est, systema statuum omnium, qui in discrimine sunt in se inuicem vim perniciosam exserendi. Quod cum desit, cumque ambitio, dominandique insania atque auaritia, praesertim in potentibus, ipsi eiusmodi consilii possibilitati impedimenta obiiciant, *bellum* (partim in quo ciuitates dirimuntur atque in paruas dissoluuntur, partim status alios minores secum coniungit totumque formare maius conatur) non potest euitari: quod, vti naturalis (per effrenatas cupiditates excitatus) conatus hominum, tamen profunde occultatus fortasse intentionalis supremae sapientiae est, legalitatis cum libertate statuum eoque vnitatis systematis cuiusdam moraliter constituti illorum, nisi fundandae, certe tamen praeparandae, et quamquam grauissimae calamitates sint, quibus illud humanum genus onerat, tamen ad elateres accedit (dum spes quietis felicitatis populi vsque longius recedit) munerum naturae omnium, quae ad culturam faciunt, vsque ad summum gradum euoluendorum.

Quod disciplinam inclinationum spectat, quarum initia naturae respectu destinationis nostrae, vt animalium speciei, prorsus finalia sunt, quibus vero euolutio generis humani admodum difficilis redditur; tamen etiam ratione huius requisiti ad culturam alterius nisus naturae finalis ad efformationem, qua nos ad altiores fines, quam quos natura suppeditare potest, recipiendos apti reddimur. Superpondium malorum, quibus per expolitionem gustus vsque ad exemplaris rationem exculti illius, ipsoque luxu in artibus, vt ali-

mento vanitatis, ex insatiata vi inclinationum eo generatarum nosmet perfundimur, vinci non potest: contra vero finis naturae quoque non potest latere, vt ruditati atque impetui earum inclinationum, quae magis animalem in nobis naturam attingunt, nobisque ad altiorem destinationem effingendis contrariae sunt (inclinationum ad fruitionem) vsque derogetur, euolutionique humani generis locus concedatur. Ars pulcra atque scientia, quae per voluptatem vniuerse communicabilem, quae per polituram elegantiamque societati hominem, quamuis haud moraliter meliorem, tamen moratiorem reddunt, tyrannidi procliuitatis sensualis permulta eripiunt, eoque hominem praeparant ad dominium, in quo ratio solum debet potestatem tenere: interea dum mala, quibus partim ab natura, partim insociabili amore sui in hominibus adfligimur, simul animi vires prouocant, augent atque corroborant, vt ne illis succumbamus, nobisque sensum instillant vtilitatis cuiusdam ad fines altiores, in nobis occultatam *).

§. 84.

De scopo exsistentiae mundi, id est, creationis ipsius.

Scopus consistit in illo fine, qui nullius alius ad possibilitatem suam indiget conditionis.

*) Facile potest diiudicari quale *nobis* vitae pretium sit, cum solum hoc ex eo aestimatur, *qua fruimur* (ex fine naturali summae inclinationum omnium, felicitatis). Illud infra nihilum cadit; ecquis enim iisdem conditionibus, vel etiam ad formam quamdam aliam, quam quis ipse sibi delineasset (cursui naturae conuenientem tamen) vitam denuo ingredi voluerit? Quale pretium vitae sit ex eo, quod, pro fine nobis ab natura constituto, acta, in se continet, et quod in eo consistit, *quod agimus* (non solum quo fruimur), vbi vero semper nihilominus duntaxat adiumenta sunt ad scopos indeterminatos, supra ostendimus. Igitur sane nihil quidquam relinquitur, nisi pretium, quod ipsi vitae nostrae statuimus, per ea, quae non solum agimus, verum etiam tam libere atque independenter ab natura ex consilio agimus, vt ipsa naturae exsistentia solum hac conditione posita finis esse queat.

Sumto pro formae finalis naturae explicandi ratione solo mechanismo illius, quaeri non potest: quem in finem res in mundo adsint; tum enim, secundum eiusmodi systema idealisticum, tantummodo sermo est de possibilitate rerum physica (quae nobis vt fines cogitandae sola argutatio foret, sine vlla re obiecta): igitur siue hanc rerum formam de casu fortuito interpreteris, siue de necessitate caeca, in vtroque casu quaestio illa foret inanis. Quodsi autem nexum finalem in mundo realem ponamus, illiusque genus quoddam causalitatis peculiare, nimirum causae *ex consilio agentis*, non possumus in quaestione consistere: quem in finem res mundi (organisatae) hanc aliamue formam habeant, in his illisue ad alias ab natura relationibus constitutae sint; verum, cum semel cogitatur intelligentia, vt causa possibilitatis talium formarum spectanda, quales reapse in rebus conspiciuntur, sequitur vt in eadem quoque de ratione obiectiua percontemur, qua haec intelligentia productiua potuerit ad huiusce generis effectum determinari, quae quidem tunc scopus est, eiusmodi rebus propositus et constitutus.

Supra dixi: scopum nullum finem esse, ad quem efficiendum ideaeque conuenienter producendum, natura idonea esset, propterea quoniam absolutus est. Nihil enim est in natura (vt phaenomeno), cuius in ea ipsa sita determinans ratio haud itidem foret ad conditionem adstricta; idque non solum de natura extra nos (materiali) verum etiam in nobis (cogitante) valet; quippe cum in memet solum id, quod natura est, considero. Res autem, quae necessario, propter naturam obiectiuam suam, vt scopus debet causae intelligentis exstare, esse debet eiusmodi, vt in ordine finium ex nulla vlteriori conditione, quam ex sola sua idea pendeat.

Iam tantummodo vnum naturarum genus in mundo est, quarum causalitas teleologica sit, nimirum fines spectet, et simul tamen ita comparata sit, vt lex, secundum quam sibi ipsis finis constituendi sunt, a se ipsis vt absoluta atque a conditionibus naturae libera, per se vero vt necessaria,

repraesentetur. Natura eius generis homo est, sed qua noumenon spectatus; vna solaque res naturae, in qua facultatem suprasensitiuam (*libertatem*) atque etiam legem causalitatis, cum re ei subiecta, quam sibi potest vt summum finem proponere (summum bonum in mundo), a parte propriae naturae illius possumus cognoscere.

Igitur de homine (et sic de quaque natura rationeque in mundo), vt natura morali, quaeri vlterius non potest: quem in finem is exstet. Exsistentia eius finem supremum in se ipsa habet, cui, quantum in se est, vniuersam naturam subiicere potest, certe quem contra nulli se contagioni naturae putare obnoxium debet. — Si igitur res mundi, vt naturae quoad exsistentiam pendentes, causae supremae ex finibus agentis indigent, homo scopus est creationis; sine hoc enim catena finium sibi inuicem subordinatorum non plene fundata foret; et solum in homine, sed quoque in hoc tantummodo vt subiecto moralitatis, legislatio inest absoluta respectu finium, quae eum proinde solum reddit idoneum, vt esse scopus queat, cui vniuersa natura teleologice sit subordinata *).

*) Fieri posset, vt felicitas naturarum rationalium in mundo scopus naturae esset, et tum ea quoque finis illius *vltimus* foret. Saltim non potest perspici ex anticipatione, quare natura non sic deberet instituta esse, quoniam per mechanismum suum sane fieri hoc effectum posset, certe quantum nosmet intelligimus. Verum moralitas, eique subordinata causalitas ex finibus fieri nullo modo potest per causas naturales; namque principium determinandae illius ad agendum suprasensitiuum est, proinde vnum est, quod fieri potest in ordine finium, quod respectu naturae absolute a conditione liberum est, eiusque subiectum eo ad *scopum* creationis, cui vniuersa natura subordinata est, aptum reddit. — Contra *felicitas*, vti superiori paragrapho teste experientia docuimus, ne *finis* quidem *naturae* est ratione hominum, cum quodam prae aliis creatis rebus principatu: nedum *scopus* sit *creationis*. Eam sibi sane homines constituant finem vltimum subiectiuum. Sin vero de scopo creationis quaero: quem in finem homines, necesse fuit, vt exstarent? sermo est de fine summo obiectiuo, qualem ratio summa in creatione sua postulatura foret. Igitur si respondeas: vt naturae exstarent,

§. 85.
De physicotheologia.

Physicotheologia cernitur in conatu naturae, ex *finibus* naturae (quae solum possunt empirice cognosci) ad causam naturae supremam eiusque proprietates concludendi. *Theologia moralis* (ethicologia) foret conatus, ex fine morali naturarum rationalium in rerum natura (qui cognosci ex anticipatione potest) ad causam illam eiusque proprietates concludendi.

Physicotheologia per naturam rei theologiam moralem antecedit. Etenim, cum a rebus in mundo ad causam mundi volumus *teleologice* concludere; tum fines naturae, oportebit, primo datos esse, quorum postea scopum, huiusque tum principium causalitatis huiusque causae supremae anquirere debemus.

Secundum principium teleologicum multae et possunt fieri et debent naturae inuestigationes, quamuis non necesse sit, vt solliciti simus de ratione possibilitatis, ex consilio agendi, quam in variis naturae productis deprehendimus. Quodsi autem huius quoque cupias conceptum habere, nulla nobis omnino perspicientia erit vlterius progrediens, quam solum norma facultatis iudicandi reflectentis: nos scilicet, si modo vel vnum nobis productum naturae organicum datum esset atque oblatum, pro natura facultatis cognoscendi nostrae, eius nullam posse rationem aliam cogitare, quam rationem causae ipsius naturae (siue totius naturae siue huius modo partis illius), causalitatem eius per

quibus illa suprema causa benefacere posset; repugnabis conditioni, cui ratio hominis ipsum eius ardentissimum felicitatis desiderium subiicit (nimirum conuenientiam cum propria ipsius legislatione morali interna). Id quod probat: felicitatem tantummodo finem hypotheticum, proinde hominem, duntaxat qua naturam moralem, scopum creationis esse posse; quod vero statum illius spectet, felicitatem solum vt consequens, pro modo conuenientiae cum fine illo, vt fine exsistentiae, coniunctam videri.

intelligentiam in ſeſe cohibentis; quo quidem diiudicandi principio, in enodandis naturae rebus rerumque origine explicanda nihilo longius proficimus, ſed tamen quidam in naturam proſpectus aperitur, vt conceptum forte naturae originariae alias tam infecundum queamus adcuratius determinare.

Atqui adfirmo, phyſicotheologiam, vt maxime excolatur, nobis nihil quidpiam poſſe de *ſcopo* creationis aperire; ſiquidem ea ne quaeſtionem quidem illius attingit. Ea ergo de conceptu quidem cauſae mundi intelligentis, vt conceptu pro natura facultatis cognoſcendi noſtrae ſolum ſubiectiue vtili atque idoneo poſſibilitatis rerum, quas nobis poſſumus ex finibus cogitando informare, rationem reddere, ſed conceptum iſtum neque theoretico reſpectu nec practico vlterius determinare; illiusque conatus finem haud adſequitur, theologiae conſtituendae, verum etiamnum manet teleologia phyſica: quoniam relatio finalis in ea ſemper modo vt in natura hypothetica ſpectatur ſpectarique debet; proinde finem, in quem natura ipſa exſtat (cuius ratio extra naturam quaerenda eſt), ne quaeri quidem poteſt, ex cuius nihilominus idea determinata conceptus determinatus cauſae mundi intelligentis illius, proinde poſſibilitas theologiae pendet.

Quem res in mundo ſibi inuicem vſum praeſtent; quam vtilitatem varietas in re quadam huic ipſi rei adferat; quomodo adeo ſit, cur ſumatur, nihil in mundo fruſtra eſſe ac temere, ſed cuncta ad quidpiam *in natura*, poſita conditione vt certae res quaedam (vt fines) exſtarent, conducere, in quo proinde iudicandi facultati nullum aliud principium poſſibilitatis rei ei ad teleologice iudicandum propoſitae ratio noſtra ſuppeditat, quam decretum, mechaniſmum naturae ſubordinandi architectonicae auctoris mundi intelligentis: haec omnia contemplatio mundi teleologica optime praeſtet et ad ſummam admirationem. Quoniam vero data, proinde principia illius conceptus de cauſa mundi intelligente (vt ſummi artificis) *determinandi* ſolum empirica ſunt; iis non poteſt ad vllas proprietates vlterius

concludi, quam quas experientia nobis in effectis illius manifestat: quae, cum numquam queat vniuersam naturam vt systema complecti, saepenumero (vt videtur) conceptum illum argumentaque secum inuicem pugnantia offendere debet, numquam vero, etiamsi totum systema, quatenus illud solam attingit naturam, empirice perlustrare possemus, nosmet supra naturam, ad ipsum illius exsistentiae finem possumus, eoque conceptum intelligentiae illius supremae euehere.

Quodsi quaestionem, de qua soluenda physicotheologia curat, deminuas, solutio illius facilis videtur. Si enim conceptum *naturae diuinae* in vna quaque re intelligente, quam cogitamus, perdas, quarum vna pluresue fuerint, quae multas et permagnas, sed haud fere omnes proprietates habet, ad constituendam naturam cum fine, qui esse possit, maximo conuenientem omnino necessarias: aut si pro nihilo putes, in theoria quadam defectum eorum, quae argumenta efficiunt, per additamenta arbitraria resarcire ac supplere, et si, vbi est, cur *multam* perfectionem sumas (et quid est multum nobis?) ibi te iure posse *omnem, quae esse queat*, supponere existimes; tum teleologia physica maxime sibi vindicat gloriam, theologiae constituendae. Cum autem postulatur, vt doceamus, quid tandem nos impellat nobisque potestatem faciat illius supplementi; tum in principiis vsus theoretici rationis, qui simpliciter praecipit, vt in enodanda re sub experientiam subiecta huic non plures proprietates attribuamus, quam data adsint empirica possibilitatis illius, frustra rationem nos excusandi anquiremus. Adcuratiori exploratione videremus, proprie ideam naturae summae, in longe diuerso rationis vsu positam (in practico), in nobis ex anticipatione fundamento esse, quae nos impellit, vt imperfectam teleologiae physicae repraesentationem, de causa prima et originaria finium in natura, vsque ad conceptum naturae diuinae suppleamus; neque falso opinaremur, ideam istam, cum eaque theologiam, per vsum rationis theoreticum cognitionis mundi physicae nos perfecisse, multo minus realitatem illius probasse.

Veteribus haud ita verti vitio poteſt, cum deos ſuos, artim ſecundum facultatem, partim quoad fines voluntaſque, admodum multifariam diuerſos, omnes vero, vel e excepto quidem eorum principe, ſemper adhuc humano iore circumſcriptos cogitarunt. Cum enim conſtitutioem curſumque rerum in natura contemplarentur; ſatis quiem ſibi cauſae eſſe videbant, quare quiddam potius quam iechaniſmum pro cauſa earum ſumerent, finesque certaım cauſarum ſuperarum, quas non niſi ſuprahumanas ogitare poterant ſub opere huius mundi mechanico ſuſpiarentur. Quia vero bonum malumque, conuenientiam t inconuenientiam, certe ex noſtra quidem perſpicientia, dmodum mixta reperiebant, neque ſibi poterant conceere, vt tamen ſecreto ſumerent fines ſapientes et ſalubres undamento poſitos, quorum tamen haud videbant arguıentum, in vſum ideae arbitrariae auctoris cuiusdam ſumıe perfecti; vix aliter eorum de cauſa mundi ſuprema fieri ıdicium poterat, quatenus quippe in ratione ex normis heoretice vtenda ſibi prorſus conſtabant. Alii, qui qua hyſici ſimul eſſe theologi vellent, putabant eo rationem atiari, quod vnitati abſolutae prouiderent principii rerum ıaturae, quam ratio poſtulat, interuentu ideae de natura, n qua, vt vni ſolique ſubſtantiae, illae cunctae tantumnodo determinationes eſſent inhaerentes: quae ſubſtantia ıaud quidem per intelligentiam, cauſa mundi eſſet, in qua amen, vt ſubiecto, omnis rerum mundanarum intelligenia inueniretur; natura proinde, quod haud quidem quidiam ex finibus produceret, in qua vero tamen omnes res, ropter vnitatem ſubiecti, cuius eae merae determinationes unt, etiam ſine fine conſilioque neceſſario debebant ad ſe nuicem conuenienter referri. Si idealiſmum cauſarum inalium introduxere: propterea quod vnitatem tam difficulter aperiendam copiae ſubſtantiarum conuenienter conunctarum, pro dependentia cauſali *ab vna*, in dependeniam inhaerentiae *in vna* conuerterent; quod ſyſtema poſtıac, a parte rerum mundanarum inhaerentium ſpectatum, *et pantheiſmus*, ex parte vero ſubiecti ſolius ſubſiſtentis, et entis originarii, (ſerius)vt *Spinoſiſmus*, non tam quaeſtio

nem de caufa prima formae finalis naturae enodauit, quam eam potius vanam atque inanem declarauit, idcirco quia conceptus pofterior, omni realitate fua priuatus, fola calumnia redderetur conceptus vniuerfalis ontologici de ente in genere.

Igitur ex principiis vfus rationis folum theoreticis (quibus folum phyficotheologia nititur), conceptus dei, ad teleologicam noftram naturae diiudicationem idoneus, numquam poteft elici. Aut enim vniuerfam teleologiam pro fola illufione declaramus facultatis iudicandi in colligatione caufarum rerum diiudicanda, ad vnumque principium mechanifmi naturae confugimus, quae, propter vnitatem fubftantiae, cuius nihil nifi varietas fit determinationum illius, vniuerfalem ad fines relationem nobis videatur continere; aut, fi pro hoc caufarum finalium idealifmo, decreto realifmi huius peculiaris generis caufalitatis adhaerere volumus, fiue multa entia originaria intelligentia, fiue modo vnum, finibus naturae fubfternamus: fimulatque ad conftituendum conceptum illius nulla nifi principia empirica, a vero ac reali nexu finali in mundo defumta, in promtu fint, partim contra discrepantiam, quam natura refpectu vnitatis finalis in multis exemplis proponit, nullam medelam reperire poffumus, partim vero conceptum vnius caufae intelligentis, vti eum, per folam experientiam adiuti, efficimus, numquam vlli cuipiam, quo modo cumque fit, (theoretice vel practice) vtili fatis determinate, inde deducere.

Teleologia phyfica nos quidem impellit, vt theologiam quaeramus; verum ea nullam poteft producere, quo vsque naturam per experientiam inueftigemus, nexuique finali in ea aperto, per ideas rationis (quae ad quaeftiones phyficas effe theoreticae debent) fuccurramus. Quid iuuat, iure quaerere, vniuerfis hisce conftitutionibus inftitutisque intelligentiam nobis immenfam fundamento pofuiffe, eamque ex finibus hunc mundum ordinantem feciffe? fi natura nullam nobis fcopum aperit, nec vmquam aperire poteft, fine quo nullum nobis communem relationis punctum con-

cipere possumus omnium istorum finium naturae, nullumque idoneum principium teleologicum, partim vt fines cunctos in systemate cognoscamus, partim vt de intelligentia suprema, vt causa eiusmodi naturae, cogitationem nobis informemus, quae esse pro norma queat facultatis iudicandi nostrae super ea reflectentis. Tum quidem *intelligentiam technicam* haberem finium dispersorum; sed nullam *sapientiam* scopi, qui tamen proprie debet rationem illius determinandi continere. Verum deficiente scopo, quem solum potest ratio pura ex anticipatione suppeditare, quoniam omnes in mundo fines empirice sunt hypothetici, nihilque nisi quod ad hoc, vt finem fortuitum, non vero quod simpliciter absoluteque bonum sit, continere possunt, et qui memet solus doceret: quas proprietates, quem gradum, quamque relationem supremae causae naturae cogitare debeam, ad hanc vt systema teleologicum diiudicandam; quo modo, et quo iure licebit, vt conceptum admodum circumscriptum de intelligentia illa originaria, quem in exigua mundi cognitione mea fundare possum, de potentia huiusce naturae primae ideas suas ad effectum producendi, de voluntate eius id faciendi et sic porro, pro lubitu dilatem, et vsque ad ideam naturae omnium sapientissimae infinitae suppleam? Quod quidem, si effici theoretice deberet, in me ipso omniscientiam supponeret, ad fines naturae in toto contextu nexuque perspiciendos, et insuper omnia, quae esse possunt, alia consilia cogitanda, quibuscum comparatum praesens vt optimum iure foret diiudicandum. Namque sine hac perfecta absolutaque effecti notitia, nequeo ad vllum determinatum causae supremae conceptum, qui non nisi in conceptu inueniri potest intelligentiae omni respectu infinitae, nimirum in conceptu dei, concludere, ac theologiae fundamentum constituere.

Igitur in teleologia physica, quoad eius fieri potest, amplificanda, ex principio supra laudato, sane quidem dicere possumus: nos, pro natura principiisque facultatis cognoscendi nostrae, naturam in institutis suis, quae nobis innotuerunt, finalibus, non possumus nisi vt productum

cogitare intelligentiae, cui haec fubiecta videatur. An vero haec intelligentia in toto illius eoque producendo praeterea fcopum quemdam fibi propofitum habuerit (qui tum fitus non foret in natura mundi fenfibilis): id quidem perfcrutatio naturae theoretica numquam poteft nobis aperire; verum, in vniuerfa illius notitia, in medio relinquitur, vtrum caufa illa fuprema omnino ex fcopo quodam, an potius per intelligentiam a fola neceffitate naturae fuae ad certas quasdam producendas formas determinatam (fecundum analogiam eius quod in beftiis inftinctum technicum dicimus), ratio illius originaria fit: ita vt haud neceffe fit, ei propterea quoque folum fapientiam, multo minus fummam et cum omnibus aliis ad perfectionem producti neceffariis proprietatibus coniunctam fapientiam, attribui.

Quamobrem phyficotheologia, teleologia phyfica male intellecta, tantummodo vt propaedeutica ad theologiam vtilis eft, et non nifi accedente principio alio quodam, quo ea niti poffit, non vero per fe ipfa, vti nomen declarat, ad hunc finem idonea.

§. 86.

De ethicotheologia.

Sententia eft, a qua vel intelligentia communis non poteft fe continere, cum de exfiftentia rerum in mundo, ipfiusque mundi exfiftentia meditatur: nimirum omnes illas res creatas varias, quantacumque illarum artificiofa ftructura, quamque varius nexus ad fe inuicem relatarum fuerit, quid? quod totum tot illarum fyftematum, quae falfo mundos vocamus, fruftra exftituras fore, nifi homines (naturae rationales generatim) in iis effent; videlicet fine homine, totam rerum vniuerfitatem folum defertum, fruftraque et fine fcopo. Nec vero is fcopus eft propter facultatem cognofcendi fuam (rationem theoreticam), vt fere vllus quispiam adfit, qui poffit mundum *contemplari.* Etenim, ipfa mundi contemplatio tantummodo pretium hypotheticum habet, fcopumque iam fupponit, cuius

respectu illi esse pretium queat. Neque porro scopus est ob sensum voluptatis summamque illius, cuius respectu scopum creationis vt datum concessumque cogitamus, nimirum non propter salutem, nec fruitionem (siue corpoream siue spiritualem), vno verbo propter felicitatem, ex qua pretium illud absolutum metimur et aestimamus. Namque, inde, quod homo, si adsit, hanc sibi ipsi pro scopo proponat, non potest intelligi, quem in finem is omnino exstet, quodque pretium ipsius sit, vt ei exsistentia reddi iucunda queat. Igitur is iam vt scopus creationis supponi debet, quo ratio adsit, cur natura debeat cum eius felicitate conspirare, si ea vt totum absolutum ex principiis finium spectatur. — Ergo solum facultate adpetendi; non ea vero, qua ab natura (per impetus sensitiuos) liber redditur, neque ea, cuius respectu pretium exsistentiae eius in iis, quae accipit, quibusque fruitur, nititur; sed pretio, quod is sibi ipse solus statuere potest, quodque in iis consistit, quae agit, quomodo quibusque ex principiis, non solum vt articulus naturae, sed in *libertate* facultatis adpetendi suae, agit, nimirum bona voluntate fit, vt exsistentiae suae pretium absolutum accedat, cuiusque respectu exsistentiae mundi esse *scopus* possit.

Quocum et cuiusque de vulgo hominis sententia ex ratione sana maxime conspirat: scilicet non nisi qua naturalem moralem creationis scopum esse hominem posse, si modo ad hanc quaestionem diiudicatio instituta tentetur. Quid iuuat, quis mihi forte occurret, tanta naturae dona homini inesse, eumque iis adeo admodum se agilem ostendere, eaque re vim in republica salutarem exserere, ideoque illius, et cum fortunis suis et cum aliorum vtilitate comparati, permagnum pretium esse, nisi bona polleat voluntate? Secundum interiora animi spectatur, in rebus est contemtu dignis; et nisi vbicumque debeat creatio scopo vacare, necesse erit, vt is, qui, qua homo, quoque ad eam pertinet, tamen, vt homo malus, in mundo sub legibus moralibus, his conuenienter, scopum subiectiuum suum (felicitatis) praetermittat, in quo quidem solo con-

ditio ineſt, qua fit, vt exſiſtentia eius queat cum ſcopo conſiſtere.

Quodſi igitur fines in mundo deprehendamus, et, vti ratio neceſſario poſtulat, fines hypotheticos, cuipiam abſoluto ſupremo, hoc eſt, ſcopo, ſubiiciamus; primo facile intelligitur, tum haud de fine naturae (intra illum), quatenus ea exſtet, ſed de fine exſiſtentiae illius vna cum omnibus eius inſtitutis, proinde de *fine creationis vltimo* ſermonem eſſe, in eoque quoque proprie de conditione ſuprema, ex qua ſola poſſit ſcopus (id eſt ratio intelligentiae ſummae ad producendas res mundanas determinandae) locum habere.

Cum autem hominem, duntaxat vt naturam moralem, pro ſcopo creationis agnoſcamus: nobis primo ratio eſt, certe princeps conditio, mundum ſpectandi, vt totum aliquod ex finibus contextum vtque cauſarum finalium *ſyſtema;* in primis autem relationis, pro natura rationis noſtrae, nobis neceſſariae, finium naturae ad cauſam mundi intelligentem, *principium*, naturam proprietatesque huiusce cauſae primae, vt rationis ſupremae in regno finium, cogitandi, atque ita conceptum illius determinandi: id quod teleologia phyſica haud poterat efficere, quippe quae non niſi conceptus illius indeterminatos poterat atque, ob id ipſum, ad vſum cum theoreticum tum practicum, inutiles ſuppeditare.

Ex hoc ſic determinato cauſalitatis principio entis originarii illud non ſolum vt intelligentiam et naturae legislatorium, verum etiam vt caput legislatorium in regno finium morali nobis cogitandum erit. Reſpectu *ſummi boni*, ſolum ſub illius imperio poſſibilis, nimirum exſiſtentiae naturarum rationalium ſub legibus moralibus, ens illud originarium cogitare debebimus vt *omniſcium:* vt ipſa interiora animi (quo proprium pretium morale actionum naturarum mundi rationalium efficitur) illud ne lateat; vt *omnipotens:* vt vniuerſam naturam huic ſummo fini reddere conſentaneam poſſit; vt *optimum beniguumque*, et ſimul

iuſtum; quoniam ambabus his proprietatibus (coniunctis, *ſapientia*) conditiones cauſalitatis cauſae mundi ſupremae vt ſummi boni, ſub legibus moralibus, continentur; et ſic porro reliquae quoque proprietates transſcendentales, velut *aeternitas*, *omnipraeſentia*, et quae ſunt generis eiusdem (nam benignitas et iuſtitia in proprietatibus moralibus verſantur), quae reſpectu eiusmodi ſcopi ſupponuntur, in illo cogitandae videntur. — Hoc modo teleologia *moralis* defectum ſupplet *phyſicae*, conſtituitque demum *theologiam;* cum haec poſterior, niſi ea occulte ab illa priori mutuaretur, ſed ſecum deberet conſtare, per ſe ſola non poſſet niſi *daemonologiam*, quae non eſt cuiuspiam conceptus determinati capax, conſtituere.

Verum principium adſectionis mundi, propter determinationem finium moralem certarum quarumdam naturarum in eo, ad cauſam ſupremam, vt deum, id non eo ſolum efficit, quod argumentum phyſico-teleologicum ſupplet, ideoque hoc neceſſario fundamento ponit; ſed praeterea quoque *per ſe* idoneum eſt, animumque ad fines naturae aduertit, inueſtigationemque dirigit magnae artis ſub formis illius occultatae, ad ideas, quas ratio pura practica miniſtrat, in finibus naturae confirmandas. Nam conceptum naturarum mundanarum ſub legibus moralibus principium eſt ex anticipatione, ex quo neceſſario ſeſe debet homo diiudicare. Iam vero, ſi omnino cauſa mundi ſit ex conſilio agens ad finemque intenta, relatione illa morali conditionem poſſibilitatis oportere creationis perinde contineri, quam illa ex legibus phyſicis (ſi ſcilicet illi cauſae intelligenti quoque ſcopus ſit): etiam ex anticipatione, ratio pro principio agnoſcit, ſibi ad exſiſtentiam rerum teleologice diiudicandam neceſſario. Iam tantummodo id agitur: an rationi (ſiue contemplatiuae ſiue practicae) vlla quaepiam cauſa idonea ſit, cur cauſae ſupremae ex finibus agenti *ſcopus* queat attribui. Namque, hanc rationem tum, pro natura rationis noſtrae ſubiectiua, et vtcumque vel aliarum entium rationem nobis cogitando informauerimus, nullam poſſe eſſe aliam, quam *hominem legibus mora-*

libus subiectum: ex anticipatione potest nobis pro certo indubitatoque valere; cum e contrario fines naturae in ordine physico nullo modo queant ex anticipatione cognosci, in primis, naturam sine iis non posse exstare, prorsus nequeat intelligi.

Scholion.

Fingas hominem in ipso momento animi ad sensationem moralem compositi. Cum sese, cinctum pulcra natura, laete sentit perfrui exsistentia, tum intus in se necessitatem percipit, vlli cuipiam ea de re gratias habendi. Cum alio tempore pariter sese adfectum copia vrgeri officiorum videt, quibus non nisi voluntario damno et potest satis facere et cupit; tum in se necessitatem persentiscit, sese et imperata fecisse et superiori domino obsecutum fuisse. Fingas alium temere officium migrasse, cuius nemini homini reddere rationem teneatur; tamen seuerae sui ipsius reprehensiones in eo vim eamdem quam vox iudicis habebunt, cui reddere rationem deberet. Vno verbo: indiget intelligentiae cuiusdam moralis, vt ad finem, in quem exstat, explicandum naturam habeat, quae huic conuenienter et illius causa et mundi videatur. Frustra sub hisce sensationibus elateres argutando eliciuntur; quippe qui proxime cum mente pura morali cohaerent, siquidem *gratus animus, obedientia, modestiaque* (submissio sub meritam castigationem) in peculiaribus animi adfectionibus ad officium versantur, animusque ad mentem suam moralem dilatandam pronus sponte hic rem sibi cogitando tantummodo informat, quae haud in mundo est, vt, si fieri possit, erga talem quoque officium faciat. Igitur certe fieri potest, et ratio quoque in mente morali inest, vt necessitatem puram moralem exsistentiae naturae cuiuspiam cogitemus, sub qua vel moralitas nostra robore crescat vel etiam (saltem pro nostra repraesentatione) ambitu, nimirum noua re augeatur sese exserenti proposita; hoc est, natura sumenda moraliter legislatoria extra mundum, nullo respectu habito argumenti theoretici, multo minus inuitamenti proprii,

ex ratione pura morali, ab omni aliena contagione libera (fane quidem folum fubiectiua), folo fuafu rationis per fe folius legislatoriae purae practicae. Et, quamuis raro eiusmodi animi adfectio inueniretur, neue diu maneret, fed celeriter, nulloque veftigio durante relicto, vel etiam omni de re obiecta in eiusmodi vmbra repraefentata meditatione omiffa, ftudioque eam conceptibus diftinctis fubiiciendi neglecto, praeteruolaret: tamen ratio eius euidens eft, initium morale, intus in nobis eft, tamquam principium fubiectiuum in contemplando mundo haud adquiefcendi in forma finali illius per caufas phyficas, fed caufam fupremam, ex principiis moralibus naturam imperantis, fubfternendi. — Accedit, quod, vt ad finem fummum vniuerfalem quemdam adnitamur, nosmet per legem moralem coactos, fed tamen et nos ipfos et vniuerfam naturam ad illum attingendum imbecillos fentimus; quod, duntaxat quatenus ad id conamur, fcopo caufae mundi intelligentis (fi talis effet) conuenientes effe nos, licet iudicari; atque ita caufa rationis practicae pura moralis adeft, eaş caufas (cum fine pugna fieri queat) fumendi certe ne conatus iftos, refpectu effectorum, prorfus vanos habere, eoque illos patinos delaffari videantur.

Horum omnium, quae hactenus disputata funt, haec vis atque poteftas eft: *metum* quidem primum *deos* (daemones), verum *rationem*, per principia moralia fua, primum conceptum *dei* producere potuiffe (vel tum quoque, cum teleologiae naturae, vti plerumque, admodum infcii, aut etiam propter phaenomena in eo pugnantia per principium fatis probatum, difficulter enodanda vehementer dubii fuerunt); internamque finium exfiftentiae eius determinationem *moralem* id fupplere, quod cognitioni naturae deeffet, propterea quod ea nimirum oftenderet, ad fcopum exfiftentiae rerum omnium, cuius principium non nifi *ethicè* rationi fatis facit, caufam fupremam cogitari cum proprietatibus, quibus ea vniuerfam naturam fini vni illi, (cuius haec folum inftrumentum eft) fubiicere poteft (hoc eft, vt deus).

§. 87.

De argumento morali pro exſiſtentia dei.

Eſt *teleologia phyſica* argumentum ſuppeditans exſiſtentiae cauſae mundi ſumendae intelligentis, facultati iudicandi noſtrae theoretice reflectenti idoneum. Verum in nobismet ipſis, magisque in conceptu naturae rationisque libertate (cauſalitate) praeditae omnino, *teleologiam* quoque *moralem* inuenimus, quae vero, cum relatio finalis in nobis ipſis ex anticipatione poſſit, vna cum lege illius, determinate, proinde vt neceſſaria cognoſci, in hunc vſum nullius cauſae intelligentis extra nos pro hac interna legalitate indiget: aeque minus, atque in eo, quod in figuris geometricis (ad varium, quod eſſe poteſt, artis exercitium) finale deprehendimus, intelligentiam ſummam, quae iis id impertiat, ſpectare debemus. Verum haec teleologia moralis tamen nos attingit, vt naturas mundanas, ideoque cum rebus aliis in mundo coniunctas: ad quas poſteriores, aut vt fines aut vt res, quarum reſpectu nos ipſi ſcopus ſumus, diiudicationem noſtram dirigamus, eaedem nobis leges morales praecipiunt. Ab hac igitur teleologia morali, quae relationem noſtrae attinet cauſalitatis propriae ad fines atque etiam ad ſcopum, quem nobis in mundo debemus proponere, mutuam item mundi relationem ad finem illum moralem externamque eius conſequendi poſſibilitatem (quod nulla nos teleologia phyſica docere poteſt) quaeſtio nunc neceſſaria proficiſcitur: an ea diiudicationem noſtram rationalem cogat, vltra mundum transgredi, et naturae ad honeſtum (morale) in nobis referendae principium ſupremum intelligens quaerere, vt naturam, etiam reſpectu legislationis moralis internae eiusque poſſibilis exſecutionis, nobis vt finalem repraeſentemus. Ergo ſane eſt teleologia moralis; eaque cum *nomothetica* libertatis ex vna parte, vti ex altera cum nomothetica naturae pariter neceſſario cohaeret, ac legislatio ciuilis cum quaeſtione, vbi poteſtas exſecutiua quaerenda ſit, omninoque in vniuerſis nexus eſt, in quibus ratio principium oſtendere exſiſtentiae debeat certi cuiusdam legalis, ſolum ex ideis poſſibilis, ordinis

rerum. — Progreſſum rationis a teleologia illa moralis eiusque ad phyſicam relatione, ad *theologiam* primo proponemus, poſteaque de poſſibilitate firmitateque huius argumentationis generis commentabimur.

Quodſi exſiſtentiam certarum rerum (vel etiam certarum modo formarum rerum) fortuitam accipias, quae proinde per aliud quid, quam cauſam, eſſe poſſit: ad hanc cauſalitatem ſupremae ideoque ad hypotheticum rationem abſolutam quaerere poteris aut in phyſico ordine, aut teleologico (ex nexu effectiuo vel finali). Nimirum quaeri poteſt: quaenam eſt cauſa ſuprema producens? aut ecquid finis eſt ſupremus (ſimpliciter abſolutus) illius, ſcilicet ſcopus illius in hoc vel vniuerſis eius productis efficiendis in genere? in quo quidem tum ſane ſupponitur, hanc cauſam repraeſentationis finium eſſe capacem, proinde naturam intelligentem eſſe, vel certe a nobis ex legibus eiusmodi naturae agentem cogitandam.

Iam, ſi poſteriorem ordinem perſequare *principium* eſt, cui ipſa vel maxime communis hominum ratio proxime cogitur adſentire: *ſcopum*, ſi vllus omnino, quem ratio ex anticipatione docere debet, locum habere debeat, nullum eſſe alium poſſe, quam *hominem* (quamque naturam rationemque mundanam) *ſub legibus moralibus* *).

*) De induſtria dico: *ſub* legibus moralibus. Non vero hominem *ex* legibus moralibus, hoc eſt, eum qui ſe illis conſentaneum gerit, ſcopum eſſe creationis. Nam hoc poſteriori verbo, plus, quam ſcimus, diceremus: nimirum penes auctorem mundi eſſe, facere, vt homo ſemper ſeſe ad leges morales rite componat; id quod conceptum libertatis ſupponit et naturae (cuius ſolum poſterioris auctor poteſt externus cogitari), qui intellectum ſubſtrati ſupraſenſibilis naturae, eiusque cum eo, quod fieri in mundo ex cauſalitate poteſt per libertatem, deberet continere, quae vim omnem rationis noſtrae longe ſuperat. Tantummodo de homine *ſub legibus moralibus* dicere, cancellis intellectus noſtri haud migratis, poſſumus: eius exſiſtentia ſcopum mundi effici. Id quod exacte quoque conuenit cum iudicio rationis humanae ſuper curſu mundi moraliter reflectentis. Veſtigia ſapientis finium relationis vel in malo videmur perſpicere, ſi modo intelligimus, friuolum maleficum haud mori,

Etenim (ita quisque iudicat) ſi mundus e rebus conſtaret inanimis, vel ex parte quidem viuis ſed brutis, tum exſiſtentiae eiusmodi mundi nullum prorſus pretium foret, quoniam nulla in eo res exſtaret, quae vel minimam de pretio cogitationem haberet. Sin e contrario naturae quoque rationales ponendae forent, quarum vero ratio pretium exſiſtentiae rerum ſolum in relatione naturae ad eas (ſalutem earum), non illud vero ipſae ſibi poſſent originarie (in libertate) comparare; tum fines quidem (relatiui) in mundo forent, verum nullus (abſolutus) ſcopus, quia exſiſtentia eiusmodi naturarum rationalium vsque eſſet fine deſtituta. Sed legum moralium ea propria natura eſt, vt quidpiam qua finem ſine conditione, proinde pro eo ipſo, atque conceptus ſcopi indiget, rationi praecipiant: et exſiſtentia eiusmodi rationis, quae in relatione finium ſibi ipſa lex eſſe ſuprema poteſt, ſiue, quod idem eſt, exſiſtentia naturarum rationalium ſub legibus moralibus, ſola proinde vt ſcopus poteſt exſiſtentiae mundi cogitari. Contra ſi ſecus comparatum ſit, exſiſtentiae illius vel nullus omnino in cauſa finis, vel fines ei ſine ſcopo fundamento videntur.

Lex moralis, vt conditio formalis ab ratione profecta libertatis vtendae, obligat nos, vt ex ſe ſola, neque ex vllo alio fine quodam, vt conditione materiali, pendeamus; verum tamen ea nobis quoque determinat, et

priusquam poenas dederit ſcelerum promeritas. Ex noſtris cauſalitatis liberae conceptibus, bene maleue agendi ratio poſita in nobis eſt; ſummam vero gubernandi mundi ſapientiam in eo ponimus, vt bene agendi occaſio, vtriusque (et bene et male agendi) effectum, ex legibus moralibus conſtitutum videatur. Atque in hoc poſteriori proprie conſiſtit gloria dei, quae proinde a theologis haud inepte finis creationis vltimus adpellatur. — Praeterea notandum eſt, nos creationis vocabulo, cum eo vtimur, nihil aliud intelligere, quam quod hoc loco diximus, nimirum cauſam *exſiſtentiae mundi*, vel rerum in eo (ſubſtantiarum) vti etiam ſic fert proprius huius vocabuli conceptus (actuatio ſubſtantiae eſt creatio): quod proinde haud iam ſuppoſitionem inuoluit cauſae libere agentis, ideoque intelligentis (cuius exſiſtentiam volumus demum probare).

quidem ex anticipatione, ſcopum, quem ea nobis praecipit ſectandum: isque eſt *ſummum bonum* per libertatem *in mundo* poſſibile.

Conditio ſubiectiua, qua homo (atque ex omnibus conceptibus noſtris etiam quaeque natura ratioque finita) ſibi, ſub illa lege, ſcopum queat proponere, cernitur in felicitate. Ergo ſummum in mundo poſſibile, et, quantum in nobis eſt, vt ſcopus promouendum, bonum phyſicum in *felicitate* verſatur: cum adiunctione conuenientiae hominis cum lege *moralitatis*, vt dignitatis felicitate perfruendi.

Verum haec duo requiſita ſcopi nobis per legem moralem propoſiti, fieri non poteſt, vt ex vniuerſis rationis viribus noſtris, vt per ſolas cauſas phyſicas *coniuncta*, ideaeque ſcopi illius conſentanea, cogitatione nobis informemus. Ergo conceptus de *neceſſitate practica* eiusmodi finis per vſum virium noſtrarum, haud conuenit cum conceptu theoretico de *poſſibilitate phyſica* illius efficiendi, niſi vllam aliam cauſalitatem (cuiusdam adiumenti), quam efficientiam naturae cum libertate noſtra coniungamus.

Igitur cauſa mundi nobis moralis (mundi auctor) ſumenda eſt, quo nobis, legi morali conuenienter, ſcopum proponamus; et, quatenus hoc poſterius neceſſarium eſt, eatenus (id eſt, in eodem gradu ob eandemque cauſam) et prius erit vt neceſſarium ſumendum: ſcilicet deum eſſe *).

*) Hoc argumentum morale nullam debet, quae *obiectiue* valeat, rationem pro exſiſtentia dei ſuppeditare, neque, deum eſſe, dubitanter eredenti euincere; ſed monere, vt, ſi moraliter velit cum conſtantia cogitare, eum ſumtionem huius enunciati oporteat ad normas *recipere* rationis ſuae practicae. — Neque etiam haec eius vis erit, ac ſi *ad* moralitatem neceſſe ſit, omnium naturarum mundanarum rationalium moralitati earum conuenienter ſumere; verum: eſſe *per* eam neceſſarium. Proinde argumentum eſt *ſubiectiuum*, naturis moralibus idoneum.

* * *

Atque huius quidem argumenti, cui facile poteſt praeciſionis logicae forma aptari, non ea vis eſt, ac ſi perinde neceſſaria ſit exſiſtentia dei ſumenda, ac valor legis moralis agnoſcendus; proinde, is, qui nequeat ſibi de hoc poſteriori perſuadere, etiam non poſſit ab obligationibus ex illa ſuperiori liberum ſeſe iudicare. Minime. Solum ſcopus obſeruanda lege morali in mundo (felicitas naturarum rationalium cum ſeruanda morali lege harmonice conveniens, vt ſummum optimum mundanum) tunc mitti deberet. Quisque ſanus ad praeceptionem morum etiamnum arcte ſeſe cognoſcere adſtrictum deberet; eorum enim leges ſunt formales abſoluteque imperant, nulla habito finium (vt materiae volendi) reſpectu. Sed vnum ſcopi, qualem ratio practica naturis mundanis praeſcribit, requiſitum finis eſt irreſiſtibilis in eas per naturam (vt naturas finitas), inditus, quam ratio tantummodo legi morali *vt conditioni* inuiolabili ſubiici vult, vel etiam ex ea effici vniuerſalem, atque ita promouendam felicitatem, cum moralitate conuenientem, ſcopum conſtituit. Quem igitur, vt, quantum (quod ſuperiores ſpectat) in noſtris viribus eſt, promoueamus, lex nobis moralis praecipit; qualis ille cumque exitus huius laboris videatur. Obſeruatio officii in forma conſiſtit voluntatis ſeriae, non vero in cauſis mediis felicis ſucceſſus.

Fac igitur, hominem, partim per infirmitatem omnium tantopere celebratorum argumentorum contemplatiuorum, partim per quasdam in natura mundoque morali obuias prauitates ductum motumque, de ſententia: deum haud eſſe, ſibi perſuadere; is tamen nihilominus ex ſuo ipſius iudicio nequam foret, ſi idcirco leges officii ſolum commentitias, irritasque atque haud obligantes haberet, audacterque eas decernere vellet migrandas. Talis tum quoque, cum poſthac de iis, quae initio dubitauerat, ſibi perſuadere poſſet, illa mente etiamnunc nequam manſurus eſſet: etiamſi officium, ſed ex metu, conſilione mercedis cupido, ſine mente officii ſtudioſa, quoad effectum vel

maxime diligenter adcurateque, faceret. Vice versa cum vt credens officium secundum conscientiam suam sincere studioseque seruet, et nihilominus, quoties periculi causa ponit, sibi aliquando persuasum iri posse, deum non esse, continuo se liberum ab omni obligatione morali putaret; tamen necesse foret, cum mente morali illius interna male comparatum videri.

Igitur virum quemdam probum (veluti Spinozam) possumus sumere, cui, deum non esse, certo persuasum videatur, nec (respectu rei moralitati subiectae idem consequitur) vitam futuram; quomodo is suam ipsius determinationem finalem internam per legem moralem, quam actionibus veneratur, diiudicabit? Ex obseruanda illa ad se nullam vtilitatem cupit, neque in hoc neque in alio mundo redundare; studiose cupit potius bonum patrare, quo lex illa sancta omnes eius vires dirigit. Verum conatus eius circumscriptus et limitatus, ab naturaque passim quidem accessum fortuitum potest, non vero legalem atque ex regulis constantibus (pro ea atque intus normae illius et sunt et esse debent) cum fine conuenientiam exspectare, ad quem efficiendum tamen obligatum sese intelligit atque impulsum. Fraus, violentia atque inuidia semper circumcirca in vsu videbitur, quamuis ipse probus sit, pacificus ac benignus; probique, quos extra deprehendit, tamen, nullo habito dignitatis illorum felicitatis persruendae respectu, per naturam, quae hoc non curat, vniuersis malis, et inopiae, et morborum, et mortis intempestiuae, instar caeterorum terrae animalium, obnoxii erunt manebuntque, cum amplus tumulus cunctos (probos vel improbos, nil interest) deuoret, eosque, qui credere sese creationis scopum poterant, in voraginem materiae chaos temerarii, vnde extracti essent, reiiciat. — Hic igitur homo bene ab natura informatus finem, quem in sequenda lege morali ob oculos habebat et debebat habere, sane vt impossibile, mitteret, necesse foret; aut si in eo quoque voci destinationis internae suae fidelis adhaerere, obseruantiamque, quam lex moralis ei proxime obsequii causa instillat, haud

vanitate ſcopi vnius idealis poſtulationi illius magnae conſentanei debilitari velit (quod fieri non poteſt ſine quadam mentis moralis iactura): ſumenda ei erit exſiſtentia dei, quod etiam commode facere poteſt, propterea quod per ſe quidem haud pugnat, vt reſpectu practico, quo ſaltem de poſſibilitate ſcopi moraliter ſibi praecepti cogitationem informet, exſiſtentiam auctoris *moralis* mundi, hoc eſt, dei ſumat.

§. 88.

Limitatio valoris argumenti moralis.

Ratio pura, vt facultas practica, nimirum vt facultas vſus liberi cauſalitatis noſtrae per ideas (conceptus puros rationis) determinandi, non ſolum principium actionum noſtrarum regulatiuum in lege morali continet, ſed eo quoque ſimul nobis ſubiectiue conſtitutiuum in conceptu rei cuiusdam obiectae miniſtrat, quod ſolum poteſt ratio cogitare, quodque per actiones noſtras in mundo ex lege illa dari effectum debet. Igitur ideae ſcopi in vſu libertatis ex legibus moralibus realitas ſubiectiue *practica* eſt. Nos ex anticipatione ſumus ad ſalutem mundanam pro viribus noſtris promouendam. Haec autem cernitur in ſumma rerum mundanarum rationalium ſalute cum ſumma in ea conditione boni, hoc eſt, in felicitate vniuerſali cum moralitate legali coniungenda. In hoc ſcopo poſſibilitas vnius partis, quippe felicitatis, empirice hypothetica eſt, hoc eſt, ea pendet ex ratione naturae (vtrum ea cum hoc fine conſpiret nec ne), reſpectuque theoretico problematica; cum altera pars, nempe moralitas, cuius reſpectu liberi ſumus a cooperatione naturae, quoad poſſibilitatem ex anticipatione firma ſtet dogmaticeque certa videatur. Quamobrem ad realitatem obiectiuam theoreticam conceptus de ſcopo naturarum mundanarum rationalium poſtulatur, vt non ſolum nos ſcopum habeamus ex anticipatione propoſitum, ſed vt quoque creatio, nimirum mundus ipſe, quoad exſiſtentiam ſcopum habeat: quod, ſi ex anticipatione euinci poſſet, ad realitatem ſcopi ſubiectiuam etiam

obiectiuam adderet. Etenim, si vllus omnino creationis scopus sit, nos eum non possumus nisi sic cogitare, vt illum cum morali (quo solo fit, vt esse scopi conceptus possit) oporteat conuenire. Atqui in mundo quidem fines videmus: eosque teleologia physica ita exhibet, vt, si rationi congruenter iudicemus, vt pro principio inuestigandae naturae haud iniuria sumamus, nihil in natura quidpiam esse sine fine; sed scopum naturae frustra in ea ipsa quaerimus. Ergo et potest hic et debet, ita vti idea eius in ratione inest, quoad ipsam possibilitatem obiectiuam, solum in naturis ratione praeditis anquiri. Atque earum quidem ratio practica scopum istum non solum indicat, sed hunc conceptum quoque determinat, respectu conditionum, quibus efficitur, vt scopus creationis solum a nobis queat cogitari.

Iam quaeritur: anne obiectiua realitas conceptus de scopo creationis possit quoque petitionibus rationis purae idoneae, etsi haud apodictice, facultati iudicandi determinanti, at normis idonee facultatis iudicandi theoretice reflectentis euinci. Quod quidem minimum est, quod a philosophia contemplatiua postulari poterit, quae finem moralem cum finibus naturae per ideam finis vnius pollicetur sese coniuncturam; verum tantillum istud longe plus est, quam ea vmquam possit praestare.

Ex principio facultatis iudicandi theoretice reflectentis diceremus: si est, cur productorum naturae finalium causam naturae supremam sumamus, cuius effectio respectu exsistentiae naturae (creationis) alius generis, quam ad mechanismum naturae necessarium est, nimirum vt effectio intelligentiae, cogitetur; ratio quoque nobis erit idonea, cur in hoc ente originario non solum vbicumque locorum in natura fines, verum etiam quemdam scopum cogitemus, quamquam haud quidem ad exsistentiam eiusmodi entis euincendam, at saltem (vti in teleologia physica factum est) ad nobis persuadendum, nos possibilitatem eiusmodi mundi non solum ex finibus posse, sed etiam eo modo nobis explicare, vt exsistentiae illius scopum quemdam subiiciamus.

Sed ſcopus tantummodo conceptus eſt rationis practicae noſtrae, neque ex datis poteſt experientiae in natura theoretice diiudicanda conſecutione effici, neque ad cognitionem eius referri. Nullus huius conceptus poteſt vſus fieri, niſi ſolum rationi practicae ex legibus moralibus, ſcopusque creationis ea mundi qualitate continetur, quae cum eo, quod ſolum ex legibus poſſumus determinate indicare, nimirum cum ſcopo rationis noſtrae purae practicae, et quidem quatenus debeat practica eſſe, conſpirat. — Atqui per legem moralem, quae hunc nobis ſcopum iniungit, reſpectu practico, quippe vt viribus noſtris in eo efficiendo vtamur, rationem habemus, cur poſſibilitatem illius atque effectionem, proinde quoque (quoniam ad conditionem illius haud in noſtra poteſtate poſitam natura haud accedente, fieri non poſſet vt is efficeretur) naturam rerum cum eo conuenientem ſumamus. Ergo nobis ratio eſt moralis, cur quoque ſcopum creationis cogitemus.

Haec autem nondum concluſio eſt a teleologia morali ad theologiam, ſcilicet ad exſiſtentiam auctoris mundi moralis, ſed duntaxat ad ſcopum creationis, qui hoc modo determinatur. Vt igitur huius creationis, id eſt, exſiſtentiae rerum, *ſcopo* conuenienter, primum ens intelligens, deinde vero non modo (vti poſſibilitatis rerum naturae, quas vt fines diiudicare cogebamur) intelligens verum ſimul *morale*, vt auctor mundi, proinde *deus* ſumi deberet: altera concluſio eſt, quae ita comparata eſt, vt eam factam videas tantummodo in vſum facultatis iudicandi, ex conceptibus rationis practicae, et, qua talis, in gratiam iudicandi facultatis reflectentis, non vero determinantis. Neque enim tantum nobis poſſumus arrogare, vt perſpiciamus: quamquam in nobis ratio moralis practica a technice practica quoad principia interne atque eſſentialiter differt, in cauſa mundi ſuprema, vt intelligentia ſumta, item ſic eſſe debuiſſe, genusque cauſalitatis peculiare quoddam ac diuerſum illius ad ſcopum poſtulari, quam ſolum ad fines naturae; proinde nobis in ſcopo noſtro non modo *rationem moralem* eſſe, cur creationis (vt effecti) ſcopum, verum

etiam *ens morale*, vt rationem primam creationis atque originariam, sumamus. Sed sane quidem dicere poterimus: nos, *pro natura rationis nostrae*, possibilitatem eiusmodi formae finalis *ad legem moralem* eiusque rem obiectam relatae, qualis in hoc scopo est, nullo modo posse, sine mundi et auctore et moderatore, qui simul legislator moralis sit, nobis enodare.

Igitur exsistentia auctoris summi moraliter legislatorii duntaxat *in vsum* rationis nostrae *practicum* idonee probata est, nec vero quidquam respectu exsistentiae illius theoretice determinatum. Haec enim ad possibilitatem finis sui, qui nobis praeterea per propriam legislationem illius propositus est, ideae indiget, qua impedimentum, ex manca imperfectaque eius obseruatione secundum solum conceptum mundi naturalem (facultati iudicandi reflectenti idonee) remouetur; eique ideae eo realitas practica accedit, etiamsi in gratiam cognitionis contemplatiuae cuncta illi adiumenta prorsus desint, talem sibi respectu theoretico, ad explanandam naturam determinationemque causae supremae, comparandi facultati iudicandi theoretice reflectenti teleologia physica ex finibus naturae satis causam mundi intelligentem euicit; sed practicae, idem efficit moralis per conceptum scopi, quem respectu practico creationi tribuere cogitur. Obiectiua ideae de deo realitas, vt moralis auctoris mundi, haud quidem per fines physicos *solum* probari potest; nihilominus tamen, cognitione illius cum notitia morali coniuncta, illi, per normam rationis purae, vnitatis principiorum, quantum fieri possit, sectandae, permagnam vim habent, ad practicae realitati illius ideae, per eam, quam respectu theoretico in promtu habet in vsum facultatis iudicandi, opitulandum.

Atque hoc loco, ad euitandum, qui facile exsistere posset, errorem, admodum necesse videtur moneri: primo eas nos entis summi proprietates posse tantummodo ex analogia *cogitare*. Quomodo enim eius naturam, cuius nobis nihil quidquam simile experientia ostendere potest, inuestigabimus? Deinde nos illud per eas etiam duntaxat cogitare

posse, non vero ex iis *cognoscere*, neque ei forte theoretice attribuere; quippe quod munus foret iudicandi facultatis determinantis respectu contemplatiuo rationis nostrae, vt, quid causa mundi suprema *per se* sit, perspiciamus. Sed hoc loco tantummodo anquirimus, qualem nobis, pro natura virium cognoscendi nostrarum, de illo cogitationem informare, atque an exsistentiam illius sumere debeamus, vt fini, quem ratio pura practica nobis, sine vlla eiusmodi sumtione, ex anticipatione pro viribus efficiendum praecipit, itidem realitatem modo practicam conciliemus, id est, vt effectum quaesitum queamus vt possibile cogitare. Sit sane conceptus ille rationi contemplatiuae transscendens; proprietates etiam, quas enti per eas cogitato tribuimus, obiectiue adhibitae, anthropomorphismum in se condant: neque consilium vsus earum in eo versatur, vt naturam illius nobis inaccessam, verum nos ipsos et voluntatem nostram, ex iis determinare velimus. Quemadmodum causam ex conceptu, quem de effecto habemus (sed solum respectu relationis ad hoc), denominamus, neque idcirco tamen naturam illius internam per proprietates interne determinare volumus, quae de eiusmodi causis solummodo per experientiam nobis innotescere debent ac proponi; veluti animae vim quoque tribuimus loco motivam, quoniam reapse motus corporis oriuntur, quorum causa in eius repraesentationibus inest, neque ei tamen propterea solum vnumque modum, quo vires motrices nouimus, (nimirum per attractionem, pressionemque et pulsum, proinde motum, quae cuncta semper naturam extensam supponunt) tribuere cupimus: — sic *quidpiam*, quod rationem contineat possibilitatis realitatisque practicae, id est, effectionis possibilis scopi cuiusdam necessarii moralis, sumere debebimus; hoc vero, pro conditione effecti ab eo exspectati, nobis vt ens sapiens, ex legibus moralibus mundum gubernans cogitare poterimus, naturaeque virium cognoscendi nostrarum conuenienter, vt causam rerum ab natura diuersam cogitare debebimus, vt modo *relationem* huiusce entis omnes vires cognoscendi nostras superantis ad rem rationi *nostrae* practicae subiectam exprimamus:

neque eo tamen vnam folamue nobis notam caufalitatem huius generis, nimirum intelligentiam voluntatemque, ei propterea theoretice tribuere, quin vel hanc ipfam caufalitatem in eo cogitatam refpectu eius, quod *nobis* fcopus eft, vt in hoc ente ipfo a caufalitate refpectu naturae (eiusque determinationem finalium generatim) obiectiue diftinguere cupiamus, verum discrimen iftud tantummodo vt fubiectiue neceffarium, pro natura facultatis cognofcendi noftrae, ad facultatemque iudicandi reflectentem, non vero obiectiue determinantem valens fumere queamus. Quodfi autem de actione (de practico) agatur, tum eiusmodi principium *regulatiuum* (prudentiae fapientiaeue): vt ei, quod pro natura virium cognofcendi noftrarum a nobis quodam modo folum poteft vt poffibile cogitari, vt fini conuenienter agamus, fimul eft *conftitutiuum*, fiue practice determinans; interea dum idem, qua principium diiudicandae poffibilitatis rerum obiectiuae, nullo modo theoretice determinans (vt fcilicet quoque rei obiectae vna, quae effe poffit, ratio poffibilitatis competat, quae competit facultati cogitandi noftrae), fed folummodo principium eft in vfum iudicandi facultatis reflectentis.

Scholion.

Hoc argumentum morale haud fere recens inuentum eft, fed ad fummum argumentum recens expofitum; fuit enim iam ante primam euolutionem rationis humanae in ea, progreffuque illius culturae continuo magis euoluitur. Simulatque homines de iure et iniuria cogitare inciperent, tempore illo, quo formam naturae finalem incuriofi negligerent, eaque vterentur, neque tamen quidquam in ea aliud quam confuetum naturae curfum cogitarent, non poterant non iudicare: in fine non effe idem poffe, vtrum homo probe fe gefferit, an improbe, aequus an violentus, etiamfi ad finem vitae, certe in confpectu, virtutum fuarum nulla praemia perceperit, nec criminum poenas dederit. Videtur, quafi in fefe vocem audirent, aliter euenire oportere; proinde quoque, quamuis obfcura, repraefentatio cuius-

piam ad quod ſeſe ſectandum intelligebant obſtrictos, latuiſſe neceſſe fuit, quocum eiusmodi euentum conciliare non poſſet, aut quocum, ſi ſemel curſum mundi vt vnum rerum ordinem ſpectaret, internam illam determinationem finalem animi ſui non poterant coniungere. Quamuis autem modum, quo eiusmodi conuenientiae (quae animum humanum offendere debebat, quam caſus fortuitus, quem fere vellent pro principio ſubiicere diiudicandae naturae) conſulendum ſit, varia vel maxime craſſa ratione cogitauerint: tamen numquam aliud poſſibilitatis naturae cum lege interna morali conciliandae principium excogitare poterant, quam cauſam ſupremam mundum ex legibus moralibus gubernantem: propterea quod ſcopus in iis pro officio praeceptus atque imperatus, cum natura, extra eos, omni ſcopo deſtituta, in qua nihilominus ille finis reapſe produci debet atque effici, pugnat. De natura interna illius cauſae mundi permultam poterant inſaniam parere; illa tamen relatio in gubernando mundo ſemper manſit eadem, quae rationi incultiſſimae, quatenus ſeſe vt practicam conſiderat, vniuerſa comprehenſu facilis eſt, quocum vero contemplatiua ratio minime poteſt pari paſſu ambulare. — Praeterea maxime veriſimile eſt, per hoc inuitamentum morale attentionem animi ad pulcritudinem finesque in natura demum excitatam eſſe, quae tum permultum contulit ad illam ideam confirmandam, neque eam tamen conſtituere poterat, multoque minus illo ſuperſedere, quoniam ipſa finium naturae inueſtigatio tantummodo reſpectu ſcopi illo inuitamento proximo potitur, quod in ea admiranda, nullo ſpectato commodo inde adipiſcendo, ſeſe tam large exſerit.

§. 89.

De vtilitate argumenti moralis.

Ex ratione, reſpectu omnium idearum noſtrarum de ſupraſenſibili, ad conditiones vſus ſui practici adſtringenda, haec, reſpectu ideae de deo, vtilitas redundat haud occultanda: vt ea ſcilicet caueatur, ne *theologia* aberret

ad *theosophiam* (ad conceptus transscendentes, quibus ratio confunditur), neque ad *daemonologiam* (cogitationem entis summi anthropomorphisticam) deferatur; ne religio ad *theurgiam* (opinionem fanaticam, quasi aliarum naturarum suprasensibilium sensum possis in iisque vicissim vim habere), neque in *idololatriam* (opinionem superstitiosam, ac si enti summo aliis te viis possis, quam per mentem moralem, commendare) incidat *).

Etenim, si vanitati temeritatique argutandi eorum, quae vltra mundum sensibilem sita sunt, vel minimum quidpiam theoretice (ad cognitionemque dilatandam) determinari posse concedas: si notitiis de exsistentia et qualitate naturae diuinae, de intelligentia eius ac voluntate, legibusque vtriusque et proprietatibus ad mundum inde promanantibus gloriari permittas: scire auerem, vbi et in quo loco arrogantiae rationis terminos designare velis; vnde enim illae notitiae depromtae sunt, inde sane et plures poterunt (si modo, vti arbitrantur, mentem ad cogitationem intendas) exspectari. Circumscriptio eiusmodi arrogantiae ex certo quodam principio fieri deberet, haud fere solum propterea, quod omnes conatus vidimus huc vsque fuisse inanes; hoc enim nihil quidquam euincit, contra possibilitatem euentus melioris. Hic vero nullum esse principium potest, nisi vt vel sumas: respectu suprasensibilium nihil omnino quidquam posse (nisi solum negatiue) determinari; vel: rationem nostram fodinam in se adhuc indelibatam cohibere notitiarum amplificantium, nescio quantarum, posteris reseruatarum. Quod autem religionem spectat, hoc est, doctrinam morum respectu

*) Idololatria in sensu practico etiamnum in ea religione versatur, quae ens summum cogitatione informat proprietatibus ornatum, ex quibus aliud quid, quam moralitas, conditio esse per se idonea possit, quae in iis, quae homo agere queat, voluntati eius quidpiam possit consentaneum esse. Etsi enim purus maxime atque ab imaginibus sensitiuis vacuus respectu theoretico conceptus ille fuerit adprehensus, tamen respectu practico instar *idoli* cuiusdam, id est, secundum voluntatis naturam anthropomorphistice et propositus.

dei vtpote legislatoris; doctrina morum, si eam cognitio illius theoretica antecedere deberet, ad theologiam sese componere debebit, nec solum, pro legislatione interna rationis necessaria, externa quaedam arbitraria entis supremi introduci, verum etiam in hac cuncta, quae cognitioni nostrae de natura illius manca atque imperfecta insunt; prouidentiam moralem attingere atque religionem moralitati reddere contrariam et conuertere.

Respectu vitae spectandae futurae, si, loco scopi, quem, praeceptioni legis moralis conuenienter ipsi efficere debemus, ad iudicium rationis nostrae destinationi ducendum (quod proinde solum respectu practico vt necessarium, vel acceptatione dignum spectatur) facultatem cognoscendi theoreticam nostram consulamus, psychologia eatenus, vti supra theologia, non nisi negatiuum naturae cogitantis nostrae conceptum suppeditat: nimirum nullam actionum illius sensusque interni phaenomenorum posse materialistice explicari; proinde natura animae separata, et de duratione vel non-duratione personalitatis eius post mortem nullo modo a nobis fieri posse iudicium determinans ex rationibus contemplatiuis vniuersae nostrae cognoscendi facultatis theoreticae. Cum igitur hic omnia diiudicationi teleologicae exsistentiae nostrae respectu practico necessario sumtionisque perdurationis nostrae, vt conditionis necessariae scopi ab ratione nobis simpliciter propositi, relinquantur, hic simul emergit vtilitas (quae prima quidem specie iactura videtur): quod, vti theologia nobis fieri numquam theosophia potest, *psychologia* rationalis numquam *pneumatologia* vt scientia amplificans fieri, quemadmodum ei ex alia parte prouisum est, ne in *materialismum* praecipitetur, sed quod potius solum anthropologia sensus interni, hoc est, notitia ipsius nostri cogitantis *in vita* sit, et qua cognitio theoretica duntaxat empirica maneat; contra psychologia rationalis, respectu quaestionis de exsistentia nostra aeterna, nulla omnino scientia theoretica sit, verum vna solaque conclusione inniti teleologiae moralis, vti quoque vniuersus vsus illius, tantummodo propter hanc posteriorem vt determinationem practicam, necessaria videatur.

§. 90.

De genere adſenſus in argumento morali pro exſiſtentia dei.

Ac primo quidem ad vnumquodque argumentum, ſiue (quemadmodum in argumento fit ex re obiecta obſeruanda vel experimento) per exhibitionem proximam empiricam eius, quod probandum eſt, aut per rationem ex anticipatione ex principiis ducatur, poſtulatur: vt ne illud *perſuadeat*, ſed *firmitatem* gignat, vel certe firmitatem tentet, nimirum vt ratio probandi, ſiue concluſio, non ſolum ſubiectiua (aeſthetica) determinandi adſenſus ratio (ſola ſpecies) ſit, ſed obiectiue valens cognoſcendi ratio logica: alias enim intelligentia decipitur, non vero vincitur. Illius generis argumenti fallentis illud eſt, quod bono fortaſſe conſilio, veruntamen infirmitate eius de induſtria celata, in theologia naturali ducitur: cum permagna vis argumentorum pro origine rerum naturae ex principio finium adfertur, argumentumque ſolum ſubiectiuum rationis humanae vſurpatur, nimirum inclinatio illi propria, vbi cumque fieri modo ſine repugnantia poſſit, pro multis principiis vnum, et vbi in hoc principio quaedam modo vel etiam multa ad determinandum conceptum requiſita inueniuntur, reliqua cogitando addantur, vt conceptus rei arbitrarie ſupplendo abſoluatur. Nam profecto, ſi tot in natura producta deprehendimus, quae nobis pro iudicio ſint cauſae intelligentis; cur, pro multis eiusmodi cauſis, non potius vnam, et in ea quidem haud fere ſolum intelligentiam magnam, potentiam et ſimilia, verum non potius omniſapientiam, omnipotentiam, vno verbo vt eam cogitemus, quae rationem eiusmodi proprietatum ad vniuerſas, quae fieri poſſunt, res idoneam; et praeterea huic vni enti originario omnipotenti, non ſolum reſpectu legum productorumque naturae intelligentiam, verum etiam, vt cauſae mundi morali ſummam rationem moralem practicam attribuamus; cum hacce conceptus abſolutione principium oſtendatur cum ad cognitionem naturae tum ad ſapientiam moralem idoneum, nullumque vel

aliquo modo fundatum possit contra possibilitatem eiusmodi ideae adferri. In quo quidem si elateres animi morales simul commoueantur, viuidumque eorum inuitamentum cum vi dicendi (qua sane quoque digni videntur) adiiciantur; tum inde persuasio exsistit de sufficientia argumenti obiectiua, speciesque quaedam (plerisque si ea vtantur) salutaris, quae omni exploratione rigoris logici illius prorsus supersedet, atque etiam, quasi friuolum illi dubio fundamento sit, indignabunde eam auersatur. — Iam hoc quidem haud reprehendi potest, quatenus vtilitas popularis proprie spectatur. Verum tamen, cum euitari non possit, nec debeat, quia illud in duas, quas hoc argumentum continet, partes heterogeneas dispescatur, quippe in eam, quae teleologiam physicam, et quae moralem attingit, propterea quod vtraque conflanda obscuratur locus nerui proprii argumenti, et in qua parte quoque modo illud tractandum videatur, vt valori illius seuerissime examinando caueri possit (vel tum, cum imbecillitatem cognitionis rationalis nostrae fateri cogeremur); philosophi in officio est (vt etiam postulatae ab se ingenuitatis nullam rationem haberet), speciem quamuis maxime salutarem, quam eiusmodi confusio producere potest, aperire, et ea, quae solum persuasionem spectant, ab iis, quae ad firmitatem animi ducunt (quae ambae non solum magnitudine quasique gradu sunt, verum etiam genere, determinationes adsensus diuersae) separare, vt status animi in hoc argumento summa sinceritate apertus exhibeatur, et hoc examini seuerissimo ingenue queat subiici.

Argumentum autem, ad firmitatem gignendam animi institutum, itidem duplicis esse generis potest, aut id nimirum, quod, quid res *per se* sit, aut quid ea *nobis* (hominibus in genere) pro principiis illius diiudicandae rationalibus nobis necessariis (argumentum κατ' ἀλήθειαν vel κατ' ἄνθρωπον, voce posteriori significatione vniuersali de hominibus omnino sumta) debeat efficere. Illud in principiis constitutum est ad iudicandi vim determinantem idoneis, hoc solum principiis nititur facultati iudicandi reflectenti

aptis. Quod quidem posterius, si solum in principiis positum theoreticis sit, numquam potest animi firmitatem gignere; sin illud vero constitutum sit in principio practico rationis (quod proinde vniuerse valet et necessario) tum illi sane licebit, firmitatem animi respectu practico puro idoneam, id est, moralem, postulare. Verum argumentum *ad firmitatem animi tendit*, neque eam tamen efficit, cum illud solum in ea via illuc ducitur, nimirum tantummodo rationes in se obiectiuas cohibet, quae, quamquam nondum sunt ad firmitatem idoneae, tamen eo de genere, vt non solum qua rationes iudicii subiectiuae inseruiant persuasioni.

Omnes probandi rationes theoretice vel 1) ad argumentum suppetunt per *ratiocinationes* logice seueras; vel, nisi hoc sit, 2) ad *conclusionem* ex *analogia;* vel, si hoc forte locum non habeat, 3) ad *opinionem verisimilem*, vel denique, quod minimum est, 4) ad *hypothesin* sumendam rationis explicandi duntaxat possibilis. — Iam dico: omnes probandi rationes in genere, quae ad firmitatem animi theoreticam tendunt, non posse vllum adsensum huiusce generis inde ab summo gradu eius vsque ad minimum, efficere, si enunciatum de exsistentia entis originarii, vt dei, in significatione vniuerso huius conceptus complexui consentanea, vt *moralis* auctoris mundi, proinde sic, vt eo simul creationis scopus indicetur, debeat probari.

1) Quod argumentum *logice probum*, ab vniuersali ad particulare progrediens, attinet, in critica satis euicimus: cum conceptui entis, vltra naturam anquirendi, nulla, quae nobis esse possit, visio respondeat, cuius proinde conceptus ipse, quatenus per praedicata synthetica debeat theoretice determinari, nobis semper problematicus maneat, nullam omnino illius cognitionem (quo ambitus scientiae theoreticae nostrae vel minimum dilatetur) locum habere, neque ad principia vniuersalia naturae rerum vllo modo posse conceptum singularem entis suprasensibilis adsumi, vt ab illis ad hoc concludatur; quoniam principia illa solum valent ad naturam, vt rem sensibus obnoxiam.

Ac poteſt quidem ex duabus rebus heterogeneis, in ipſo heterogeneitatis earum puncto, vnam tamen ex *analogia* *) quadam cum altera cogitari; neque tamen ex eo, in quo heterogeneae ſunt, ab vna ſecundum analogiam

*) *Analogia* (in ſignificatione qualitatiua) cernitur in identitate relationis rationes inter et conſequentias (cauſas et effecta), quatenus ea, diuerſitate rerum ſpecifica nil quidquam impediente iisue proprietatibus per ſe, quae rationem continent ſimilium conſequentiarum (hoc eſt, extra hanc relationem ſpectata) locum habet. Sic ad actiones beſtiarum technicas, cum eiusmodi actionibus hominis comparatas, rationem horum effectorum in illis prioribus, quam haud nouimus, cogitamus, cum ratione aliarum effectionum hominis (rationis), quam nouimus, vt initiis rationis; eoque ſimul indicare volumus: rationem facultatis technicae animalis, nomine inſtinctus, ab ratione reapſe diuerſam tamen ad effectum (ſtructuram caſtorum hominum comparatam) ſimilem rationem habere. — Idcirco autem inde, quod homo ad ſtruendum opus *ratione* habet, non poſſum concludere, caſtorem quoque ratione pollere debere, *concluſionemque* eam ex analogia vocare. Verum ex ſimili efficiendi modo beſtiarum (cuius haud proxime poſſum rationem cauſamque percipere) cum hominis efficiendi modo (cuius nobismet proxime conſcii ſumus) comparato, rectiſſime poſſumus *ex analogia* concludere, beſtias quoque ex *repraeſentationibus* agere (non, vti Carteſius vult, machinas eſſe), et, quamuis diuerſitate diſtent ſpecifica, tamen quoad genus (vt naturas viuas) eſſe cum homine easdem. Principium poteſtatis ita concludendi in idealitate ineſt rationis, beſtias reſpectu huiusce determinationis, cum homine, qua homine, quantum eas extrinſecus ex actionibus earum inuicem comparamus, ad idem genus numerandi. Par ratio eſt. Pariter cauſalitatem cauſae mundi ſupremae in comparandis illius productis in mundo finalibus cum operibus technicis hominis, ex analogia poſſum intelligentiae cuiusdam cogitare, neque tamen ad eas proprietates in eo ſecundum analogiam concludere; quoniam hic ipſum poſſibilitatis principium eiusmodi concludendi generis deeſt, nimirum paritas rationis, ens ſummum cum hominibus (reſpectu cauſalitatis vtrorumque) cum vno eodemque genere numerandi. Cauſalitas rerum mundanarum, quae ſemper ſenſitiue hypothetica (cuiusmodi ea quae per intelligentiam efficitur) eſt, non poteſt ad naturam transferri, cui nullus eſt cum illa conceptus generis, praeterquam rei vniuerſe, communis.

ad alteram *concludi*, id eſt, nota diſcriminis ſpecifici non poteſt ad alteram transferri. Sic ex analogia cum lege aequalitatis actionis et reactionis, in mutua corporum attractione et repulſione inter ſe inuicem, etiam commercium poſſum membrorum reipublicae ſecundum iuris regulas cogitare; non vero illas determinationes ſpecificas (attractionem repulſionemue materialem) ad haec transferre, nec ciuibus tribuere, vt ſyſtema, quod ſtatum vocamus, efficiatur. — Pariter cauſalitatem entis originarii reſpectu rerum mundi, vt finium naturae, ex analogia intelligentiae, vt rationis cauſaeque formarum certorum quorumdam productorum, quae opera technica vocamus, nobis cogitare licet (hoc enim tantummodo fit in gratiam vſus theoretici et practici facultatis cognoſcendi noſtrae, qui fieri a nobis poteſt huiusce conceptus reſpectu rerum in mundo naturalium, ex certo quodam principio); verum inde, quod in rebus mundanis cauſae cuiuspiam effecti, quod vt technicum diiudicatur, intelligentia tribuenda eſt, nullo modo poſſumus ex analogia concludere, enti quoque illi, quod ab natura prorſus diuerſum eſt, reſpectu ipſius naturae eamdem, quam in homine animaduertimus, cauſalitatem competere: idcirco, quia hoc ipſum disſimilitudinis punctum attingit, quod inter cauſam reſpectu effectorum ſenſitiuae hypotheticam et ens originarium ipſum ſupraſenſibile in conceptu eius cogitatur, ideoque non poteſt ad hunc transferri. — Atque in eo ipſo, quod cauſalitatem diuinam non debeam niſi ex analogia intelligentiae (quam facultatem in nulla natura alia nouimus quam in homine ſenſitiue adſtricto) cogitare, interdictum ineſt, ne hunc illi ſenſu proprio attribuamus *).

3) *Opinatio* nullo modo locum habet in iudiciis ex anticipatione; verum iis cognoſcitur vel aliquid vt prorſus

*) Quo quidem minime quidquam in repraeſentatione relationum huiusce entis ad mundum deſideratur, reſpectu cum theoreticarum tum practicarum ex hoc conceptu conſequentiarum. Quid illud per ſe ipſum ſit, perſerutari velle curioſitas eſt pariter temeraria atque fruſtranea.

certum, vel nihil omnino. Etiamſi autem rationes probandi datae, a quibus proficiſcimur (velut hic a finibus in mundo) empiricae ſint, tamen his vltra mundum ſenſibilem quidpiam poteris opinari, atque eiusmodi iudiciis auſis minimum ius in probabilitatem concedere. Namque probabilitas pars firmitatis ac certitudinis in certa quadam rationum ſerie poſſibilis (rationes illius in ea cum idonea ac ſufficiente, velut partes cum toto, comparantur), quarum illa imperfecta ratio debebit poſſe ſuppleri. Quoniam autem vt rationes determinandae certitudinis vnius eiusdemque iudicii eſſe homogeneae debent, propterea quod alias iis cunctis magnitudo (cuiusmodi certitudo eſt) efficeretur: non poterit pars intra terminos experientiae poſſibilis, quae extra omnem, quae fieri poſſit, experientiam ſita eſſe. Proinde, cum rationes probandi ſolum empiricae ad nihil ſupraſenſibile ducant, defectusque in ſerie illarum nulla re queat ſuppleri; in conatu, per eas ad ſupraſenſibile cognitionemque illius perueniendi, ne minima quidem adpropinquatio, proinde in iudicio de hac cognitione per argumenta ex experientia depromta, nulla quoque probabilitas locum habet.

4) Quod vt *hypotheſis* ad enodandam poſſibilitatem cuiuspiam dati phaenomeni facere debet, eius ſaltim poſſibilitas certa ſit atque indubitata, oportebit. Satis eſt, memet in hypotheſi cognitionem exſiſtentiae (quae in opinione pro probabili vendita adhuc obtinetur) mittere: plus nequeo mittere; poſſibilitas eius, quod explicationi cuidam fundamento ſubſterno, certe quidem nullo ſit dubio expoſita, oportebit, quoniam alioquin fetuum ingenii inanium numerus infinitus foret. Sed poſſibilitatem entis ſupraſenſibilis ex certis quibusdam conceptibus determinati adſumere, cuius cum nulla data ſit determinationum cognitionis neceſſariarum, pro iis, quae in ea poſita in viſionibus ſunt, ideoque ſola enunciatio repugnantiae (quae nil poteſt niſi poſſibilitatem cogitandi, non vero cogitatae rei ipſius probare), vt criterium huius poſſibilitatis relinquatur, ſuppoſitio foret prorſus infirma atque fundamento deſtituta.

Ex quo quidem ſequitur: pro exſiſtentia entis originarii, vt dei, vel animae, vt ſpiritus immortalis, nullo modo fieri rationi humanae poſſe argumentum reſpectu theoretico, vt vel minimus adſenſionis gradus efficiatur: idque facile poterit ex eo perſpici, quod ad determinandas ſupraſenſibilium ideas nulla nobis materia adeſt, propterea quod haec materia depromenda foret a rebus in mundo ſenſibili, ea vero illi rei nullo modo conuenit, verum, ſine omni illius determinatione, nihil conceptus de quodam ſupraſenſibili relinquitur, quod rationem vltimam mundi ſenſibilis contineat, quae nondum cognitionem efficit (vt conceptus dilatationem) naturae illius internae.

§. 91.

De genere adſenſus per fidem practicam.

Cum ſolum modum ſpectamus, quo quidpiam *nobis* (pro natura virium repraeſentatiuarum noſtrarum ſubiectiua) res eſſe cognoſcibilis poteſt: tum conceptus haud cum obiectis rebus, ſed ſolum cum noſtra cognoſcendi vi, vſuque repraeſentationis datae, qui (theoretico practicoque reſpectu fieri ab his poteſt) comparantur; quaeſtioque, an aliquid res cognoſcibilis ſit nec ne, non poſſibilitatem rerum ipſarum attingit, ſed noſtram earum cognitionem.

Rerum *cognoſcibilium* triplex genus eſt, et *opinabile*, et *ſcibile*, et *mere credibile*.

1) Res ſolis rationis ideis propoſitae, quae nullo modo poſſunt in vſum cognitionis theoreticae per vllam, quae fieri queat, experientiam exhiberi, eatenus res ſunt prorſus haud *cognoſcibiles*, proinde reſpectu illarum ne *opinari* quidem poteris; vti opinatio ex anticipatione per ſe abſurda eſt rectaque via ad mera figmenta ducit. Igitur aut certum eſt noſtrum ex anticipatione pronunciatum, aut nihil omnino quidquam, cui adſenſus praebeatur, continetur. Ergo *res opinabiles* ſemper res erunt cognitioni empiricae certe per ſe poſſibili obnoxiae (res obiectae mundi ſenſibilis), quae vero, pro ſolo, qui nobis eſt, huiusce

facultatis gradu, *nobis* fieri non poteſt. Sic aether recentiorum phyſicorum, fluidum elaſticum omnes materias alias penetrans (cum iis maxime permixtum) mera res opinabilis, tamen eius generis eſt, vt is, ſi ſenſus externi, quoad eius fieri poſſit, acutiſſimi forent, percipi poſſet atque animaduerti; qui vero in nulla poteſt obſeruatione experimentoue exhiberi. Sumtio naturarum rationalium alias planetas inhabitantium, res opinabilis eſt; etenim, ſi ad has propius poſſemus accedere, quod fieri per ſe haud poteſt, per experientiam, inhabitentur nec ne, decreturi eſſemus; verum nos ad eas numquam tam prope accedemus, atque ita res relinquitur opinationi. Sed opinatio: ſpiritus eſſe puros in vniuerſitate rerum materiali, ſine corpore cogitantes (ſi ſcilicet certas quasdam adparitiones pro iis reputatas, quod par eſt, reiiciamus) fictio eſt, nec vlla res per ſe opinabilis; verum mera idea, quae, omni materiali de ente cogitante ſublato, ſolaque cogitatione ſeruata, relinquitur. An tum vero cogitatio (quam ſolum in homine nouimus, hoc eſt, coniunctam cum corpore) reliqua fiat, non poſſumus ſtatuere. Eiusmodi res *ens* eſt *rationis ratiocinantis*. nullum *ens rationis ratiocinatae;* de quo poſteriori fieri poteſt vt conceptus realitas obiectiua, certe in gratiam vſus rationis practici, idonee euincatur, quoniam hic, cuius propria principia ſunt et apodictice certa ex anticipatione, eum adeo poſtulat.

2) Res conceptibus ſubiectae, quarum realitas obiectiua (ſiue per rationem puram, ſiue per experientiam, et per rationem puram quidem ex theoreticis practicisue illarum datis, per vtramque autem interuentu viſionis illis reſpondentis) euinci poteſt, *res facti* *) ſunt. Cuiusmodi

*) Hoc loco conceptum rei in facto poſitae iure videor vltra conſuetam huius verbi ſignificationem dilatare. Neque enim opus eſt, quin ne effici quidem poteſt, vt hoc vocabulum tantummodo ad experientiam veram adſtringatur, ſi de adfectione rerum ad noſtram cognoſcendi facultatem ſermo ſit, cum iam ſolum poſſibilis experientia ſufficiat, vt loqui de iis tamquam rebus determinati cuidam cognoſcendi generi obnoxiis, queamus.

ſunt proprietates mathematicae quantitatum (in geometria), quia capaces ſunt *exhibitionis* ex anticipatione in vſum theoreticum rationis. Iam vero res qualitatesue illarum, quae poſſunt per experientiam (ſiue propriam ſiue alienam, ex teſtimoniis) euinci, itidem ſunt in facto poſitae. — Quod vero maxime dignum notatu eſt, vel ideam rationalem (cuius fieri nulla in viſione exhibitio poteſt, neque poſſibilitatis illius theoretica probatio) in rebus facti inuenimus; eaque eſt idea *libertatis*, cuius realitas, vt peculiaris cuiusdam generis cauſalitatis (de qua conceptus reſpectu theoretico transſcendens foret) per leges rationis purae practicus poteſt, proinde in experientia, probari. Haec vna eſt omnium omnino rationis purae idearum, cui quae propoſita eſt res eſt in facto poſita, atque ad res ſcibiles adnumeranda.

3) Res, reſpectu debito rationis purae practicae vſu (ſiue vt conſequentiae, ſiue vt rationes) ex anticipatione cogitandae, ſed vſui illius theoretico transſcendentes, res ſunt *mere credibiles*. Cuiusmodi *ſummum* in mundo *bonum* eſt per libertatem comparandum; cuius quidem conceptus per nullam, quae fieri nobis queat, experientiam poteſt, proinde vſui rationis theoretico idonee, quoad realitatem obiectiuam probari, cuius vero vſus ad finem illum, quam fieri poteſt, optime efficiendum tamen per rationem puram practicam praeceptus eſt, proinde vt poſſibilis ſumendus. Hoc effectum praeceptum atque imperatum, *cum conditionibus vnis ſolisque poſſibilitatis nobis cogitabilibus*, nempe exſiſtentia dei atque animorum immortalitate *res fidei* ſunt et vnae quidem ſolaeque omnium omnino rerum obiectarum, quae ſic poſſunt adpellari *). Etſi enim, quae

*) Verum res fidei propterea non ſunt *articuli fidei*; ſi hisce eiusmodi res fidei intelligantur, ad quarum *confeſſionem* (internam externamue) poſſimus obligari; cuiusmodi proinde non inſunt in theologia naturali. Etenim, cum eae, vt res fidei non poſſint (inſtar rerum in facto poſitarum) argumentis theoreticis inniti; liber adſenſus, et quoque ſolum qua talis poteſt cum moralitate ſubiecti coniungi.

ſolum ab experientia aliorum diſcere per *teſtimonium* poſſumus, a nobis credi debeant, tamen idcirco nondum per ſe res fidei ſunt; nam in *vno* teſtium illorum tamen propria experientia fuit et res in facto poſita, aut vt talis ſupponitur. Praeterea fieri poſſe neceſſe eſt, vt in hac via (fidei hiſtoricae) ad ſcientiam perueniamus; neque res hiſtoriae ſubiectae ac geographiae, vti omnia omnino, quae vt ſciantur pro natura noſtrarum cognoſcendi facultatum, certe eſſe poſſint, haud ad res fidei pertinent, ſed in facto poſitas. Res ſolum rationi purae obnoxiae fere poſſunt res fidei eſſe, non vero vt res ſoli rationi purae contemplanti propoſitae; tum enim eae ne tuto quidem ad res poſſunt, quae cognitioni illi nobis poſſibili obnoxiae ſint, adnumerari. Ideae ſunt, id eſt, conceptus, quibus non poſſit de realitate obiectiua theoretice caueri. Contra ſcopus ſummus a nobis efficiendus, quippe quo ſolo fieri digni poſſumus, qui ipſi ſimus ſcopus creationis, in idea cernitur, cuius nobis reſpectu practico realitas obiectiua eſt, et quae nobis res videtur; verum idcirco, quoniam huic conceptui non poſſumus reſpectu theoretico hanc realitatem comparare, mera res fidei rationis purae, quo quidem concepto ſimul deumatque immortalitatem, vt conditiones, quibus ſolis, pro natura rationis (humanae) noſtrae, nobis poſſibilitatem poſſumus illius effecti vſus legalis libertatis noſtrae cogitando informare. Sed adſenſus in rebus fidei adſenſus eſt reſpectu puro practico, hoc eſt, fides moralis, quae nihil in vſum cognitionis rationalis purae theoreticae, ſed ſolum practicae, probat, contemplationemque, regulasque practicas prudentiae ex principio philautiae, minime dilatat atque amplificat. Si principium ſupremum omnium legum moralium poſtulatum eſt, ſimul poſſibilitas rei obiectae illarum ſummae, proinde quoque conditio, qua eam poſſibilitatem cogitare poſſumus, eo ſimul poſtulatur. Eo igitur cognitio huius poſterioris neque in ſcientiam conuertitur, neque in opinionem de exſiſtentia naturaque harum conditionum, vt theoreticum cognitionis genus, ſed ſolum ſumtio eſt, reſpectu practico praetereaque praeceptio in vſum moralem noſtrae rationis.

Etiamsi in finibus naturae, quos nobis tam large teleologia physica proponit, certum quemdam *conceptum determinatum* de causa mundi intelligente verisimiliter possemus fundare, tamen exsistentia huius entis nondum res fidei foret. Quod enim cum non ad faciendum officium possit, sed modo ad enodandam naturam sumi, solum foret opinio atque hypothesis rationi nostrae conueniens maxime et consentanea. Atqui illa teleologia nullo modo ad conceptum dei determinatum ducit, qui vero solum in conceptu inuenitur auctoris mundi moralis, quoniam hic solus scopum indicat, ad quem nosmet non possumus numerare, nisi quatenus iis, quae lex nobis moralis vt scopum praecipit, proinde nos obligat, nosmet conuenienter geramus. Ergo conceptus de deo solum per relationem ad rem officio nostro subiectam, vt conditionem possibilitatis scopi illius consequendi, praestantiam accipit, in adsensu nostro vt qua res fidei valeat; contra idem conceptus rei non potest sibi subiectae vt rei in facto positae valorem conciliare: quoniam, etsi necessitas officii rationi practicae quidem clara est, tamen, scopi illius occupatio, quatenus is haud totus penes nos est, solum in vsum rationis practicum sumta, proinde haud vti officium ipsum, practice necessaria est *).

*) Scopus, quem lex moralis promouendum praecipit, haud ratio ac fundamentum officii est; ea enim inest in lege morali, quae, qua principium practicum formale, categorice ducit, nullo respectu habito rerum facultati adpetendi propositarum (materiae volendi) proinde vllius cuiusdam finis. Haec natura formalis actionum mearum (subordinationis illarum sub principium vniuersalitatis) in quo solo pretium earum morale internum consistit, tota est in nostra potestate posita; eommodeque a possibilitate vel impossibilitate finium, quos legi illi conuenienter debeo promouere, potero memet continere, cogitationemque auocare (quoniam in iis duntaxat pretium externum actionum mearum consistit), vt eo, quod numquam prorsus penes me est, solum id spectem, quod mihi agendum videatur. Verum vt finem, scopum omnium naturarum rationalium (felicitatem, quantum fieri possit cum fine congruenter) promoueamus, tamen est, per legem officii praeceptum atque iniunctum. Sed ratio contemplatiua possibilitatem eius (neque

Fides (qua habitus, non vero qua actus) versatur in mente rationis morali in iis adsensu comprobandis; quae inaccessa sunt cognitioni theoreticae. Ea igitur principium constans animi est, eorum, quae ad possibilitatem scopi summi moralis vt conditio necessaria supponenda sunt, propter obligationem pro veris sumendorum *); quamuis a nobis haud queat vel possibilitas illius vel impossibilitas perspici atque intelligi. Fides (simpliciter sic dicta) versatur in fiducia in consequendo fine, cuius pro-

ex parte propriae facultatis physicae nostrae, neque ex parte cooperationis naturae) nullo modo perspicit; potiusque ea ex eiusmodi caussis, quantum per rationem possumus iudicare, eiusmodi euentum vitae bene actae ab natura sola (et in nobis et extra nos), sumtis, nec deo nec immortalitate, vanam irritamque, quamuis a bono animo profectam, exspectationem censere debet, et, si eiusmodi iudicii plena certitudo esse posset, legem moralem ipsam vt meram illusionem rationis nostrae respectu practico considerare. Cum autem ratio contemplatiua sibi prorsus adfirmitatem persuadeat, hoc postremum fieri non posse, contra illas vero ideas, quarum res obiecta sita vltra naturam est, posse sine repugnantia cogitari; necesse erit, vt in gratiam propriae legis practicae suae eaque propositi problematis, proinde respectu morali, ideas illas vt reales verasque agnoscat, ne in pugnam secum ipsa incidere videatur.

*) Ea cernitur in fiducia in promissione reposita legis moralis; sed non vt ea, quae illa contineatur, sed quam ego inferam, et ob rationem quidem moraliter idoneam. Neque enim scopus potest per legem rationis praecipi atque imperari, nisi haec simul possibilitatem eius consequendi quamuis incerto polliceatur, eoque potestatem faciat solarum conditionum adsensu probandarum, quibus solis nostra ratio potest eam cogitare. Vocabulum fidei hoc iam exprimit; poteritque tantummodo dubium videri, quomodo hoc verbum eaque idea singularis in philosophiam moralem irrepat, cum ea demum cum religione christiana introducta sit, sumtioque illius fortasse solum imitatio adsentatoria orationis eius videri queat. Verum is haud vnus locus est, in quo haec admirabilis religio per summam orationis simplicitatem philosophiam conceptibus longe magis determinatis purisque moralitatis locupletarit, quam haec hue vsque potuisset ministrare, qui vero, cum semel adsint, ab ratione *libere* probantur, et qua tales accipiuntur, in quos ea sane sponte incidere eosque introducere et potuisset et debuisset.

motio in officio eſt, ſed poſſibilitas eius efficiendi a nobis non poteſt *perſpici* (nec proinde poſſibilitas vnius ſoliusque nobis cogitabilium conditionum). Fides igitur, obiectas res ſingulares ſpectans, quae non ſunt ſcientiae poſſibili opinioniue propoſitae (quae poſterior, praeſertim in rebus hiſtoricis credulitas, non vero fides dicenda foret) tota moralis eſt. Ea eſt adſenſio libera, non eorum, quorum argumenta dogmatica in vſum iudicandi facultatis theoretice determinantis inueniuntur, neque ad quae nos obligatos ducimus, ſed eorum, quae ſumimus in gratiam finis atque conſilii ex legibus libertatis; neque tamen, vti fere ſententiam quamdam opinionemue, ſine ratione idonea, verum vt in ratione (quamquam duntaxat reſpectu vſus practici), *ad finem illius idonee*, fundata: etenim ſine ea nulla firma mentis moralis conſtantia eſt in peccato contra prouocationem rationis theoreticae ad probationem poſſibilitatis rei moralitati ſubiectae), verum nutat inter praecepta practica et dubia theoretica. Difficulter credimus, cum normam ſequimur, omnino haud teſtimoniis credendi; ſed increduli ſumus, cum ideis rationalibus illis, quoniam iis deeſt *conſtitutio theoretica* realitatis, omnem idcirco valorem denegamus. Iudicamus igitur dogmatice. *Incredulitas* dogmatica vero non poteſt cum norma morali in mente dominante conſiſtere (neque enim ratio imperare poteſt, vt finem ſectemur, quem pro fetu ingenii agnoſcimus); ſed ſane quidem *fides dubia*, cui defectus firmitatis per rationes contemplatiuae rationis ſolum impedimento eſt, quod cognitio critica carcerum rationis contemplatiuae vim poteſt contagionemue cum moribus priuare eique adſenſum practicum praeponderantem poteſt ad compenſandum proponere.

* * *

Cum loco certorum quorumdam fruſtratorum conatuum in philoſophiā aliud inducere principium volumus eique aditum parare, permagnae tranquillitati cedet, perſpicere, quomodo et quare fruſtrati videantur.

Deus, libertas, animorumque immortalitas quaestiones sunt, quarum enodationem vniuersi spectant adparatus metaphysices, vt ad finem eius vltimum et solum. Iam creditum est, doctrinam de libertate tantummodo vt conditionem negatiuam philosophiae practicae necessariam esse, contra dogma de deo animique natura, theoreticae proprium, per se separatimque esse probandum, vt vtrumque postea, cum eo, quod lex moralis (quae esse solum cum adiunctione libertatis potest) praecipit, coniungatur, atque ita religio constituatur. Sed breui potest intelligi conatus istos necessario male successuros. Namque ex solis conceptibus ontologicis de rebus in genere, vel ex exsistentia entis necessarii nullo modo effici conceptus entis originarii potest, per praedicata, quae dari in experientia possint ideoque ad cognitionem facere, determinatus; eum autem, qui in experientia fundabatur formae finalis physicae naturae, conceptum vidimus rursum haud posse nulli argumento esse doctrinae morum, nec proinde ad cognoscendum deum idoneo. Pariter nec cognitione animae per experientiam (quam hac modo in vita instituimus) conceptum posse vidimus de spirituali immortalique illius natura, proinde doctrinae morum idonee, suppeditari. Nec *theologia* nec *pneumatologia*, vt problemata in vsum scientiarum rationis contemplantis, quarum quippe conceptus vniversis cognoscendi facultatibus nostris transscendens est, nullis possunt datis empiricis praedicatisque effici. — Determinatio vtriusque conceptus, cum dei tum animae (respectu immortalitatis illius), non potest nisi per praedicata fieri, quae, quamuis ipsa solum esse ex ratione suprasensibili possint, tamen realitatem suam per experientiam oportet euincere: sic enim solis nulla iis effici cognitio potest entium suprasensibilium. — Eiusmodi autem vnus solusque, qui in ratione humana deprehenditur, conceptus est de libertate hominis sub legibus moralibus, vna cum scopo, quem illa per has praecipit, ex quibus illae auctori naturae sunt, hic homini ad eas proprietates attribuendas idoneae, quae vtriusque possibilitatis continent conditionem; ita vt ex hac ipsa idea possit ad exsistentiam

naturamque illorum entium alioquin nobis prorsus occultorum concludi.

Ergo ratio consilii in sola via theoretica praetermissi, deum immortalitatemque probandi in eo inest: quod suprasensibilium in hac via (conceptuum naturae) nulla omnino fieri cognitio potest. Contra cur in via morali (conceptus libertatis) succedat, in causa est: quod hoc loco suprasensibile, quod in eo subest fundamento (libertas), per legem causalitatis determinatam, quae ex eo exsistit, non solum materiam alterius suprasensibilis (scopi moralis conditionumque eius efficiendi) cognoscendi suppeditat, verum etiam vt res in facto posita realitatem suam in actionibus demonstrat, sed ob eam ipsam causam quoque, pro nulla alia esse probandi ratione potest, quam quae respectu valeat practico (vno quippe illo, cuius religio indiget).

In quo quidem notatu dignum est: trium illarum idearum rationalium, et *dei*, et *libertatis* et *immortalitatis*, libertatem conceptum vnum esse suprasensibilium, qui realitatem obiectiuam suam (ope causalitatis, quae in eo cogitatur) in natura, per effectum, quod fieri in ea possit, suum euincat, eoque ipso coniunctionem amborum reliquorum cum natura, trium vero omnium cum se inuicem in religione possibilem reddat; nosque proinde in nobis principium habere, quod ideam suprasensibilium in nobis, sed eo quoque ideam suprasensibilium extra nos, ad cognitionem, quamuis solum respectu practico possibilem, determinare queat, de quo philosophiae solum contemplatiuae (quae etiam libertatis conceptum poterat solum negantem suppeditare) desperandum fuit: proinde conceptus libertatis (vt conceptus legum omnium absolute practicarum constitutiuus) rationem possit vltra illos terminos dilatare, intra quos quisque conceptus naturae (theoreticus) sine vlla spe manere circumscriptus deberet.

* * *

Scholion generale ad teleologiam.

Cum quaeritur: quem ordinem atque honorem argumentum morale, quod exſiſtentiam dei duntaxat vt rem fidei rationi purae practicae probat, inter reliqua in philoſophia obtineat; tum facile poterit tota horum reliquorum poſſeſſio ad calculum reuocari, vbi tum adparet, optioni hic nullum locum eſſe, ſed cognitionem eius theoreticam, coram critica aequa ac media, omnes ſuas mittere petitiones oportere.

Primum omnem ea conſtituat adſenſum, oportebit, in re in facto poſita, niſi prorſus eſſe vanus debeat fundamentoque deſtitutus; ideoque hoc ſolum in probando poteſt diſcrimen locum habere, vtrum in hac re facti adſenſus conſecutionis inde effectae poſſit, vt *ſcientia*, cognitioni theoreticae, an, ſolum vt *fides*, practicae cognitioni, conſtitui. Omnes res in facto poſitae aut ad *conceptum naturae* pertinent, realitatem ſuam in rebus ſenſibus ſubiectis ante vniuerſos naturae conceptus datis (quae dari poſſint atque proponi) probat; aut ad *conceptum libertatis*, qui realitatem ſuam per cauſalitatem rationis, reſpectu certorum effectorum per eam poſſibilium in mundo ſenſibili, quam in lege morali fortiter poſtulat, idonee euincit. Iam conceptus naturae (ſolum ad cognitionem theoreticam pertinens) vel metaphyſicus eſt prorſusque ex anticipatione; vel phyſicus, hoc eſt, ex adſumto et aduentitio (a poſteriori), neceſſarioque ſolum per experientiam determinatam cogitabilis. Igitur conceptus naturae metaphyſicus (nullam experientiam determinationem ſupponens) ontologicus eſt.

Iam argumentum *ontologicum* pro exſiſtentia dei ex conceptu entis originarii vel id eſt, quod ex praedicatis ontologicis, quibus illud ſolis poteſt perpetuo determinatum cogitari, ad exſiſtentiam abſolute neceſſariam, vel ex neceſſitate abſoluta exſiſtentiae vllius cuiuspiam rei, quae illa cumque ſit, ad praedicata entis originarii concludit:

namque ad conceptum entis originarii pertinet, ne illud deriuatum ſit, neceſſitas exſiſtentiae eius abſoluta, et (ad hanc cogitandam) determinatio perpetuo per conceptum illius. Vtrumque requiſitum igitur in conceptu putabatur ideae ontologicae *entis omnium realiſſimi* ac perfectiſſimi inueniri; atque ita duo ſunt argumenta metaphyſica exorta.

Argumentum ſolum conceptum naturae metaphyſicum conſtituens (proprie ontologicum dictum) ex conceptu entis realiſſimi conclufit ad exſiſtentiam eius abſolute neceſſariam; namque (aiunt) niſi illud exſtaret, realitas illi, nimirum exſiſtentia, deeſſet. — Alterum (quod et argumentum metaphyſice *coſmologicum* vocatur) ex neceſſitate exſiſtentiae vllius cuiuspiam rei (cuiusmodi, cum in conſcientia mei ipſius mihi exſiſtentia data ſit, neceſſario concedendum eſt) ad determinationem eius perpetuam, vt entis omnium realiſſimi, concluſit: quoniam omnia, quae exſtant, perpetuo determinata, ſed ſimpliciter neceſſarium (nempe quod *nos* qua tale, proinde ex anticipatione, cognoſcere debemus) per *conceptum ſuum* perpetuo determinatum eſſe oporteat; quod vero duntaxat in conceptu poſſit entis omnium realiſſimi inueniri. Hoc loco non neceſſe eſt, vt ſophiſmata in concluſionibus illis aperiamus, quod iam alio loco factum eſt; ſed modo vt moneamus, eiusmodi argumenta, etiamſi per varias poſſent ſubtilitates dialecticas defendi, tamen numquam ſcholam transmigrare atque in rempublicam venire, eorumque cum intelligentia communi ne minimam quidem eſſe contagionem poſſe.

Conceptus, conceptum naturae, qui tantummodo empiricus eſſe poteſt, ſed tamen vltra terminos naturae, vt complexus rerum ſenſibus propoſitarum, ducere debet, fundamento ponens, nullus eſſe alius poteſt, quam conceptus *finium* naturae: quorum quidem conceptus haud ex anticipatione poteſt, ſed ſolum per experientiam dari, verum tamen eiusmodi conceptum de cauſa naturae origi-

naria pollicetur, qui vnus omnium, quos cogitare possumus, ad suprasensibilia aptus est, nimirum conceptus de intelligentia summa, vt causa mundi; id quod reapse quoque ex principiis facultatis iudicandi reflectentis, hoc est, pro natura facultatis cognoscendi nostrae (humanae) optime efficit. — An id autem ex iisdem datis hunc conceptum entis *supremi*, id est, independentis intelligentis etiam vt dei, nimirum auctoris mundi sub legibus moralibus, proinde idonee ideae de scopo exsistentiae mundi suppeditare queat, quaestio est, vnde vniuersa pendent; siue conceptum theoretice idoneum entis originarii in vsum vniversae cognitionis naturae postulemus, siue practicum in gratiam religionis.

Hoc argumentum ex teleologia physica depromtum veneratione dignum videtur. Idem efficit cum ad intelligentiae communi, tum acutissimo philosopho ad veritatem persuadendum; et *Reimarus* in opere suo nondum superato, in quo argumentum istud, pro more suo, docte perspicueque vberius exponit, eo sibi laudem peperit sempiternam. — Sed, vnde hoc argumentum tantam vim in animo accipit, praesertim in diiudicatione per rationem tranquillam (namque permotio illius euectioque per miracula naturae posset ad persuasionem accenseri) ad adsensum tranquillum, ac se totum tradentem? Non finibus id physicis efficitur, qui cuncti intelligentiam indicant imperuestigabilem in causa mundi; hi enim ad id haud idonei sunt, quoniam necessitati non satis faciunt rationis quaerentis. Etenim quem in finem (haec quaerit) res illae omnes sunt naturae technicae; quem in finem ipse homo, in quo vt fine naturae vltimo nobis cogitabili nobis consistendum est; quem in finem vniuersa haec natura adest, et quis scopus tantae tamque variae artis? ad fruendum, ad videndum, ad contemplandum ne et admirandum (quod, si in eo consistas, nec quidquam aliud est nisi fruitio cuiusdam generis peculiaris), vt scopum vltimum cuius causa mundus ipseque homo adest, creatum esse, rationem non

poteſt tranquillare: haec enim pretium perſonale ſupponit, quod ſibi ſolus poteſt homo impertire, vt conditionem, qua ſola is eiusque exſiſtentia poſſit ſcopus eſſe. Quo vero deficiente, qui ſolus capax eſt conceptus determinati, fines naturae quaeſtioni ſuae non ſatis faciunt, propterea maxime, quod nullum conceptum poſſunt *determinatum* entis ſummi vt vniuerſis ſuffic●ntis (et ob id ipſum vnius, vt proprie ſic dicam *ſummi*) entis legumque, ex quibus intelligentia cauſa mundi eſt, ſuppeditare.

Cur igitur argumentum phyſico-teleologicum, quaſi ſimul theologicum ſit, firmitatem animi efficiat, in cauſa haud conatus eſt idearum de finibus naturae, vt totidem probandi rationibus intelligentiae *ſummae;* ſed ſenſim paullatimque ſe argumentum morale in quouis homine latens eumque tam intime mouens immiſcet in concluſionem, qua enti, quod tam incomprehenſe artificioſe in finibus ſeſe naturae manifeſtat, etiam ſcopum, proinde ſapientiam, (quamquam ex nulla prioris perceptione iure accepto) attribuit, atque ita argumentum illud, reſpectu, quae ei adhuc adhaeret, imperfectionis, arbitrariae ſupplet. Igitur reuera tantummodo argumentum morale firmitatem animi producit, et hanc quoque ſolum reſpectu practico, ad quod ſuam quisque adſenſionem intus perſentiſcit; ſed phyſico-teleologicum tantummodo laudem habet, quod animum in contemplando mundo in viam ducat finium, ſed eo ad auctorem mundi *intelligentem:* tum autem relatio ad fines moralis ideaque eiusmodi legislatoris mundique auctoris, vt conceptus theoreticus, quamquam non eſt niſi additamentum, tamen ſponte videtur ex illo argumento ſeſe euoluere.

Atque in hoc quidem porro quoque in conſueta tractatione poterimus conſiſtere. Namque communi ſanaeque intelligentiae plerumque arduum videtur, varia principia illa, quae miſcet, atque ex quorum vno reapſe ſolum recteque connectit, ſi ſeparatio ſeiunctioque multa opus

habeat meditatione, vt heterogenea ab se inuicem discernere ac separare. Sed argumentum morale pro exsistentia dei proprie haud fere *supplet* tantummodo physico-teleologicum; sed peculiare argumentum est, defectum firmitatis ex hoc posteriore *resarciens:* propterea quod hoc reapse nihil potest efficere, quam vt rationem in diiudicanda naturae causa, eiusque ordine fortuito, sed admirabili, qui nobis solum per experientiam innotescit, ad causalitatem causae, rationem illius ex finibus continentis, (quam pro natura virium cognoscendi nostrarum vt causam debemus intelligentem cogitare) ducat atque intendat, sic vero argumenti moralis reddat capaciorem. Id enim, quod ad posteriorem conceptum opus est, ab vniuersis, quae a conceptibus naturae contineri possunt et doceri, tantopere per essentiam differt, vt singulari quadam a priorique prorsus libera probandi ratione argumentoque opus sit, ad conceptum entis originarii theologiae idonee indicandum, ad eiusque exsistentiam concludendum. — Argumentum morale (quod vero sane tantummodo exsistentiam dei practico, sed simul irremissibili respectu rationis euincit) etiamnum proinde vim suam retineret, si in mundo nullam omnino, vel modo ambiguam teleologiae physicae materiam deprehenderemus. Cogitari potest, naturas rationales tali sese cinctas natura videre, quae nullum perspicuum organisationis vestigium, sed solum effecta meri mechanismi materiae rudis ostenderet, cuius causa atque in mutabilitate nonnullarum formarum relationumque mere fortuito finalium, nulla ratio esse videretur, concludendi ad auctorem mundi intelligentem; vbi tum quoque nulla teleologiae occasio foret: et tamen ratio, per conceptus naturae hic non edocta, in conceptu libertatis ideisque moralibus in eo constitutis rationem inueniret idoneam, conceptum entis originarii his conuenienter, id est, vt dei, naturamque (ipsius exsistentiae nostrae) vt scopum illi illiusque legibus consentaneum postulandi, et quidem respectu praecepti irremissibilis practicae rationis. — In mundo autem vero actualique naturis rationalibus in eo largam

teleologiae physicae materiam inesse (quod haud fere necesse esset), argumento morali exoptatae confirmationi est, quatenus natura quidpiam ideis rationalibus (moralibus) analogicum ostendere possit. Namque conceptus caussae supremae intelligentis (quod vero multum abest, quin theologiae sufficiat) eo realitatem accipit in vsum facultatis iudicandi reflectentis; verum is haud necessarius est ad argumentum morale in eo constituendum: neque hic facit ad illum, qui per se solum minime moralitatem indicat, conclusione continuata ex vno principio, ad argumentum perficiendum. Duo principia tam dissimilia, quam natura et libertas, non nisi duo diuersa probandi genera possunt constituere, vbi tum conatus, hanc ex illa efficiendi, ad id, quod probandum est, minus idoneum reperitur.

Si physico-teleologica probandi ratio ad argumentum quaesitum suppeteret, ratio contemplatiua eo admodum tranquillaretur; spem enim ea faceret producendae theosophiae (ita scilicet dicenda foret cognitio theoretica naturae diuinae eiusque exsistentiae, quae ad enodandam mundi naturam suppeteret, et simul ad determinandas leges morales). Pariter si psychologia suppeteret, vt ex ea ad cognitionem immortalitatis animorum perueniremus, ea efficeretur, vt pneumatologia, quae rationi contemplatiuae itidem grata foret, fieri posset. Vtraque autem, quantopere gratum fuerit arrogantiae curiositatis, haud expleat desiderium rationis respectu theoriae, quae fundata esse in cognitione naturae rerum deberet. An vero illa, vt theologia, altera vt anthropologia, sed vtraque in morali, id est, principio libertatis fundata, proinde vsui rationis practico consentanea, finem vltimum obiectiuum melius attingat, alia quaestio est, quam hoc loco nil attinet vlterius persequi.

Argumentum vero physico-teleologicum idcirco non suppetit ad theologiam, quoniam nullum in hunc finem idonee determinatum entis originarii conceptum largitur, nec potest largiri, sed hunc prorsus aliunde depromere,

eiusque defectum eo, vt additamento arbitrario, supplere debemus. Vos ex magna illa forma finali formarum naturae earumque relationum ad causam mundi intelligentem concluditis; at ad quem gradum huiusce intelligentiae? Sine dubio haud vobis potestis arrogare, ad intelligentiam, quae fieri possit, summam; ad id enim necesse foret, vt perspiceretis, intelligentiam maiorem quam cuius vos argumenta in mundo percipitis, non posse cogitari: quod idem foret, ac si vobismet ipsis omniscientiam tribueretis. Pari modo vos ex magnitudine mundi ad permagnam auctoris potentiam concluditis; at dabitis, id solum comparatiue vim ad captum vestrum habere, et cum vos haud omnia, quae esse possunt, cognoscatis, vt ea cum magnitudine mundi, quantum ea nostis comparetis, vos ex mensura tam exigua nullam auctoris omnipotentiam elicere posse, et sic porro. Iam eo vos ad nullum determinatum, ad theologiam idoneum, conceptum entis originarii peruenitis; hic enim non nisi in conceptu omnitudinis perfectionum cum intelligentia coniunctarum deprehendi potest, quo etiam data solum *empirica* nullo modo possunt ducere: sed sine eiusmodi conceptu determinato vos quoque ad *vnum* intelligens ens rationis concludere haud potestis, sed (in qualem cumque vsum) eiusmodi tantummodo sumere. — Atqui sane quidem concedi potest, vos (cum ratio nil habeat, quod iure contradicat) arbitratu addere: vbi tantum perfectionis deprehendatur, facile omnem sumi perfectionem in causa mundi vna coniunctam licere; quoniam rationi in principio sic determinato, et theoretice et practice, melius succedit. At vos hunc conceptum tamen entis originarii non vt a vobis probatum potestis commendare, cum illum duntaxat in gratiam melioris vsus rationis sumseritis. Ergo omnis lamentatio indignatioue impotens de friuolitate opinata, de vi catenae conclusionum vestrarum dubitandi, vana iactantia est, quae mallet, vt, quod contra argumentum vestrum libere profitemur, dubium reputaretur pro dubitatione sanctae veritatis, vt hoc velamine tenuitas illius contegatur.

Contra teleologia moralis, quae non minus firme, quam physica, fundata est, eo potius, quod ex anticipatione principiis nititur ab ratione nostra haud seiungendis, laudem meretur, ducit ad id, quod ad possibilitatem theologiae postulatur, nimirum ad *conceptum* determinatum causae supremae, vt mundi auctoris ex legibus moralibus, proinde eiusmodi, quae scopo morali nostro satis faciat: quo nihil minus, quam omniscientia, omnipotentia, omnipraesentia et id genus alia, vt proprietates naturales eo pertinentes postulantur, quae cum scopo morali, qui infinitus est, vt coniunctae, proinde ei conuenientes et adaequatae cogitandae sunt, atque ita conceptum *vnius* auctoris mundi, ad theologiam aptum atque idoneum, solae possunt suppeditare.

Tali modo theologia etiam cum interuentu ducit ad *religionem*, id est, *ad cognitionem officiorum nostrorum vt praeceptorum diuinorum;* quoniam cognitio officii nostri, scopique nobis in ea per rationem iniuncti conceptum dei primo poterat determinate producere, qui proinde iam in ortu suo non potest ab obligatione erga istud ens separari: cum et contrario, si conceptus entis originarii in via solum theoretica (scilicet illius vt solius causae naturae) etiam posset determinatus inueniri, postea res foret magna difficultate, fortasse adeo impossibilitate istud sine adiectione arbitraria efficiendi, circumsepta, huic enti causalitatem ex legibus moralibus per argumenta firma attribuere, sine quibus tamen ille putatitius conceptus theologicus nullum potest religionis fundamentum constituere. Vel tum, cum religio in hac via theoretica constitui posset, respectu mentis (in quo tamen eius essentia consistit) ea reapse ab illa esset diuersa, in qua conceptus dei animique firmitas (practica) de eius exsistentia ex ideis moralitatis constitutiuis oritur. Etenim si omnipotentiam, omniscientiam et similia auctoris mundi, vt aliunde nobis datos conceptus supponere deberemus, vt postea nostros officiorum conceptus ad nostram ad illum relationem transferremus, hos necesse

foret permagnam speciem coactionis subiectionisque extortae prae se ferre; cum e contrario, si obseruantia legis moralis prorsus libere nobis, vi praecepti propriae rationis nostrae, scopum destinationis nostrae proponat, causam cum eo eiusque effectione conspirantem cum summa verecundia, quae prorsus est a metu pathologico diuersa, in prospectus exspectationesque morales recipiamus eique nos lubenter subiiciamus *).

Si quaeritur: quare tandem nostra intersit, vt omnino theologiam habeamus; eam, manifestum est, non ad amplificandam corrigendamque nostram naturae cognitionem, omninoque ad vllam quampiam theoriam, sed solum ad religionem, id est, ad vsum rationis practicum, nominatim moralem, respectu subiectiuo necessariam esse. Itaque si intelligamus, argumentum vnum, quod ad determinatum rei theologiae subiectae conceptum ducit, ipsum morale esse; non solum haud alienum videbitur, verum etiam sufficientiae adsensus ex hoc argumento ad finem illius vltimum nihil quidquam desiderabitur, si concessum fuerit eiusmodi argumento existentiam dei solum nostrae destinationi morali, id est, respectu practico idonee probari et contemplatione in eo robur illius nullo modo euinci, ambitumque ditionis eius ea re dilatari. Praeterea miratio, vel repugnantia opinata possibilitatis theologiae hoc loco adsertae, cum eo, quod criticam vidimus rationis purae contemplatiuae de categoriis pronunciare: his scilicet vsu ad res sensibus propositas transferendis, nullo modo vero

*) Cum pulcritudinis admiratio, tum per tam varios naturae fines permotio, quam animus meditabundus, iam ante omnem repraesentationem auctoris rationalis mundi claram potest in sese percipere, quidpiam in se continent simile sensus religiosi. Proinde primo per iudicandi modum morali analogum illius in sensu morali (grati animi venerationisque erga causam nobis ignotam) ideoque excitandis ideis moralibus vim suam exserere, cum eam admirationem instillant, quae cum inuitamento multo maiori coniuncta est, quam quae ab sola contemplatione theoretica effici potest.

ad ſupraſenſibilia adhibitis, poſſe cognitionem produci; euaneſcet, cum hic eas ad cognoſcendum deum, ſed haud reſpectu theoretico (pro eo quod natura eius nobis inacceſſa per ſe ſit), ſed ſolum practico videas vſurpatas. — Vt hac occaſione data calumniae doctrinae illius critices admodum neceſſariae, verum quoque, ad indignationem caeci dogmatici, rationem in terminos eius reiicientis, finem faciam, addam, quae nunc ſequitur, illius illuſtrationem.

Cum corpori *vim motricem* attribuo, proinde illud per categoriam *cauſalitatis* cogito; tum illud eo ſimul *cognoſco*, hoc eſt, conceptum eius determino, vt rei obiectae in genere, per id, quod illi, vt rei ſenſibus obnoxiae, per ſe (qua conditio poſſibilitatis relationis illius) competit. Namque, ſi, quam ei tribuo, vis motrix repulſiua ſit; locus ei (etſi nondum aliud, in quo illud eam exſerat, pone illud colloco) in ſpatio competit, porro etiam extenſio, id eſt, ſpatium in eo ipſo, tum repletio illius per vires partium repulſiuas, tandem quoque lex huius repletionis (cauſam partium repellendarum ad eamdem proportionem decreſcere oportere, ad quae corporis extenſio creſcat, ſpatiumque, quod iisdem partibus per hanc vim replet, creſcat). — Contra, cum ens ſupraſenſibile vt *motorem primum*, proinde per categoriam cauſalitatis reſpectu eiusdem determinationis mundanae (motus materiae) mihi cogitatione informo; tum illud mihi non vllo loco quopiam in ſpatio, neque vt extenſum, quin ne vt in tempore quidem cum aliis ſimul exſtans cogitandum erit. Proinde nullae omnino determinationes ſunt, quibus de conditione poſſibilitatis motus per hoc ens vt cauſam poſſem edoceri. Ergo illud per praedicatum cauſae (vt motoris primi) per ſe ne minimum quidem cognoſco: verum tantummodo cogitationem habeo de aliquo, quod cauſam motuum in mundo in ſe contineat; relatioque horum ad illud, vt eorum cauſam, cum nihil mihi aliud ad naturam rei, quae cauſa eſt, pertinens, ſubminiſtret,

huius conceptum prorſus vacuum finit atque inanem. Cauſa eſt: quoniam ex praedicatis, quae ſolum in mundo ſenſibili inueniunt, quod ſibi ſubiici poſſit atque offerri, ad exſiſtentiam quidem cuiuspiam, quod harum rerum cauſam debeat continere, non vero ad determinationem eius conceptus vt entis ſupraſenſibilis, qui cuncta praedicata illa reſpuit, progredi poſſum. Igitur per categoriam cauſalitatis, ſi eam per conceptum *primi motoris* determino, quid deus ſit, ne vel minima ex parte cognoſco; ſed fortaſſe melius ſuccedet, ſi ex ordine mundi occaſionem arripiam, cauſalitatem eius, vt *intelligentiae* ſupremae non ſolum *cogitandi*, ſed illum quoque per hanc determinationem dicti conceptus *cognoſcendi:* quoniam tum moleſta ſpatii extenſionisque conditio ceſſat. —. Sane magna forma finalis in mundo cogit nos, vt cauſam ſupremam *illius* eiusque cauſalitatis vt per intelligentiam *cogitemus;* verum eo nobis nihil quidquam iuris accedit, illi eam *attribuendi* (vt, exempli gratia) aeternitatem dei vt exſiſtentiam omni tempore cogitandi, quia alias nullum omnino de exſiſtentia ſola vt quantitate, id eſt, vt duratione nobis poſſumus cogitando informare; aut omnipraeſentiam diuinam vt exſiſtentiam in omnibus locis cogitandi, vt praeſentiam rerum extra ſe proximam nobis explicemus, quamuis nihilominus nullam earum determinationum deo debeamus, vt aliquid in eo cognitum, attribuere). Cum cauſalitatem hominis reſpectu certorum quorumdam productorum, ſolum per formam finalem intentionalem enodabilium, eo determino, quod eam vt intelligentiam illius cogito; tum non erit, quod in eo conſiſtam, verum illi hoc praedicatum potero vt proprietatem illius probe notam attribuere, eoque illum cognoſcere. Etenim ſcio viſiones ſenſibus hominis dari, et per intelligentiam conceptui, ideoque regulae ſubiici; hoc conceptu notam tantummodo communem (ſingulari omiſſo) contineri, et proinde diſcurſiuam eſſe; regulas, ad repraeſentationes datas conſcientiae generatim ſubiiciendas, ab ea iam ante viſiones illas dari, et ſic porro: ergo homini proprietatem illam attribuo, vt eam, qua

illum *cognoscam*. Quodsi autem ens supraſenſibile (deum) velim vt intelligentiam *cogitare*, hoc certo quodam vſus rationis mei reſpectu non ſolum licet, verum etiam euitari non poteſt; ſed illi intelligentiam tribuere, eoque illud, vt per proprietatem eius *cognoſcere* poſſis, tibi perſuadere, minime licet: ſiquidem tum omnes conditiones illae, quibus ſolis intelligentiam noui, omittendae ſunt, proinde praedicatum, quod tantummodo ad determinandum hominem facit, ad rem ſupraſenſibilem nullo modo poteſt referri, ideoque per cauſalitatem ſic determinatam, quid deus ſit, neutiquam cognoſci. Atque haec ratio eſt omnium categoriarum, quarum nulla omnino vis poteſt ad cognitionem reſpectu theoretico eſſe, niſi ad res experientiae poſſibili ſubiectas adhibeantur. — Verum ſecundum analogiam intelligentiae poſſum ſane, quid? quod debeo certo quodam reſpectu alio ipſum ens ſupraſenſibile cogitare, neque illud tamen eo theoretice velle cognoſcere; cum nimirum haec determinatio cauſalitatis illius effectum in mundo attingit, quod in ſe cohibet, moraliter neceſſarium, ſed naturis ſenſitiuis haud efficiendum: vbi tum fieri cognitio dei poteſt eiusque exſiſtentiae (theologia) per proprietates determinationesque cauſalitatis eius ſolum ſecundum analogiam in eo cogitatas, id quod reſpectu practico, ſed quoque ſolum *hoc reſpectu* (vt morali), omnem, quae requiritur, realitatem habet. — Quamobrem fieri ſane ethicologia poteſt; nam philoſophia moralis cum regula ſua quidem, non vero cum ſcopo poteſt, quem eadem praecipit, ſine theologia conſiſtere, ratione reſpectu theologiae haud deſtituta. Sed ethica theologica (rationis purae) fieri non poteſt; quoniam, quas haud ipſa ratio originarie fert, quarumque obſequium ea vt facultas pura practica efficit, leges non poſſunt morales eſſe. Itidem phyſica theologica non ens foret, propterea quod nullas leges phyſicas proponeret, ſed ordinationes inſtitutaque voluntatis ſummae; cum e contrario theologia phyſica (proprie phyſico-teleologica) ſaltim pro propaedeutica theologiae proprie poſſit eſſe: quae quippe per

contemplationem finium naturae, quarum largam materiam praebet, anſam dat ideae ſcopi, quem non poteſt natura proponere; proinde neceſſitatem theologiae, quae conceptum dei ad ſummum rationis vſum practicum idonee determinaret, ad ſenſum quidem admouere poteſt, nec eam vero producere atque in argumentis ſuis ſatis conſtituere.

